Q. HORATII FLACCI CARMINA EXPURGATA,

Cum adnotationibus ac perpetuâ interpretatione JOSEPHI JUVENCII *è Societate Jesu.*

NOVA EDITIO ACCURATISSIMA.

TOMUS II.

PARISIIS,
Apud Hug. BARBOU, viâ Mathurinensium.

1805.

Q. HORATII FLACCI

SATYRARUM

LIBER PRIMUS.

Satyra I.

Nemini ferè sua sors et conditio placet, quia nemo contentus parvo et suo est.

Quî fit, Mæcenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illâ

Quo fieri fato dicam, Mæcenas, ut nemini sua sors, ac vitæ institutum placeat, sive illud consilio et certâ ratione

Satyrarum. Satyra est carminis genus dicax et salsum, institutum ad carpenda hominum vitia. Nomen invenit à Satyris, agrestibus Diis petulantibus ac protervis : vel, ut alii fortasse rectiùs opinantur, à saturâ, quæ vox lancem aut calathum sonat, in quo variæ fruges promiscuè reponebantur. Vagatur enim satyra impune per omnia vitia, neque ordine ullo aut limite coërcetur. Casaubonum lege in singulari quem de Satyrâ conscripsit libro. Isti porro Libri Satyrarum duo, tum etiam alii totidem Epistolarum qui sequuntur, appellantur, *Libri Sermonum*, quia scribendi ratio, quâ in iis utitur Horatius, est humilior et quotidiano sermoni propior, ac solutæ orationi. Odæ spirant aliquid elatius, grandius et ornatius.

2\. *Seu ratio dederit.* Inest in ratione delectus et judicium in casu, temeritas quædam,

Contentus vivat? Laudet diversa sequentes?
O fortunati mercatores! gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contra mercator, navim jactantibus Austris,
Militia est potior: quid enim? concurritur: horæ
Momento aut cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat juris, legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille datis vadibus qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cætera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi
Quò rem deducam. Si quis Deus, En ego, dicat,

fuerit amplexus; sive oblatum à casu Fortunâque arripuerit: ut aliis meliùs quàm sibi putet esse, ac illos, qui diverso vivendi genere et conditione utuntur, beatos prædicet? miles confectus senio, diuturnis ærumnis ac bellicis laboribus attritus, quàm bene, inquit, cum mercatoribus agitur! Contra verò mercator sævâ jactatus tempestate, militum sors, ait, et conditio multò est nostrâ fortunatior. Quidni enim? Quid tantùm in militiâ periculi ac miseriæ est? committitur pugna: temporis puncto statim cadit miles, aut gloriosè vincit. Patronus quispiam et Jurisconsultus, cùm primâ luce audit pulsari suas fores ab cliente qui consulturus ipsum adeat, agricolarum vitam esse fortunatissimam censet. Agricola, qui relicto rure suo in urbem venire cogitur, et ad præstitutam diem judicio se sistere, ut datis vadibus promisit, solis illis bene esse clamitat, qui degunt in urbe. Exempla ejusmodi hominum de suâ sorte quiritantium, laudantium alienam, tam multa sunt, ut ille ipse garrulus et loquax Fabius sit defatigandus, si eorum inire numerum velit. Itaque in iis recensendis diutius non immorabor, tantùm audi quid affirmare ausim. Ponamus eos ab

seu opportunitas et occasio, dat ratio igitur ac defert: sors objicit, et obtrudit.

11. *Datis vadibus.* Vades sive sponsores, ii dicuntur, qui promittunt aliquem in jure adfuturum die constitutâ, *Cautions, Répondans.* In re capitali, *vades*; in re civili, *prædes*, usitatius appellantur.

14. *Delassare.* Valde lassare. Particula *de* interdum auget vim significandi, interdum minuit.

Fabium. Garrulum aliquem, tunc temporis bene notum, aliud agendo carpit. Stoïcum fuisse Philosophum quidam volunt, qui ejus sectæ effata satis verbosè conscripserat.

Jam faciam quod vultis : eris tu, qui modò miles,
Mercator; tu, consultus modò, rusticus: hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia,
Quid statis? nolint. Atqui licet esse beatis :
Quid causæ est, meritò quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inflet, neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem ?
Præterea, ne sic, ut qui jocularia, ridens
Percurram ; quanquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima :
Sed tamen amoto quæramus seria ludo.
Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautæque, per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem

aliquo Deo hunc in modum compellari : Ego vos compotes voti faciam : tu, qui militiam hactenus et bella secutus es, facies mercaturam : tu, qui Jurisconsultus eras, fies, per me licet, agricola ; mutate partes, et ex unâ vitæ conditione, in aliam commigrate. Age sanè, quin disceditis ? Cur in eodem hæretis vestigio? Si quis, inquam, Deus ita cum illis agat, pro certo habeo fore, ut ei morem gerere abnuant. Attamen in ipsorum manu est, ut fortunati sint. Nonne igitur ipsis Jupiter meritò succenseat, affirmetque se non tam facilè posthac ipsorum vota auditurum ? Ego vero, ut rem tanti momenti non leviter et jocando perstringam, eorum more, qui res ludicras tractant; quanquam et interdum licet veritatem ridendo aperire : sic magistri pueros, datis placentis et cupediis alliciunt, ad rudimenta litterarum perdiscenda : sed agamus seriò, et hujus quam in plerisque omnibus intuemur inconstantiæ causas investigemus. Ille agricola qui tantùm laboris in exercendâ tellure sumit; iste caupo pejerare et fidem fallere solitus ; milites et nautæ qui omnia maria, contemptis periculis ac tempestatibus, enavigant, profitentur se aliud nihil spectare in his laboribus perferendis, quàm ut in senectute tranquillo perfruantur otio, comparatis videlicet rebus ad vitam neces-

17. *Consultus.* Qui de jure respondet consulentibus. Jurisconsultus, advocatus.

18. *Partibus mutatis.* Loco mutato : vel mutatâ vitæ conditione. *Changez de rôle.*

21. *Buccas inflet iratus illis.* Irati, minitantes, etc. solent os inflare et distorquere.

Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, cùm sibi sint congesta cibaria: sicut
Parvula, nam exemplo est, magni formica laboris
Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri:
Quæ, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, et illis utitur ante
Quæsitis, sapiens: cùm te neque fervidus æstus
Demoveat lucro, neque hyems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
Quid juvat immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossâ timidum deponere terrâ?
Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem.
At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?

x qui privit

sariis, ac velut annonâ in reliquum tempus collecta. Et utuntur exemplo formicæ, quæ licèt exiguæ sit molis, adeo laboriosa tamen est. Hæc rostello suo quæcumque potest carpit cibaria, quibus augeat acervum, quem futuri quasi præscia, et bene provida, congerit: mox ubi vertente anno Aquarius imbres effundere incipit, et agros tristi gelu applere, continet illa se domi, et iis, quas antea prudenter et cautè paravit, frugibus vescitur. At tu, infelix, quem neque calores æstivi, neque hyberna frigora deterrere possunt ab augendâ re, quem medios per ignes, per dira belli marisque pericula spes lucri oblata rapit, qui nihili pendis incommoda omnia, obices omnes, modò cæteros superare opibus queas, quid emolumenti, quæso, capis ex acervo ingenti pecuniæ, quem anxiè ac trepidè altâ humo infossum abditumque servas? Nimirum, inquis, si ego ex illo acervo detraham aliquid, brevi minuetur, et ad extremum tandem teruncium redibit. Sed, nisi hoc facias, et pecuniâ utaris tuâ, quid juvat acervos illius congerere? Quid voluptatis est nummos in altum extructos et

36. *Inversum.* Annus verti dicitur cùm instauratur, cùm denuò incipit, cùm Sol ab uno Tropico ad alterum regreditur: quod fit mense Januario; cui mensi attribuitur Aquarius, signum, sive pars Zodiaci undecima, in quam extremo Januario Sol ingreditur. Aquarius vocatur, quia pluvias et nives, tanquam plenâ ex amphorâ defundit in terras.

42. *Defossâ.* Dicitur humus defodi, pro egeri ac fodi: dicitur et pecunia humo defodi: pro abscondi altiùs in terram et infodi.

Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hoc capiat venter plus ac meus : ut si
Reticulum panis venales inter onusto
Fortè vehas humero, nihilo plus accipias quàm
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra
Naturæ fines viventis, jugera centum, an
Mille aret? At suave est de magno tollere acervo.
Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut tibi si sit opus liquidi non amplius urnâ,
Vel cyatho, et dicas, magno de flumine malim,

inutiles intueri? Age, fac te centum millia modiorum tritici ex agris tuis collegisse, an idcirco plus panis continebit consumetque venter tuus, quàm meus? neutiquam profectò : quemadmodum in famulorum peregrè abeuntium grege qui sacculum panibus plenum portat, is majorem portionem non accipit, quàm ille qui nihil gestat oneris. Da mihi hominem qui duntaxat id quærat quod vitæ et naturæ necessarium est, quid refert, utrum è mille jugeribus, an è centum, messem colligat? nihil. Verùm, inquies, dulce est ex ingenti acervo accipere. Ego verò non video quid in eo sit suavitatis, aut cur tua horrea ingentia, exiguis meis cumeris anteponas, dummodo tantùm è tenui acervo possim sumere, quantùm sumis è magno. Tu verò similiter facis, ac si, aquæ urnâ tantummodo, aut scypho indigens, diceres, malim ex ingenti fluvio haurire, quàm tantùmdem ex hoc angusto fonte capere. Hinc nimirum

47. *Venales.* Sic vocantur servi, qui pretio veneunt.

49. *Intra naturæ fines viventis.* Seneca, epist. 16 laudat hanc Epicuri vocem : *si ad naturam vivas, nunquam eris pauper : si ad opiniones, nunquam eris dives.* Præclarè.

50. *Jugera.* Jugerum, est terræ portio, quam par boum uno die arare vulgò potest : ac ducentis quadraginta pedibus ab omni parte definitam fuisse docet Plinius.

53. *Cumeris.* Cumera : vel cumerum, est vas quoddam è Sparto, palmâ, aut vimine confectum, aut etiam fictile, asservando maximè frumento idoneum, quo populus utebatur.

54. *Urna.* Est vas aquæ : hydria, *une cruche.* Erat etiam mensura liquidorum, continens quatuor congios, et 14 sextarios : *quatorze pintes.*

55. *Cyatho.* Cyathus est modica patera : *une tasse, un verre.* Apud Romanos capiebat duodecimam partem sextarii.

Quàm ex hoc fonticulo tantumdem sumere. Eo fit,
Plenior ut si quos delectet copia justo,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.
At qui tantulo eget quantò est opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum, decepta cupidine falso,
Nil satis est inquit, quia tanti, quantum habeas: sis.
Quid facias illi? jubeas miseram esse, libenter
Quatenus id facit. Ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives, populi contemnere voces
Sic solitus: Populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arcâ.
Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina..... Quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur. Conjestis undique saccis

accidit, ut qui ex copioso ejusmodi flumine, verbi gratiâ, ex Aufido, sumere gestiat, ille cum ripæ parte in aquam abreptus mergatur: qui verò id tantùm quod est satis, quærat, is neque inquinatam limo, ut fere est in majoribus fluviis, aquam hauriat, neque submersus undis pereat. At pars hominum maxima, dum se pravæ cupiditatis illecebris deludi patitur, hoc unum fere habet in ore: neminem satis opulentum esse posse, nullum augendæ rei finem statuendum, siquidem tanti quisque æstimatur, quantùm nummorum habet. Quid agas cum hominibus ejusmodi? Sanè omitte illos, et miseros esse patere, siquidem ipsi libenter et ultro miseri sunt. Talis erat ille Atheniensis, ut narrant, homo avarus, idemque prædives: qui cùm se ob avaritiæ sordes videret à Populo irrideri, vicissim Populum contemnens aiebat: rideant isti me, nihil moror; at ego mihi placeo et plaudo intus ac domi, cùm arcam nummis refertam intueor. Quanta sit istorum tamen, et quàm vera miseria Tantalus docet, qui mediis in aquis immersus mento tenus, fugientes ab ore undas haurire frustra nititur. Rides, avare, hanc fabellam. Hæc tamen in te convenit; mutentur tantùm nomina, et tuum, pro Tantali nomine,

58. *Aufidus.* Fluvius Apuliæ, in Italiâ, *l'Ofanto.* Pro quolibet amne rapido hìc ponitur, poëtico more.

62. *Quia tanti,* etc. Lege Juvenalem à nobis explanatum, Sat. III. *Quantùm quisque suâ nummorum servat in arca tantùm habet et fidei.*

Indormis inhians, et tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Nescis quò valeat nummus, quem præbeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius; adde,
Queis humana sibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
At si condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius lecto casus te affixit, habes qui

ponatur, vera in te deprehendes esse, quæ de illo ficta narrantur. Dormis medios inter auri argentique saccos, mente totâ in iis et animo defixus et incubans : eos tamen, avaritiâ prohibente, non attingis, tanquam si res essent sacræ, nec aliter auro argentoque tuo frueris, quam imagininibus, quæ oculos tantùm pascunt. Nescis qui nummorum esse fructus ususque debeat : is nempe est ut comparetur panis, legumina, vini scyphus et alia id genus, quibus humana carere vita et natura nequit. An verò id circo sunt concessæ tibi opes, ut nullam diu noctuque partem quietis capias præ metu? ut pertimescas furum manus? ut anxius perpetuò sis, ne deflagret domus, ne à fugitivis famulis spolieris? Hæccine tandem illa voluptas est, hæc utilitas, quæ capitur è divitiis? Si res ita se habet, næ istis ego carere bonis, quam abundare, malim. Atenim hanc tibi fortasse facultatem et copiam divitiæ afferunt, ut si quis te morbus ex frigore, verbi gratiâ, contractus occupaverit; si qua valetudo alia, ut fit, hærere te cogat in lectulo, tum præsto sit qui prope te sedeat consolandi aut ju-

71. *Inhians.* Sic solent qui mirantur, concupiscunt, etc. ore diducto et hianti.

74. *Sextarius.* Mensura quædam liquidorum : continens cyathos duodecim, et pondere uncias, aquæ, verbi gratiâ, viginti, quas ad mensuram Parisinam si revoces, erit id quod vernaculè dicimus : *une chopine et la moitié d'un demi-septier.* Amphora continebat Urnas duas, Congios octo, Sextarios octo et quadraginta.

76. *Metu exanimem.* Præclarè Juvenalis : *misera est magni custodia census.* Sat. XIV. Nec inficetè Aristophanes, δειλοτατὸν ἐσθ' ὑπλοῦτος *timidissima res divitiæ* : nimirum propter eas, quæ ipsi struuntur, insidias; ob quas pallidum colorem inesse auro nonnemo scitè dixit, quasi eas timeret.

Assideat, fomenta paret, medicum roget ut te
Suscitet, ac natis reddat, carisque propinquis?
Non uxor salvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ.
Miraris, cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non merearis, amorem?
At si cognatos, nullo Natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,
Infelix operam perdas: ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frænis.
Denique sit finis quærendi; cumque habeas plus,
Pauperiem metuas minus; et finire laborem
Incipias, parto quod avebas: ne facias quod
Ummidius quidam, non longa est fabula, dives,

vandi causâ, qui remedia, quibus depellatur morbus, comparet; qui medicum arcessat, oretque ut te jacentem erigat, vitam tibi ac sanitatem reddat, liberisque te tuis, atque affinibus salvum et incolumem restituat. Verùm falleris: invitâ uxore liberisque vivis: viccini omnes, pueri ac puellæ, quicumque te norunt, odio te habent: nec mirum est te à nemine diligi, id enim nequaquam promereris, qui omnia postponas argento, et nemini prodesse velis; si enim benevolentiam cognatorum, qui tibi naturæ vinculo conjuncti sunt, et amicorum; conservare studeas, idque te, nullo tuo labore, nihil iis largiendo, consequi posse putes, frustra id speras, nec minus operam ludis quàm si asinum frænare instar equi velis, et incitato gradu campum juberes percurrere. Quid plura? desine aliquando nummos congerere: cùmque multò plures tibi modò suppetant, quàm antea, cùm tibi sit minùs ab inopiâ metuendum: pone modum iis laboribus et curis, quas in augendis fortunis hactenus collocasti: siquidem eas opes comparasti, quas optabas. Noli, quæso te, Ummidium imitari; quis fuerit paucis; ne molestus sim, dicam. Ita dives erat ut pecuniam non, quo cæteri, modo, numeraret, sed ejus acervo plenis modiis metiretur: idem eò usque avarus, ut non lautiorem quàm infima mancipia

85. *Oderunt.* Amamus eos per quos nobis bene est: quod cùm avarus, nisi moriens præstare non possit, eum omnes mori optant.

90. *Asellum.* Asini sunt indociles et eximiæ tarditatis: itaque parum idonei, qui regantur fræno, qui currant per campum.

95. *Ummidius.* Torrentius legit *Vinidius*, et ita scriptum

Ut metiretur nummos; ita sordidus, ut se
Non unquam servo meliùs vestiret; ad usque
Supremum tempus, ne se penuria victûs,
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.
Quid mì igitur suades? ut vivam Nævius? aut sic
Ut nomentanus? Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere. Non ego, avarum
Cùm veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.

cultum ac vestes sumeret : interim gravi dies noctesque angebatur metu, ne inediâ confectus aliquando interiret. Is demum à libertâ quâdam suâ interemptus est, quæ nihilò minùs audax, quàm Tyndari filia, illum in duas partes dimidias impactâ securi diffidit. Quem igitur esse me jubes, Horati? nempe Nævio similem, aut Nomentano? At tu, pessimè ratiocinari pergis, ac duo admodum diversa et disjuncta conjungis. Cùm te ab avaritiâ deterreo, non tibi continuò auctor sum, ut profusè ac luxuriosè vivas : inter hæc duo extrema et contraria, aliquid medium est, ut inter Tanaïm et Visellii socerum. Est certa rebus in omnibus mediocritas, certi limites, quos si vel prætergrediare, vel non attingas, rectè atque honestè nequeas vivere. Sed eò revertor, unde sum digressus, et miror, simulque indi-

esse in omnibus suis codicibus affirmat.

99. *Liberta.* Serva donata libertate, sui juris facta.

100. *Tyndaridarum.* Tyndaridæ, liberi sunt Tyndari, nempe Castor, Pollux, Helena et Clytemnestra. Quorum omnium fuit eadem mater, Leda videlicet; Tyndari, Oebaliæ regis, in Græciâ, uxor: sed Pollucis et Helenæ pater fuit Jupiter; Castoris verò et Clytemnestræ, Tyndarus. Lib. I. Od. 3. pag. 11. ver. 2. Porro cùm rediret è bello Trojano Agamemnon, ab Ægystho et uxore suâ Clytemnestrâ, in ipso domûs suæ limine, est interfectus.

101. *Nævius.* Aut, ut aliqui legunt, *Mœnius,* homo fuit profusus ac luxuriosus; itidem ut Nomentanus.

103. *Frontibus adversis.* Directò, è regione, opposita et pugnantia. Sensus est : *vous passez tout d'un coup d'une extrémité à l'autre.*

Componere. Committere, comparare; aliud ex alio inferre; quasi hæc duo essent affinia, et qui avarus non sit eum esse oporteat prodigum ac nepotem.

104. *Vappam.* Vappa propriè est vinum fugiens et acescens : *du vin tourné, qui s'est aigri, qui a perdu sa force.* Metaphoricè dicitur de ganeo-

Est inter Tanaïm quiddam socerumque Viselli.
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Illuc, unde abii, redeo. Nemon' ut avarus
Se probet, ac potiùs laudet diversa sequentes?
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat? neque se majori pauperiorum
Turbæ comparet? hunc atq; hunc superare laboret?
Sic festinanti semper locupletior obstat;
Ut, cùm carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Præteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit ut rarò, qui se vixisse beatum

gnor, quòd nemo sit avarus, quem suæ sortis et conditionis non pœniteat, qui non alienam præponat suæ: quòd dolore conficiatur, cùm vicini capellas videt habere pleniora lactis ubera, quàm suas; neque id reputet secum ac perpendat, multò plures esse pauperes, quos opibus antecedit, quàm divites à quibus vincitur: quòd modò hunc, modò illum conetur, anteire, atque ad majores quotidie opes anhelans, ægrè ferat occurrere sibi semper aliquem ditiorem, à quo inhibeatur et antevertatur: haud secus atque agitatores equorum in Circo, ubi semel è carceribus emissi fuere currus, omni ope atque operâ conantur, equos à quibus superantur assequi et præterire: parum de iis quos reliquerunt, quique postremo currunt loco, solliciti. Omnino hæc libido et vitiosa cupiditas amplificandæ magis in dies rei et conditionis suæ; in causâ est cur vix invenire possimus hominem, qui se, post decursum vivendi spatium, felicem vixisse dicat, ac de vita tanquam de lauto convivio

ne ac libidinoso, qui nullius pretii ac frugis est.

105. *Tanaïm.* Libertum, ut aiunt. Mæcenatis, hominem, ut apparet, sumptuosum ac lautum: cui dissimilis planè esset socer Visellii; homo videlicet præparcus ac sordidus.

108. *Nemon' ut avarus.* Id est: quam misera et deploranda sors avarorum est, qui sibi nunquam placent? etc. Rectè Comicus Poëta: *non est beatus, esse qui non putat.*

114. *Carceribus.* Carceres in Circo dicebantur ea repagula, unde primum in patentem campum emittebantur currus; et eodem simul tempore spatium decurrere incipiebant, *les barrières.*

Ungula. Equi solidis ungulis præditi.

Dicat, et exacto contentus tempore vitæ
Cedat, uti conviva satur, reperire queamus.
Jam satis est : ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non ampliùs addam.

satur, demigret. Sed finem hîc dicendi facio, ne me Crispini lippi ac loquacis Commentarios suffuratum esse arbitreris.

120. *Crispini.* Philosophi Stoïci, et Poëtæ non optimi : de quo sæpè alias meminit.

121. *Compilasse.* Compilare, vulgò significat, suffurari clam, fraudare.

SATYRA II.

Dum improbi vitia quædam fugiunt, incidunt in contraria.

AMBUBAIARUM collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne

SOdalitates tibicinarum, unguentarii, mendici, ludicrarum actores fabularum, scurræ ac parasiti, tota denique hæc

1. *Ambubaiarum.* Facta vox, ut eruditi, Lambino teste, volunt à Syro vocabulo *Ambub*; quod tibiam significat, et *Baiæ*, qui locus in orâ Campaniæ Italicæ amœnissimus, ubi choraulæ et musici frequentiores erant. Mulieres quasdam non optimæ famæ fuisse Porphyrio, interpres Horatii vetus, censet, quales fere sunt mimæ et ludiæ. Alii vocem hanc derivant à voculâ *am*, vel *amb*, quæ in compositione apud Latinos significat circum, à Græco *ἀμφὶς*, ut patet in ambio, quasi ambeo, circumeo; ambustus, ambarvalia, etc. Itaque Ambubaiæ, tibicinæ fuerunt, *des Joueuses de flûte*, quæ circa Baïas versarentur.

Collegia. Cœtus, sodalitates. Collegium, *un corps, une troupe.*

Pharmacopolæ. Græca vox à *φάρμακον*, *medicamentum, venenum, pigmentum*; etc. *πωλέω*, *vendo : des Parfumeurs.*

2. *Mendici.* Quidam hoc vocabulo intelligunt circulatores circumforaneos, qui objectis populo præstigiis, vel

Mœstum ac sollicitum est cantoris morte Tigellî:
Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus esse
Dicatur, metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo duramque famem depellere possit.
Hunc si percuncteris, avi cur atque parentis
Præclaram ingratâ stringat malus ingluvie rem,
Omnia conductis coëmens obsonia nummis:
Sordidus, atque animi quòd parvi nolit haberi,
Respondet. Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappæ famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in fœnore nummis.

hominum natio angitur de Tigellii Hermogenis musici præclari obitu, ac vehementer dolet. Homo videlicet liberalis ac munificus erat. Contra vero multos videas, qui, ne dicantur prodigi, recusent ea largiri suis amicis egentibus, quæ sunt ad frigus famemque propulsandam necessaria. Alium quempiam si roges, cur amplas opes sibi ab avo et patre relictas fœdis comessationibus abliguriat, atque in eam rem assiduè numeros à fœneratore accipiat: hoc responsi dabit, metuere se ne avarus et angusti animi esse videatur. Hujusmodi hominem alii laudant, alii vituperant. Fufidius, licet habeat opima prædia, licet quæstum ingentem dandis fœnori nummis faciat, nihilominus metuens ne malè prodigus ac profusus existimetur, augere opes omni arte satagit. Quapropter, cùm pecuniam fœnori dat, non unum, ut vulgò fit, pro centenis, nummum in

recitandis næniis, stipem colligebant, *des Charlatans.*

Mimæ. Mimus hominem significat qui alios scurriliter imitatur, à Græcâ voce μιμέομαι, *imitor:* quales sunt histriones, qui motibus inconditis risum movent: *des Bâteleuses, des Joueuses de farces.*

Balatrones. Balatronis similes. Erat Balatro, scurra famosus et parasitus, de quo meminit Poëta Lib. II. Satyrâ ultimâ: à quo hujusmodi famæ homines appellati sunt balatrones.

3. *Tigelli.* Tigellius, natione Sardus, artis Musicæ peritus, et scurra non inficetus: quibus artibus C. Julio Cæsari et ipsi Augusto jucundus fuit, magnasque collegit opes, quas malè profudit.

Ingratâ. Sordidâ, turpi.

Stringat rem. Opes in breve cogat, id est, minuat, consumat.

Malus. Profusus, dissolutus.

9. *Conductis.* Fœnori acceptis. Nummi enim pro quibus merces et usura solvitur, quasi conducuntur.

Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque,
Quantò perditior quisque est, tantò acriùs urget.
Nomina sectatur, modò sumptâ veste virili,
Sub patribus duris, tironum. Maximè, quis non,

singulos menses exigit, sed totos quinque nummos in antecessum sibi detrahit è summâ pecuniæ, quam mutuò dat. Idem ut quisque est maximè profligatus et luxu perditus, ita illi acerrimè instat, ipsumque gravioribus usuris mactare ac perdere molitur. Imprimis verò studet fœnerari adolescentibus, qui nuper virilem togam induerunt, et sunt in avarorum patrum potestate. Quæ quidem audire flagitia nemo potest, quin

14. *Quinas mercedes.* Quinas usuras centesimas, *il prête son argent à cinq pour cent par mois.* Merces pro usurâ hîc sumitur, est enim usura pretium quoddam et fructus pecuniæ mutuò datæ. Quina usura erat, cùm quinque pro centum dabantur singulis mensibus fœnatori. Nam solvebant usuram singulis mensibus. Hoc verò fœnus erat improbissimum, quia exacto vicesimo mense æquabat sortem, sive caput, id est, summam pecuniæ totam, pro quâ pendebatur usura. Non levis, nec rara tamen, erat apud Romanos alia usura, quæ centesima dicebatur, quia centesimo mense sortem æquabat, et unum pro centum dabatur singulis mensibus, ac proinde duodecim, singulis annis. Redit ad denarium ut Galli vocant, octavum, *au denier huit,* quia post annos fere octo, usuræ æquabant sortem, octies enim duodecim nummi conficiunt nummos centum, minùs, quatuor. Iste Fufidius non unum quot mensibus nummum, sed quinque sibi poscebat, eosque de summâ principe, quam dabat mutuò, detrahebat, exscindebatque, ita ut fœnus ipsum haberet persolutum eo ipso tempore quo pecuniam mutuam daret : *il se paie par avance sur la somme qu'il prete.*

16. *Nomina.* Usurpatur ea vox, et pro eo quod nobis debetur, et pro eo quod aliis debemus : nimirum et creditor et debitor referebant in codicem, hic nomen creditoris, ille debitoris; et uterque facere nomina dicebatur.

Veste virili. Pretextam gerebant pueri usque ad annum ætatis 17. quo togam virilem sumebant, quæ pura quoque ac libera dicebatur, quia et candida erat et majoris initium libertatis.

17. *Sub patribus duris.* Avaris, parcis : *trop ménagers.*

Tironum. Sic vocabantur adolescentes qui positâ recèns prætextâ, eloquentiæ tirocinium quoddam inchoabant, auspicabanturque forenses actiones ; deducebantur illi in

Jupiter, exclamat, simul atque audivit? At in se
Pro quæstu sumptum facit hic. Vix credere possis
Quàm sibi non sit amicus; ita ut pater ille, Terentî
Fabula quem miserum nato vixisse fugato
Inducit, non se pejus cruciaverit atque hic.
Si quis nunc quærat, quo res hæc pertinet? illuc:
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.
Nil medium est.

continuò exclamet facinus esse indignissimum, quin Jovem ipsum maximum Fufidio iratum infensumque optet. Saltem, inquies, iste Fufidius lautè ac liberaliter, se tractat, ut hominem decet, qui tantùm lucri ex iniquo fœnore faciat. Imò verò, vix credas quam parcè vivat ac duriter; adeo ut ille pater infelix, qui in Terentii Comœdiâ inducitur seipsum crucians ac macerans, eò quòd filium suum fugere paternâ domo compulerit, non graviores, quàm Fufidius, à seipso pœnas repetierit, ac se duriùs habuerit. Quod si quis nunc sciscitetur, quorsum hæc edisseram: nimirum id ago ut ostendam stolidos homines, dum ab aliquo vitio longiùs refugiunt, incidere in vitium oppositum. Sic Rufillus, dum ne malè oleat cavet, totus pastillis et ascitis odoribus scatet: contrà Gorgonius, dum putidam hanc elegantiam fugit, ac nimis bene olere non vult, totus immundus, ac squalidus, totus hirco fœtente olidior est. Ita nemo in medio, in quo virtus consistit, hærere novit.

forum non sine celebritate atque pompâ, ut eruditè ostendit Torrentius.

18. *In se.* Sumptum in se facere est, ea emere quæ sunt ad victum cultumque necessaria.

20. *Pater ille.* Menedemus à Terentio vocatur; à Menandro autem, Poëtâ Græco, unde hanc fabulam Terentius sumpsit, quam Latinis versibus efferret appellatur; Ε'αυτὸν τιμωρέμενος, *seipsum puniens.* Quæ voces in unam conflatæ nomen Fabulæ toti et Comœdiæ fecerunt, ut Heautontimorumenos vulgò diceretur. Ille Menedemus Cliniam filium suum duriùs habuerat, ita ut odio patris victus adolescens abiret Athenis in Asiam militatum. Ubi filii fugam cognovit pater, ut quasi suâ culpâ factum foret, adeo ægrè tulit, ut se luctu et labore conficere cœperit, perinde ac si absenti filio supplicium dare de seipso vellet. Vide plura in Terentio nostro.

25. *Pastillos.* Sunt massæ quædam rotundæ, in modum exigui panis confectæ, ex odoratis rebus compositæ, quas inferebant ori, ut halitus esset

suavis et bene olens. *Pastilles*, *pâtes odoriférentes*.

Hircum. Non modò significat ea vox animal satis notum, *un bouc*, sed etiam gravem odorem et virulentum, qui sub axillis esse consuevit, præsertim in hominibus rufis, et recoctâ bile abundantibus; olere hircum, *sentir mauvais*. Pastillos olere, *être parfumé*.

SATYRA III.

In alienis vitiis lyncei sumus, in nostris cæci. Multa sunt amicis comiter ignoscenda, neque peccata omnia in scelerum ponenda sunt numero, ut Stoici delirant.

OMNIBUS hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare, rogati;
Injussi nunquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Cæsar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris, atque suam, non
Quidquam proficeret; si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala iteraret, Io Bacche, modò summâ

LAborant hoc vitio quicumque artem canendi callent, ut canere si rogentur ab amicis nunquam exorari se sinant; si nemo roget, canendi finem nullum faciunt. Hoc vitio insigniter laborabat ille Tigellius; è Sardiniâ oriundus. Hunc Augustus Cæsar, qui cogere pro imperio poterat, si rogasset, ac per suam, perque Julii Cæsaris, erga ipsum benevolentiam, invitasset ad cantandum, nihil ab illo impetrare potuisset. Sin

3. *Sardus.* Sardoïs; oriundus è Sardiniâ, *la Sardaigne*, insulâ maris Mediterranei, ad Occidentem Italiæ.

4. *Tigellius.* Quis ille fuerit dictum Satyrâ superiori. Ab ejus insectatione captat hujus Satyræ occasionem, adversarium sibi quemdam veluti è mediâ audientium turbâ fingens, qui interroget, an ipse qui Tigellium carpat, ab omni vitio sit immunis. Cui mox ipse satisfacit perhumaniter, ac docet quæ clementia sit in amicos et comitas adhibenda.

5. *Patris.* C. Julii Cæsaris, qui Octavii avunculus, naturâ, adoptione verò pater fuit.

6. *Ab ovo, etc.* Ab initio mensæ usque ad finem. Ducebant cœnam ab ovis, finiebant pomis et fructibus.

7. *Io Bacche.* Videtur ini-

Voce, modò hâc resonat chordis quæ quatuor ima.
Nil æquale homini fuit illi. Sæpè velut qui
Currebat fugiens hostem; persæpè velut qui
Junonis sacra ferret. Habebat sæpè ducentos,
Sæpè decem servos: modò reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens: modò, sit mihi mensa tripes, et
Concha salis puri, et toga, quæ defendere frigus,
Quamvis crassa, queat. Decies centena dedisses

autem canendi libido incesserat hominem, tum verò illum audisses modò acutâ, modò depressâ voce cantatem, ab initio cœnæ usque ad finem, Io Bacche, aut aliquam hujus generis cantinelam. Nullâ in re constabat sibi: sæpè vidisses currentem, haud secus ac si persequentem hostem fugeret; sæpè lento et composito incedentem gradu, quo ingredi modo solent, qui fercula et sacra vasa Junonis ferunt in solenni pompâ aut supplicatione; modò familiam habebat è ducentis compositam mancipiis, modò è decem duntaxat; nunc se regibus et dynastis æquiparans, magnificè loquebatur ac splendidè: nunc parcimoniam ac frugalitatem præ se ferens, mihi verò, inquiebat, abunde est, si tripedem habeam domi mensam et

tium fuisse alicujus cantilenæ vulgò tunc notæ, quam potores solerent cantitare.

8. *Modò hâc*, etc. Voce, sono, qualis est ultimæ seu infimæ chordæ, in quatuor chordarum citharâ. Vel hâc voce, quæ consonat et respondet, αντηχεῖ imæ, chordæ, in lyra: *tantôt en chantant le Dessus, et tantôt en faisant la Basse.* Censet Lambinus Tigellium uno tempore, et voce et fidibus cecinisse.

9. *Æquale.* Potest exponi: mediocre, temperatum.

11. *Junonis sacra.* Qui fercula, et tensas, aliaque id genus ferunt humeris, in aliquâ pompâ et supplicatione, lento et composito gressu incedunt. Per illa porro sacra intelliguntur vasa quædam sacrificiis Junonis destinata, calathi, corbes, etc. *Porter en cérémonie les corbeilles de Junon, les vases destinés aux sacrifices de Junon.*

12. *Tetrarchas.* Dynastas, sive principes, qui quartam regionis alicujus partem obtinent τέτραρα *quatuor*, ἀρχῆ, *ditio principatus.*

13. *Loquens magna.* Gloriosè prædicans, quasi qui illos nosset, iis uteretur familiariter, eos imitari vellet, etc.

14. *Concha.* Salis vasculum è conchâ, id est, pisciculi testa, factum, *une salière faite d'une coquille.*

15. *Decies centena.* Subaudi sestertia, quorum singula

Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Manè; diem totum stertebat. Nil fuit unquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi, quid tu?
Nullane habes vitia? Imò alia, et fortasse minora.
Mænius absentem Novium cùm carperet: heus tu,
Quidam ait, ignoras te? an, ut ignotum dare nobis
Verba putas? Egomet mì ignosco, Mænius inquit.
Stultus, et improbus hic amor est, dignusque notari.
Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,

salinum non immundum, cum togâ quantumvis crassâ, modò propulsare frigus possit. Hic tamen vir frugalis, et parvo contentus, si pecuniæ vim ingentem abs te accepisset, totam diebus quinque dilapidasset. Totas noctes vigil traducebat, dormiebat interdiu. Quid plura? nemo unquam fuit tam dissimilis sibi ipsi, tam inæqualis. Hic aliquis mihi dixerit: quid tu, Horati, qui Tigellium tam malignè ac prolixè carpis, nullo-ne tandem vitio laboras? Ego verò et pluribus aliis, et fortasse gravioribus vexor: neque ea condonari mihi peto, uti faciebat Mœnius, qui cùm de absente Novio detraheret, nonnemo ex astantibus sic illum increpuit: ô bone, an tute tibi es ignotus? aut speras nos fallere ac latere? novimus qui sis: cui Mœnius; Bona verba, inquit, novi me, ac mecum ago benigniùs, et mihi metipse parco. Stultè profectò facit, ac probo dignus est, qui seipsum sic amat. Cùm in vivendis tuis vitiis parum acutus, ac prope lippus sis, cur in ami-

valent libras centum Turonicas, ut loquuntur Galli. Itaque decies centena sestertia conficiunt centum millia Francorum, ut vocant, seu Francicorum nummorum.

17. *In loculis.* In crumenâ. Loculus, arcula, marsupium.

21. *Mænius.* Famosus nepos et scurra, qui ex amplissimo patrimonio, quod totum in commessationes profudit, nihil excepit sibi ac reservavit, præter unam columnam unde ludos gladiatorios spectaret: quæ postea *columna Mœnia* vocata est.

22. *Dare verba.* Est fallere; multa polliceri, nihil prestare.

25. *Inunctis.* Humore viscoso turbidis, qui ex oculis lippientium defluit, et aciem oculorum oblimat: vel, inunctis ac delibutis collyrio, quod oculis, medicamenti loco, imponatur.

26. *Acutum.* Pro acutè. Neutrum sæpè pro adverbio ponitur.

Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? At tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
Iracundior est paulò, minùs aptus acutis
Naribus horum hominum; rideri possit, eò quod
Rusticiùs tonso toga defluit, et malè laxus
In pede calceus hæret; at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam: at tibi àmicus, at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore: denique teipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala: namque

eorum peccatis dispiciendis oculos habes æquè acres et perspicaces atque aquila, aut ille draco quem nostri majores Epidauro advexerunt? Nempe inde fit, ut alii vicissim in tuos mores inquirant. Est aliquis stomachosus et ad iracundiam pronior, ideoque congressibus hominum dicacium, uti nunc plerique sunt, et facetorum, minùs est idoneus; ut qui eorum sales et jocos ferre minimè possit: idem ridendi ansam meritò præbet, adeo coma est inscitè tonsa, vestis inconcinnè composita, et malè pendens; calcei laxiores, et pedibus vix hærentes. Esto sanè, at est eximiæ vir probitatis, vix ut reperire sit quempiam eo meliorem: at amicus tuus est: denique cultissimum ingenium sub istá incultá et agresti corporis specie delitescit. Demum te ipse inspice, ac scrutare, annon vitiis etiam aliquibus labores, quæ insita tibi fuerint à naturá,

27. *Aquila.* Dracones et aquilæ habere oculos perspicacissimos dicuntur. Quid quod dracones nomen habent à δρακεῖν, quod verbum sonit *vadere.* Quâ ex causâ incubantes eos thesauris, custodiæ causâ, finxerunt antiqui, inquit Festus.

Epidaurius. Epidaurus civitas erat Græciæ, celeberrima templo Æsculapii, medicorum præsidis Dei. Romani vastante urbem pestilentiâ, jussi sunt ab oraculo Æsculapium Romam advehere. Itaque triremem cum legatis miserunt Epidaurum. At cùm Epidaurii simulacrum Dei sui tradere cunctarentur, fama est ingentem anguem ad Romanam triremem adnatavisse, ac se in puppi complicuisse in gyrum: quem illi Æsculapium arbitrati, magnâ cum veneratione Romam advexerunt. Sacer Æsculapio serpens fuit, quia medicos oportet esse oculatissimos.

29. *Acutis.* Qui acutiore et longiore sunt naso, dicaces esse perhibentur.

30. *Naribus.* Qui queinpiam

Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc prævertamur : amatorem quod amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipsa hæc
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnes.
Vellem in amicitiâ sic erraremus, et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At, pater ut nati, sic nos debemus amici,
Si quod sit vitium, non fastidire. Strabonem
Appellat pætum pater ; et pullum, malè parvus
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim

Vel pravâ consuetudine inoleverint, qualia solent iis inesse bene multa, qui de animo excolendo non magnopere solliciti sunt, ut paliuri et filices in arvis incultis affatim progerminant. Sed antequam tamen tua excutiamus vitia, mecum reputes velim quàm cæsi esse soleant amatores, et quàm facilè fœminarum quas amant, nævi, etiam fœdissimi, fugiant ipsorum oculos, imo, etiam illis placeant. Sic Hagnen turpi polypo laborantem amat Balbinus, ac mulieris formam prædicat. Utinam errore pari amicorum nostrorum vitia vel nesciremus, vel laudaremus ! et error iste præclarum virtutis alicujus nomen obtineret! Age, cur in amicitiâ non imitabimur parentum facilitatem et indulgentiam in vitiis liberorum, si quas sunt, ferendis ac dissimulandis ? Si quis pater strabonem habet filium, pœtum vocitat ; si habet exiguâ staturâ præditum, qualis fuit olim ille Sisyphus, ante solitum tempus in lucem editus, pul-

irrident, naso plurimum utuntur, sive illum corrugent, sive attollant ; sive etiam eo sonum edant.

37. *Filix.* Herba inutilis, in agris incultis vulgò fruticans, *de la fougère.*

38. *Prævertamur.* Præverti, est antevertere, priùs venire, occupare ; priori loco facere quidpiam aut loqui.

40. *Polypus.* Narium est morbus, cum carunculâ naso innascitur, fibris variis tanquam pedunculis prorepens, interdum extra nasum : sic dictus à polypo pisce : qui multos pedes habet, πολὺς, *multus*, πȣς, *pes* ; πολύπους, *polypus.*

44. *Strabonem.* Is est qui oculos habet distortos : *qui a les yeux tournés.* Pætus qui nictantes, semiclausos, tremulos, et leviter declinatos, *qui regarde un peu de côté, qui est un peu louche.* Quocirca Strabonis vitium multò est deformius, quàm Pæti.

45. *Pullum.* Quasi pusillum : exiguum : *un homme de petite taille.* Legit Heinsius, *Putum.* Putus idem est ac pusillus.

46. *Abortivus.* Ita dicitur, fœtus malè natus ; ante soli-

Sisyphus; hunc, varum, distortis cruribus; illum
Balbutit scaurum, pravis fultum malè talis.
Parciùs hic vivit, frugi dicatur. Ineptus:
Et jactantior hic paulò est: concinnus amicis
Postulat ut videatur. At est truculentior, atque
Plus æquo liber; simplex, fortisque habeatur.
Caldior est, acres inter numeretur. Opinor,
Hæc res et jungit, junctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis

lum dictitat : si distortis cruribus deformem , varum appellat. Illum vero qui talis infirmioribus insistere vix potest, scaurum fractâ et tremulâ voce nominat. Ad hunc igitur modum et nos, si amicus nimio parcimoniæ studio genium defraudat , dicamus illum esse virum frugalem et temperantem, si est parum consideratus , intempestivè multa et præpostere agens , se ac sua venditare solitus ; nempe , inquiemus , amicos oblectare , lepidus et elegans videri studet. Sin contra , est ferocior , et atrocior, qui nihil dissimulare, nihil reticere noverit; hoc sinceri et generosi animi esse censeamus. Est iræ impotentior; numeretur inter eos, qui acri et vivido sunt ingenio. Nimirum hâc arte, ut ego quidem existimo , et multorum nobis amicitiam adjungemus, et adjunctam retinebimus. At nos è contrario ipsas amicorum virtutes, vitiorum nomine donamus; ac perinde facimus, ut qui puro vasi et mundo turpe tectorium et crustam sordidam induceret. Familiaritate et convictu nobis

tum tempus editus , informis.

47. *Sisyphus.* Nomen est pueri hoc in loco. Is Antonii Triumviri pumilio, etsi ætate aliquantùm provectus , duos tamen pedes magnitudine non æquabat : cæteroqui vafer et subdolus : quamobrem dictus est Sisyphus : quo nomine appellatus fuit olim Æoli filius, homo astutissimus. Lib. II. Od. XI. pag. 127. ver. 20.

Hunc varum. Varus dicitur, qui introrsum curvis contractisque est cruribus, *qui a les jambes courbées en dedans, qui marche les pieds et les genoux en dehors.* Scaurus, qui talos habet extantes , vel inversos : ac tortuosos, *qui ne se tient pas ferme sur les talons, qui a la cheville du pied mal tournée.*

50. *Jactantior.* Galli vocant *un fanfaron, un homme qui se fait valoir.*

51. *Truculentior.* Ferocior, *brusque, violent, qui ne ménage personne.*

56. *Vas incrustare.* i. e. vitioso vel impuro succo aut tectorio inquinare, deformare :

Nobiscum vivit; multum demissus homo; illi
Tardo cognomen pingui damus. Hic fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum;
Cùm genus hoc inter vitæ versetur, ubi acris
Invidia, atque vigent ubi crimina, pro bene sano,
Ac non incauto, fictum astutumque vocamus.
Simplicior quis et est, qualem me sæpè libenter
Obtulerim tibi, Mæcenas, ut forte legentem,
Aut tacitum adpellet, quovis sermone molestus:
Communi sensu planè caret, inquimus. Eheu,
Quàm temerè in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut æquum est,
Cum mea compenset vitiis bona: pluribus hisce,
Si modò plura mihi bona sunt, inclinet, amari

conjunctus est quispiam vir frugi, et minime malus; videtur nobis homo animi angusti et abjecti: quem paulo segniorem cernimus, hunc hebeti et obtuso prorsus ingenio esse clamamus. Iste cautior est, et contra omnes insidias ac fallacias septus munitusque, cùm inter eos homines versari se intelligat, qui bonis invidere, et innocentes criminari solent; pro cordato et prudente, simulatorem et vafrum appellamus. At si quis apertior, neque ita prudens fuerit, qualis ego tibi, Mæcenas, videri sæpè potui, qui amicos vel legentes quidpiam, vel tacitos ac meditantes, interpellet alieno tempore quidlibet garriendo. Ille verò, inquiemus, communis planè sensûs est expers; Quàm inconsulti sumus! Dum enim tam iniquè cum amicis agimus, eamdem in nos ipsos legem statuimus; quandoquidem nemo nostrûm purus est ab omni labe vitiorum, isque optimus demum censeri debet, non qui nullis, sed qui paucioribus vitiis premitur. Amicus prudens et commodus. si à me diligi velit, ita mecum agat, ut virtutes quæ in me sunt, cum vitiis comparans, hæc illis, ut rationi consentaneum est, compenset; hac si quidem vitia pauciora sunt virtutibus, potiùs mihi propter istas faveat, quàm

gâter un bon vase par un méchant vernis.

58. *Tardo.* Potest aliquis esse tardior, *lent*, *paresseux*, quia cautus est ac prudens.

59. *Nulli malo.* Nulli fraudi ac periculo.

61. *Crimina.* Crimen pro criminatione et accusatione sæpè sumitur.

71. *Inclinet.* Ita ut præponderent meæ virtutes, et quasi amicum ad amorem rapiant, ut pondus majus in trutinâ at-

Si volet; hâc lege in trutinâ ponetur eâdem.
Qui ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscat verrucis illius. Æquum est
Peccatis veniam poscentem, reddere rursus.
Denique, quatenus excidi penitus vitium iræ,
Cætera item nequeunt stultis hærentia: cur non
Ponderibus, modulisque suis ratio utitur? ac res,
Ut quæque est, ita suppliciis delicta coërcet?
Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus,
Semesos pisces, tepidumque ligurierit jus,
In cruce suffigat, Labeone insanior, inter

propter illa me oderit. Id si faciet, non minùs æquum ipsi me, et indulgentem præstabo, iisdemque illum ponderibus æstimabo. Qui grandiora, tuberum instar, vitia sua condonari sibi vult ab amico, is profecto debet leviora, et similia verrucis amici vitia æquo animo ferre. Quam quisque ab alio veniam postulat, eam tribuat illi vicissim par est. Ad extremum, quoniam neque iracundia, neque cætera vitia, hominibus perfectam illam sapientiam nondum adeptis, insita extirpari omnino queunt, nonne toleranda sunt? nonne si reprehendi corrigique interdum debent, videndum est, ut ea ponderemus exigamusque ad leges rectæ rationis, et pro cujusque gravitate aut levitate pœnas illis irrogemus? Si herus in crucem agat servum, qui cautinum è mensâ jussus auferre, pisces dimidiâ jam ex parte comesos delibarit extremis digitis, et carpserit, aut de condimento quidpiam leviter exsorbuerit, meritò succensebunt homini tam sævo quicumque sapiunt, et Labeone

tollit pondus levius, lancemque suam deprimit.

73. *Tuberibus.* Vitiis majoribus. Tubera *de grosses bosses:* verrucæ, *des porreaux.*

76. *Denique, etc.* Novam affert rationem, cur dissimulare, vel tolerare amicorum vitia debeamus, quia scilicet extirpari penitus nequeunt, ita ut apponendum sit lucro, si levia sint. Ex eâ porro delictorum levitate occasionem arripit carpendi Stoicum dogma de peccatorum æquilitate.

77. *Stultis.* Vitiosi, è Stoicorum placitis, dicuntur proprio nomine, stulti.

81. *Ligurierit*, leviter exsorbuerit. Ligurire, est delicatè, paulatim, et fere cum fastidio delibare, exsorbere, lambere.

82. *Labeone.* Marcus Antistius Labeo, Jurisconsultus, peritus ille quidem, at antiquitatis tenacior fuit, atque idcirco severior et austerior; idem Augusto parum gratus.

Sanos

Sanos dicatur. Quantò hoc furiosus, atque
Majus peccatum est? paulùm deliquit amicus:
Quod nisi concedas, habeare insuavis, acerbus:
Odisti, et fugis, ut Rusonem debitor æris;
Qui, nisi cùm tristes misero venêre Kalendæ,
Mercedem, aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.
Comminxit lectum potus, mensâve catillum
Evandri manibus tritum dejecit; ob hanc rem
Aut positum ante meâ quia pullum in parte catini

insaniorem judicabunt. At quantò nequior sis et amentior, si ob delictum leve, quodque condonare debeas, nisi invisus aliis esse ac sævus meritò dici velis, si, inquam, ob ejusmodi culpam oderis amicum, eumque perinde averseris, uti Rusonem fugiant debitores, qui, nisi usuram pro pecuniâ quam ab eodem mutuam accepère, aut adeo, pecuniam ipsam et sortem quoquo modo quæsitam, inveniant ac repræsentent ipso Kalendarum die, qui dies propterea ingratus miseris illis hominibus accidit, tum coguntur, captivorum instar, ei præbere aures recitanti planè insulsas historias, quæ auditores tædio victos enecant. Egone amicum idcirco minùs amem, quod, hausto liberaliùs mero, torum deinde, in quo ad mensam accumbebat, lotio inquinaverit? vel quod vetustam paropsidem, quâ usus Evander olim fuerit de mensâ excidere passus sit ac fregerit? vel quod pullum in eâ catini quæ me spectabat parte, appositum, ob

86. *Rusonem.* Drusonem codices aliqui vocant. Carpit illum fœneratorem obiter, ut satyrici solent. Scriptitabat ille historias ineptè et ineleganter, quas tamen suis debitoribus recitabat, qui hâc audiendi patientiâ, nonnihil moræ ac spatii ad dissolvendum æs suum alienum, ab eo auferebant.

87. *Kalendæ.* Tristes appellat, quia Kalendis usura solvebatur à debitoribus.

88. *Mercedem.* Usuram.

89. *Porrecto jugulo.* Productâ cervice, ut solent qui se arrigunt ad audiendum. Vel, instar victimæ, quæ mactanda jugulum præbet: molestus enim recitator, ut ait in arte poëticâ, versu penultimo, *lectorem tenet, occiditque legendo.*

90. *Lectum.* Mensæ accumbebant jacentes in lectis.

91. *Evandri.* Evander Arcadum rex fuit, qui è Græciâ in Italiam adveniens, in Palatino monte consedit, et cum Æneâ fœdus icit, mille admodum annis antequam hæc scriberet Horatius. Virg. VIII. Æneid.

Sustulit esuriens, minùs hoc jucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, furtum si fecerit? aut si
Prodiderit commissa fide? sponsumve negarit?
Queis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cùm ventum ad verum est: sensus, moresque repugnant,
Atque ipsa utilitas, justi prope mater et æqui.
Cùm prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter,
Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus:
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenêre. Dehinc absistere bello,
Oppida cœperunt munire, et ponere leges,

famem avidior, sibi sumpserit? Quasnam ergo pœnas ab ipso repetam, si me expilaverit, si commissum fidei suæ arcanum evulgaverit, si rem solenni stipulatione promissam inficiatus sit? Sunt quidem philosophi, qui peccata omnia esse paria ferme doceant: at hi difficile se expediunt, vixque opinionem hanc suam tueri possunt, cùm ipsa rei veritas accuratiùs exquiritur: quippe adversantur ipsis mores hominum, consuetudo vitæ, communisque sensus; denique societatis humanæ bonum, ex quo leges et jura videntur esse nata. Olim, cùm recens adhuc esset in recenti terrarum orbe genus animalium, tunc homines, instar pecudum inculti ac muti, propter glandem, quá vescebantur, aut propter latibula quædam et antra, in quibus degebant, certaverunt inter se primùm unguibus, ac manibus in pugnum contractis, deinde baculis, deinde armis ferreis, quæ in istos usus procudere didicerunt. Mox rerum vocabula, quibus animi sui sensa eloquerentur, excogitavêre, ac suum cuique rei nomen imposuêre. Postea omissis bellis ac ferinis illis dimicationibus, urbes mœnibus cingere, firmare propugnaculis, cœperunt; ad extremùm constituerunt leges, quibus cautum

95. *Commissa fide.* Suæ fidei commissa. Dandi enim casus in hâc declinatione exibat olim in *e*, et genitivus aliquando. Sic Virgilius *horas die*, dixit, pro, *diei horas*. I. Georg. ver. 208. *Libra die somnique pares ubi fecerit horas.*

96. *Queis, etc.* Stoïci docebant omnia peccata esse paria: quod argumentum toto Paradoxo tertio tractat fusè, ac probare nititur Marcus Tullius; quem tu consule.

Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam mulier teterrima belli
Causa; sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos Venerem incertam rapientes, more ferarum,
Viribus editior cædebat ut in grege taurus.
Jura inventa metu injusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
Nec natura potest justo secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis.
Nec vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet, idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus sacra Divûm legerit. Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Ne scuticâ dignum, horribili sectere flagello.

esset, ne quis alienam rem aut clam furto, aut palam apertâ vi, raperet; ne adulterio torum alterius temeraret. Etenim ante Trojanum etiam bellum et Helenæ raptum, sæpè amor turpis atque insanus bellorum causa fuit: sed nobis ignoti propter vetustatem sunt, qui primis illis temporibus, dum, pecudum ritu, promiscuè libidini suæ indulgent, à fortioribus interfecti cecidere, sicut inter tauros in armentis contingit. Itaque si primam mundi ætatem et rerum originem repetere velimus, ita comperiemus, leges ac jura idcirco reperta esse, ut hominum injustitiam vimque comprimerint. Non enim hoc natura intelligit per se se, nec docet an hoc vel illud æquum iniquumve sit: quemadmodum per se se ac sola distinguit, ac demonstrat quæ cuique animali bona et utilia sunt, tum quæ mala et noxia, docetque hæc fugere, illa sectari. Cæterum nullâ ratione bonâ effici potest ac probari; eum tam graviter delinquere, qui olera in vicini horto furatus sit, quàm qui sacram supellectilem è templo noctu abstulerit. Proinde statuatur lex, et norma, quæ pares

106. *Fur.* Hoc differt à latrone, quòd iste palam, et per vim rapiat: fur, clam et astu.

110. *Editior viribus.* Altior, superior.

115. *Vincet.* Probabit, persuadebit.

117. *Legerit.* Legere interdum est decerpere, furari. Hinc sacrilegus.

119. *Scuticâ.* Lorum est simplex. Flagellum verò pluribus et gravioribus loris constat. Flagelli vocabulo, major quædam pœnæ atrocitas, atque indigna homine libero, exprimitur.

Nam ut ferulâ cædas meritum majora subire
Verbera, non vereor: cùm dicas esse pares res
Furta latrociniis, et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus, et solus formosus, et est Rex:
Cur optas quod habes? non nosti quid pater, inquis,
Chrysippus dicat: sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit: sutor tamen est sapiens. Quo?
Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque

peccatis pœnas definiat. Noli servum, qui delictum admiserit scuticâ puniendum, flagris immitibus lacerare: non enim vereor ne verberibus et graviore supplicio dignum pœnâ leviore ac ferulâ plectas: siquidem furta quælibet latrociniis adæquas, teque in leviora peccata non minori severitate, quàm in graviora, esse animadversurum, et utraque pari supplicio, velut falce, amputaturum profiteris, si tibi unquam homines potestatem regiam deferant. Sed cur eam potestatem expetis, quam tu jam obtines? quandoquidem qui sapiens est qualem te esse existimas, idem solus dives, pulcher: sutor egregius; rex denique est. Video quid respondeas: nimirum ais ignorare me Chrysippi mentem, philosophi illius præstantissimi: sapiens nunquam crepides sibi vel calceos ille fecit: sapiens ille nihilominus rectè dicitur sutor. Quo tandem pacto, nempe, sicut Tigellius Hermogenes, quantumvis taceat, cantor tamen est ac musicus præs-

120. *Nam ut*, *etc.* Ex hoc loco apparet rectè dici posse, non vereor ut hoc facias, *je ne crains pas que vous fassiez cela*, contra vulgarem grammaticorum regulam, qui dici jubent, non vereor ne hoc facias. Harum igitur locutionum norma est ipsa loci mens, et sententiæ claritas. Nugantur qui *ut* pro *quomòdo* positum hîc volunt. Quis enim latinè unquam dixit, non vereor quomodo v. g. venias, etc. *Je ne crains pas que vous veniez.*

124. *Si dives.* Erat hoc effatum Stoïcorum, solum sapientem esse divitem, pulchrum, regem, etc. Quod illi accipiebant in eam tantum partem, ut vellent hominem sapientiâ effici regibus omnibus majorem et beatiorem.

127. *Chrysippus.* Philosophus Stoïcus, Zenonis auditor: qui sectam hanc magnopere illustravit. Pater ibi vocatur, quasi alter Stoïcorum auctor et parens: aut venerationis ergo; ut magistros et senes vocitare consuevimus.

129. *Hermogenes.* Hermogenes Tigellius: alius ab Tigellio Sardo, cujus obitus narratur initio Satyræ secundæ. Uterque insignis Musicus.

Optimus est modulator: ut Alfenus vafer, omni
Abjecto instrumento artis, clausâque tabernâ,
Sutor erat: sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex solus, sic rex. Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri, quos tu nisi fuste coerces,
Urgeris turbâ circum te stante, miserque
Rumperis, et latras, magnorum maxime Regum.
Ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum
Rex ibis; neque te quisquam stipator, ineptum
Præter Crispinum, sectabitur; et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccavero stultus, amici;
Inque vicem illorum patiar delicta libenter;
Privatusque magis vivam te Rege beatus.

tans: itemque, sicut Alfenus, ille Juris consultissimus, licèt artis sutoriæ, quam olim exercuerat supellectilem omnem projecisset, officinamque clausisset, adhuc sutor erat; sic vir sapiens cujuscumque operis artifex est optimus; itidemque rex solus. At tibi, ô regum maxime, petulantes pueri barbam procaciter vellicant; ac nisi eos abigis scipione, undique circumfusi pulsant te ac vexant, tuque interim frustra ringeris, ac prope latras miser. Demum, ne sim longior, dum tu, rex præclare, adibis balnea, lavandi corporis causâ, sine comitibus, sine regiis satellitibus, præter insulsum fortasse Crispinum; dum quadrantem, ut unus è plebeculâ, balneatori solves; amici, pro suâ indulgentiâ, mihi, si quid per imprudentiam deliquerim, condonabunt; ac vicissim ego, si quid illi peccent, æquo et libenti animo feram: atque ita, licèt homo sim privatus, te, qui Rex es, ero beatior.

130. *Alfenus.* Is oriundus Cremonâ, sutrinam artem primùm fecit, deinde Romam veniens juri civili operam dedit, ac demum Consulatum est adeptus anno U. C. 753. Hominem porro sapientem omnium artium peritum esse jactabant Stoïci, vel quia præstanti esset ingenio, et ad omnes perdiscendas apto; vel, quia virtus illi omnium rerum instar esset.

136. *Rumperis.* Clamando, irascendo. Despicatissimi erant Romæ illi philosophi, adeo ut prætereuntes à pueris irriderentur et vapularent.

137. *Quadrante.* Æreo nummulo. Quartâ parte assis, quam plebs vulgò dare solebat publicis balneatoribus, respondebatque denariolis Turonicis, ut vocamus, ferme tribus: as enim novem admodum denariolos Francicos continebat.

Satyra IV.

Satyricorum Poëtarum, ac suam præsertim in scribendo licentiam excusat.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque Poëtæ,
Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quòd malus, ac fur,
Quòd mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multâ cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,

Eupolis, Cratinus, Aristophanes, et alii Poëtæ qui veteris comœdiæ auctores ac principes extiterunt, liberè admodum arguebant, si quem deprehenderent censurâ et probro dignum ob furta, vel adulteria, vel homicidia, vel ob aliud demum scelus, propter quod malè audiret. Ad illorum imitationem totum se Lucilius composuit : hoc uno dissimilis ; quòd illi versibus iambicis, ipse hexametris fere scripsit. Homo cæteroquin festivus,

1. *Eupolis.* Poëta comicus, Græcus, tantæ apud suos existimationis et famæ, ut cùm ad militiam profectus naufragio facto periisset, publicè vetitum sit ne quis Poëta militaret.

Cratinus. Poëta iidem comicus; Athenis floruit.

Aristophanes. Ejus extant aliquot Comœdiæ; inimicitias cum Socrate exercuit, homo liberrimus in carpendis vitiis quorum sordibus suas fabulas inquinavit.

Comœdia prisca. Comœdia est poëma Dramaticum, actionem plebeiam et è quotidianâ sumptam vitâ exhibens; in quo differt à tragœdia, quæ illustrem et heroïcam actionem repræsentat. Duplex Comœdiæ quasi ætas fuit. Principio enim convicia et amari sales in obvios quosque jaciebantur, suis nominibus appellabantur homines, aut nequam, aut invisi populo : neque ulla dignitatis vel natalium ratio habebantur. Atque hæc prisca Comœdia est: cui nova ac modestior successit, in quâ fictis argumentis et personis, mores hominum et vitia describebantur, nemine nominatim appellato.

4. *Sicarius.* Sica, est ensis brevior, et incurvus : genus pugnionis.

6. *Lucilius.* Bassus cognomine : primus, aut certè præcipuus Latinæ Satyræ auctor, natus Auruncæ in Italiâ. Lege Quintil. Lib. X. Item Juven. Satyra.

Mutatis tantùm pedibus, numerisque; facetus,
Emunctæ naris, durus componere versus:
Nam fuit hoc vitiosus; in horâ sæpè ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans, pede in uno:
Cùm flueret lutulentus, erat quod tollere velles.
Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem:
Scribendi rectè: nam ut multùm, nil moror. Ecce:
Crispinus minimo me provocat: accipe, si vis,
Accipe jam tabulas: detur nobis locus, hora,
Custodes; videamus uter plus scribere possit.
Dî bene fecerunt, inopis me, quòdque pusilli

ingenio acri et sagaci præditus: verùm in condendis versibus horridior et incultior. Nam eo vitio laboravit. Nec mirum, qui præclaram rem putaret, si versus ducentos intra horæ unius spatium, in eodem vestigio insistens, et uno pede veluti nitens, funderet. In ejus tamen carminibus, licèt infabrè factis ac mendosis, aliqua erant, quæ approbares. Cæterum quæcumque; menti occurrerent, effutire consueverat, cùm scribendi laborem et moram non ferret: scribendi, inquam, rectè et accuratè: nam alioqui parum referre existimo, quàm multa quis carmina componat. Ecce Crispinum videre videor, qui minimum digitum intondens, me provocet ad certamen. Adesdum, inquit, capesis chartam, conveniamus ambo certum in locum, hora constituatur, apponantur custodes, periculum faciamus, uter nostrûm possit plures versus pangere. Ego verò maximas Superis gratias habeo, quòd animum mihi angustum ac timidum tribuerint, quò sit ut

8. *Emunctæ naris.* Sagax, acutus ad mores hominum sentiendos. Nasus judicii symbolum est. Ut autem qui emunctas nares habent, facilè odores olfaciunt, ita qui valent prudentiâ facilè sentiunt quid deceat, quid non, etc.

11. *Flueret lutulentus.* Similis rivo, qui turbidas et lutulentas aquas volvat.

Tollere. Ab humo tollere: non negligere, probare. Ut abjicimus ea quæ spernimus; ita tollere dicimus quæ suscipimus et laudamus. Propriè tolli dicebantur infantes, quos vellent parentes educari, quem morem alibi explicuimus.

14. *Crispinus.* Ineptus Poëta, et Philosophus, de quo egit extremâ satyrâ superiori.

Minimo, etc. Proverbium est, sumptum à gestu hominis qui alterum in certamen provocet: quique minimum porrigat digitum; ita significans adversarium à se contemni, proinde quasi posset illum uno digitulo prosternere.

16. *Custodes.* Qui observent ac speculentur, ne alienâ utamur operâ, ne quid suffuremur.

Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.
At tu conclusas hircinis follibus auras,
Usque laborantes dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius, ultro
Delatis capsis, et imagine: cùm mea nemo
Scripta legat, vulgò recitare timentis, ob hanc rem;
Quòd sunt quos genus hoc minimè juvat, utpote plures
Culpari dignos. Quemvis mediâ arripe turbâ,
Aut ab avaritia, aut miserâ ambitione laborat:
Hunc capit argenti splendor; stupet Albius ære:
Hic mutat merces surgente à Sole, ad eum quo

rarò et pauca loqui amem. Tu, Crispine, perge, si lubet, tuis inflatis ac malè turgidis versibus imitari folles vento distentos, quos tandiu faber ferrarius implet anhelantes et explet, donec ferrum igne mollescat. Fortunatus certè Fannius, cui non postulanti hoc muneris honorisque concessum est, ut ipsius imago in bibliothecâ Palatina collocaretur, et ejusdem poëmata ibidem citreis in arculis reposita conderentur. Mea verò carmina nemo legit, eaque ipse aliis recitare idcirco vereor, quòd nostrorum hominum plerique isto scriptionis genere, satyrâ scilicet, minimè delectentur, utpote qui se vitio non carere, atque adeo reprehensioni obnoxios esse satis sentiant. Age enim, cedo mihi è tam multis vel unum, cujus animus ambitione aut avaritiâ non miserè torqueatur! Hic argenti fulgore capitur; veteres statuas ac signa ærea demiratur Albius et amat perditè; alius

19. *Hircinis.* Ex hircino corio factis.

21. *Fannius.* Nomen est Poëtæ non optimi. Bonorum Poëtarum carmina reponebantur in æde Apollinis Palatini, aut adjunctâ illi bibliothecâ, quam Augustus extruxerat, ibi cedrinis arculis aut cupressinis inclusa servabantur: ibidem ipsorum statuæ aut imagines collocabantur. Hunc honorem isti Fannio Augustus, vel Senatus minùs merenti detulerat: id agentibus, ut aiunt vulgò interpretes, adulatoribus, qui ejus venditabant carmina quod ejusdem hæreditati inhiarent.

23. *Recitare.* Poëtæ sua carmina vulgò recitabant in ædibus viri alicujus nobilis et eruditi, quò populus frequens conveniebat ad audiendum. Juvenalem adi, Sat. VII.

27. *Ære.* Signis, statuis: *des bronzes antiques.* Maximè laudabatur æs Corinthium, sive Ephyreum.

28. *Mutat merces.* Vel pecuniâ et pretio mutat; vel aliis mercibus. Mutandi verbo usi sunt veteres pro eo quod est

Vespertina tepet regio: quin per mala præceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid
Summâ deperdat metuens, aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt versus, odere Poëtas.
Fœnum habet in cornu, longè fuge: dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico;
Et, quodcumque semel chartis illeverit, omnes
Gestiet à furno redeuntes scire, lacuque,
Et pueros, et anus. Agedum pauca accipe contra.
Primum ego me illorum, dederim quibus esse Poëtis,
Excerpam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse Poëtam.

summâ corporis et animi contentione mercaturam facit; merces aliis alias redimit, ac parat; orbem ab Oriente ad ultimum usque Occidentem peragrat, sexcentis periculis conflictatur, et, velut pulvis vento, jactatur, quia metuit videlicet ne quid sibi è collectis opibus pereat; aut illas augere summo studio laborat. Hi certè omnes satyram et carmina reformidant, ac Poëtas odio capitali prosequuntur. Hominem hunc, inquiunt, fuge perinde ac furiosum bovem fugeres; cujus cornibus appensum fœnum obvios admoneat ut absistant. Nec enim minùs est Poëta iste metuendus, qui ne ipsis quidem amicis parcet, adeo carpendi est avidus. Quicquid autem scripseris, hoc pueris, vetulis, omnibus demum à furno et fonte redeuntibus leget, ac nemini ignotum sinet esse. Verùm audi, quæso, pauca, quæ istis hominibus respondeam. Ac primò quidem eximam me ex illorum numero quibus Poëtæ nomen tribuendum arbitror; neque enim dixeris, ad promerendam hanc præclaram, et plenam honoris appellationem requiri duntaxat, ut quispiam certis numeris et pedibus includere versum sciat; neque Poëtam appellaveris eum cujus stylus solutæ orationi et quotidiano sermoni planè sit similis, uti noster est. Enimverò ille tantum Poëta dicendus est, qui

vendere aut emere; quia principio res pro re, non æs aut argentum, dabatur.

33. *Fœnum habet, etc.* Boum cornupetarum, id est, qui obvios cornu infesto peterent, fronti alligabatur fœni fascículus, ut sibi ab iis homines caverent. Ita designatur Poëta satyricus, ad lædendum et lacessendum paratus.

35. *Illeverit.* Metaphora sumitur à pictoribus, qui pigmenta illinunt tabulis.

Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.
Idcirco quidam, comœdia, necne poëma
Esset, quæsivêre; quod acer spiritus, ac vis
Nec verbis, nec rebus inest, nisi quod pede certo
Differt sermoni sermo merus. At pater ardens
Sævit, quòd meretrice nepos insanus amicâ
Filius, uxorem grandi cum dote recuset,
Ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus. Numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergo

præstanti quodam ac propè divino ingenio præditus sit, cui facultas ea suppetat, ut res magnas et supra vulgarem hominum captum positas complecti mente, et efferre verbis possit. Atque id in causâ fuit, cur in dubium nonnulli vocaverint, utrum Comœdia esset poëma, necne: quòd in eâ reperire non sit illam seu verborum, sive etiam sententiarum vim, et sublimitatem quæ poëmati convenit; neque à sermone quotidiano aliâ re differat, quàm pedibus et metris, quibus ipsa illigatur. At enim, inquis, inducitur aliquandò in Comœdiâ senex graviter excandescens, ac filio vehementer succensens, quòd is meretricem depereat, nolitque uxorem ducere, licèt luculentâ dote ornatam: quòd vino gravis incedat cum facibus per urbem; etiam interdiu, non sine insigni dedecore parentis ac familiæ. Fateor istud quidem: at hæc ipsa nequaquam ab communis sermonis usu aliena sunt, et Pomponium pater, si viveret, haud sanè levioribus acciperet verbis, quàm filium suum larvatus ille in comicâ Scenâ pater. Non est igitur satis ad conse-

44. *Idcirco, etc.* Nemini dubium esse potest quin Comœdia sit poëma. Poëma enim definitur, narratio vel imitatio jucunda et metro illigata actionis alicujus, aut rei, quæ ad mores spectantium vel audientium informandos valere possit. Convenit autem Comœdiæ ista definitio. Quod autem non habeat vim illam, et spiritum, qui cernitur in Tragœdiâ, inde tantummodo colligitur, illam non esse Tragœdiam; at poëma verum non esse, malè hinc efficitur. Lege libellum nostrum de ratione discendi et docendi, cap. II. art. 2.

48. *Nepos.* Dissolutus, libidinosus.

51. *Cum facibus.* Protervi adolescentes, tædis quasi armati concursabant in urbem noctu fores vectibus moliebantur, etc.

Pomponius. Adolescens Romanus perditus, ac discinctus quem obiter mordet.

Non satis est puris versum perscribere verbis:
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater. His, ego quæ nunc,
Olim quæ scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa, modósque, et, quod priùs ordine verbum est,
Posteriùs facias, præponens ultima primis:
Non, ut si solvas, *Postquam discordia tetra*
Belli ferratos postes portasque refregit:
Invenias etiam disjecti membra Poëtæ.
Hactenus hæc: alias, justum sit: necne poëma
Nunc illud tantùm quæram, meritòne tibi sit,
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer

quendum Poëtæ nomen, si quis versus molliatur concinnos ac nitidos, quibus si numerum demas, si transmutes verba, tum restabit sermo similis illi quo uteretur aliquis in Comœdiá pater cum filio diligans. Et verò sume, exempli causá, versus aut olim à Lucilio scriptos, aut qui à me modo scribuntur; hos dissolve, vincula pedum quibus astringuntur, numeros et certam syllabarum dimensionem, tolle; ordinem verborum immuta, adeo ut quæ priore loco posita erant, posteriora sint; tum nihil ibi reperies ejusmodi, quale adhuc extabit in Ennianis versibus, etiamsi ad eundem modum dissolvantur. Si enim pro eo quod ipse cecinit: Postquam Discordia tetra Belli ferratos postes portasque refregit; *si, inquàm, ordinem vocum immutes, et dicas; postquam tetra Discordia refregit belli postes ferratos: tunc in illis quasi divulsis membris adhuc manebit poëticus spiritus, et dictionis majestas atque amplitudo Poëtarum propria. Sed hæc sint modo satis: alio tempore istud expendam, sine Comœdia verum ac legitimum poëma; nunc id unum examinare placet, quàm jure satyricum hoc*

55. *Personatus.* Larvam: seu personam in Theatro gerens.

57. *Tempora certa.* Mensuram vocum, id est, brevitatem et longitudinem. Syllaba longa in versu unum tempus habere dicitur; brevis, dimidium duntaxat. Sic spondeus duo continet tempora; dactylus totidem, etsi tres habeat syllabas, quia duæ breves unico tempore censentur.

60. *Belli ferratos, etc.* Versus est Ennii. Per belli postes intelligit portas templi Jani, quæ, indicto bello, aperiebantur, composito, claudebantur.

64. *Sulcius, Caprius.* Delatores duo teterrimi. Delatores vocabantur, qui falsis plerum-

Ambulat, et Caprius, rauci malè, cumque libellis :
Magnus uterque timor latronibus : at bene si quis,
Et puris vivat manibus, contemnat utrumque.
Ut sis tu similis Cœli, Birrique, latronum,
Non ego sim Caprî, neque Sulcî : cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos,
Queis manus insudet vulgi, Hermogenisq; Tigelli.
Non recito cuiquam, nisi amicis, idque coactus:
Non ubivis, coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi; quique lavantes:
Suave locus voci resonat conclusus. Inanes
Hoc juvat, haud illud quærentes, num sine sensu,

scribendi genus tibi invisum sit. Nosti accusatores illos celeberrimos, Sulcium et Caprium, qui urbem obeunt cum libellis, in quos reorum nomina referunt et crimina; quique hominibus magnâ contentione accusandis vocem propemodum perdiderunt. Eos perhorrescunt sicarii et latrones : at quisquis erit sceleris integer, ac manus ab omni cæde puras habebit; utrumque facilè spernet. Etiamsi tu Cœlio et Byrrhio, famosis latronibus, simillimus fores; tamen, cùm ego sim Caprio et Sulcio dissimilis, quid est quod me reformides? Præsertim cum nulla officina libraria, nullus postis, vel columna, seu locus ex iis, ubi venales libri prostant, meas satyras propositas habeat, ubi à populo terantur, aut legantur ab Tigellio Hermogene? Illas certè nemini recito, nisi fortasse amicis, cùm id à me precibus extorquent : nec in quolibet loco, vel audientibus promiscuè omnibus, sicut nunc plurimi faciunt, qui sua scripta mediâ in plateâ recitent, aut in balneis; ubi fornix et camerata testudo vocem remittit, ac magis canoram reddit; id quod vehementer placet hominibus vanissimis et ineptissimis, parum illud secum reputantibus, quàm id prudenter,

que criminibus cives sibi invisos, apud Prætorem aut etiam apud Imperatorem accusabant. Quadruplatores iidem dicebantur, quia partem quartam bonorum accipiebant, tanquam præmium delationis, si quispiam eorum indicio ac delatione, condemnatus foret, ejusque bona fisco addicerentur.

70. *Pila.* Postis, columna major, quales ferè visuntur in publicarum ædium propyleis, ubi libri venales solebant proponi : et prope quas erant officinæ bibliopolarum.

75. *Conclusus.* Thermæ et balnea diligenter obstruuntur, ne aura frigidior extrinsecus aspiret.

Tempore num faciant alieno. Lædere gaudes,
Inquis, et hoc studio pravus facis. Unde petitum
Hoc in me jacis? est auctor quis denique eorum
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit, alio culpante; solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non visa potest; commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.
Sæpè tribus lectis videas cœnare quaternos,
E quibus unus amet quâvis aspergere cunctos,
Præter eum qui præbet aquam: post, hunc quoque potus,

quàm tempestivè faciant. At enim, inquis, amas alios carpere, idque deditâ operâ et malignitate quâdam facis. At tu cur id mihi quæso objicis? quonam auctore, quo teste ex iis hominibus quibuscum hactenus vixi? Ego vero docebo quinam sint fugiendi; dicam à quibus, tanquam à pestiferis civibus cavere, Roma, debeas: nempe ab illis, qui de absentibus amicis detrahunt; nec eorum famam aliorum conviciis et maledictis appetitam tuentur; qui movere aliis risum et cachinnos amant; ut salsi ac dicaces habeantur; qui comminisci non dubitant ac narrare, tanquam vera et à se visa, quæ nullatenus viderint; qui premere silentio concredita sibi arcana non possunt. In frequentioribus cœnis, ubi singulis in lectis convivæ quatuor accumbant, non rarò accidit ut unus aliquis adsit maledicentior, qui dicta dicere in omnes gestiat, præterquam in illum fortasse qui cœnam et balnea convivis præbet; immo nec huic quidèm ad extremum parcit, vino madidus, quanto Bacchus effert in apertum quicquid in arcano latebat

84. *Niger.* Pravus, maledicus, mali ominis. Ita Catullus: *Scire non studeo utrùm sis ater, an albus homo;* id est, probus an improbus.

85. *Tribus lectis.* In eo conclavi ubi cœnabatur, visebantur tres lecti discubitorii; hinc triclinii nomen, à τρεῖς, *tres*, et κλίνη, lectus: in singulis lectis erant tres culcitæ, et terni vulgò convivæ ad summum quaterni aut quini accumbebant. Itaque significatur frequens convivium, in quo scilicet quatuor essent in singulis lectulis.

86. *Quavis aspergere.* Salibus et jocis qualibet ex parte, tanquam rore amaro vel aceto, perfundere. Sic. sat. 7. dixit: *Italo perfusus aceto.*

87. *Qui præbet aquam.* Ante cœnam lavabant corpora, et balneo utebantur: hoc autem

Condita cùm verax aperit præcordia Liber.
Hic tibi comis, et urbanus, liberque videtur,
Infesto nigris. Ego, si risi quòd ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum,
Lividus, et mordax videar tibi? Mentio si qua
De Capitolini furtis injecta Petillì
Te coram fuerit, defendas, ut tuus est mos:
Me Capitolinus convictore usus amicoque
A puero est, causâque meâ permulta rogatus
Fecit; et, incolumis lætor quod vivit in Urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit. Hic nigræ succus loliginis, hæc est

pectore. Hunc tu tamen liberum, festivum, et elegantem hominem appellas; tu, inquam, qui te maledicorum et alienæ famæ insidiantium hostem osoremque profiteris. Ego, si per jocum versum hunc fudi paulò liberiùs; Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum, *invidus à te prædicor, et cui nihil sit antiquius quàm mordere alios et lædere, Age, si forte, quis te audiente sermonem injecerit de furto et sacrilegio Petillii Capitolini, quo tandem pacto illius patrocinium contra obtrectatorem suscipies? Sic videlicet, pro tuâ præclarâ consuetudine: Vetus inquies, mihi cum Capitolino à teneris unguiculis amicitia intercessit, eâdem ambo usi mensâ et domo sumus; quamplurima rogatu meo præstitit, in quibus multam mihi et utilem operam præbuit: vehementerque gaudeo, quòd sospes adhuc Romæ salvusque sit: at non possum non mirari, quemadmodum illius judicii laqueos effugere potuerit. Hæc oratio tua, hæc defensio, pessima est maledicentia, hoc teterrimum ami-*

procurabat cœnæ pater et convivator. Exponi etiam potest de aquâ frigidâ aut calidâ, quâ vinum temperabant, quæ in omnibus conviviis præsto erat.

Potus. Cùm potavit; subebrius.

91. *Pastillos.* Est hic ver. in Satyrâ II. ver. 25. Olere pastillos, unguenta, *être parfumé.*

93. *Petillì.* Petillius, cognomento Capitolinus, cùm furti et sacrilegii fuisset accusatus, quòd auream coronam è templo Jovis sustulisset, corruptis pecuniâ judicibus est absolutus.

98. *Admiror, etc.* Significat iste maledicus, et innuit Petillium innocentem non fuisse, neque jure pœnam evolasse.

99. *Succus loliginis.* Loligo, piscis est, atrum ore succum effundens, cùm se capiendum esse animadvertit, ut aquâ sic obscuratâ lateat ac faciliùs ef-

Ærugo mera: quod vitium procul afore chartis,
Atque animo prius, ut si quid promittere de me
Possum aliud, vere promitto. Liberiùs si
Dixero quid, si fortè jocosiùs, hoc mihi juris
Cum veniâ dabis. Insuevit pater optimus hoc me
Ut fugerem, exemplis vitiorum quæque notando.
Cùm me hortaretur, parcè, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mî ipse parasset:
Nonne vides, Albî ut malè vivat filius, utque
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Cùm deterreret; Sectani dissimilis sis.
Ne sequerer mœchas, concessâ cùm Venere uti
Possem; deprensi non bella est fama Treboni,
Aiebat. Sapiens vitatu quidque petitu

citiæ virus, hæc vitæ communis labes certissima, quam et à meis scriptis, et multo magis ab animo abfuturam, sanctissime, si quid in me recipere possum, polliceor atque denuntio. Quod si quid paulò liberius mihi exciderit, ac paulò jocosius, hoc mihi, quæso, facere, pace tuâ liceat. Ita me pater meus instituit, ita me assuefecit, cùm adversus vitia me instruens exempla unicuique vitio accommodata preponeret. Ita, cùm me adhortabatur ut parcimoniam ac frugalitatem sectarer, utque modicis, quas ipse mihi comparasset, fortunis contentus, ampliores ne appeterem, ecquid cernis, inquiebat, ut Albii filius vitam infelicem ac probrosam vivat? ut Barrus ad egestatem redactus sit? nimirum hinc docentur cæteri ac monentur, ne patrimonium profundant, et acceptas à majoribus opes dilapident. Ut me à fœdâ libidine, ac meretriciis amoribus deterreret, noli, aiebat, fili, Sectanum imitari: ut ab adulterio dehortaretur, cùm possem legitimo frui matrimonio, ponebat mihi ante oculos Trebonium, qui deprehensus in flagitio pessimè apud omnes audiret. Philosophi, dicebat, exponent tibi causas, quare hoc fugiendum sit, illud expetendum; mihi sufficit instituere te ad eum morem ac

fugiat. Succus loliginis appellatur hîc oratio invidiæ ac maledicentiæ plena, quæ alterius famam, tanquam atramento, maculat, inficitque.

100. *Ærugo.* Vitium est æris ac tabes; ut rubigo ferri. Quemadmodum igitur æs ærugine, ita obtrectationibus aliena fama roditur et pereditur.

Sit meliùs, causas reddet tibi : mî satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
Dum custodis eges, vitam, famamque tueri
Incolumem possim. Simul ac duraverit ætas
Membra, animumq; tuum, nabis sine cortice. Sic me
Formabat puerum dictis : et sive jubebat
Ut facerem quid, habes auctorem quo facias hoc :
Unum ex judicibus selectis objiciebat :
Sive vetabat; an hoc inhonestum, et inutile factu
Nec ne sit, addubites, flagret rumore malo cùm
Hic atque ille? Avidos vicinum funus ut ægros
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit;
Sic teneros animos aliena opprobria sæpè

modum, quem nobis veteres tradiderunt, ac tuam vitam, famamque ab omni labe defendere, dum utraque est imbecilla et rectoris custodisque adhuc eget : ubi adoleveris, ac tempus ipsum, corpus animumque tuum corroboraverit, tunc per te ipse sapies, neque alienis præceptis indigebis. Sic pueritiam meam sapientibus monitis regebat, parens optimus, et sive me ad faciendum quidpiam incitaret, continuo mihi ob oculos ponens aliquem è spectatissimis judicibus, habes, inquiebat, quibus exemplum et auctoritatem in eâ re faciendâ sequi possis : sive prohibebat ne quid facerem ; dubitas enim verò, aiebat, utrùm hoc turpe et inutile sit necne, cùm videas de hoc atque illo cive malè omnes existimare? Quemadmodum ægroti, licet macerati longâ fame, et à cibis interdictis vix temperantes, ab iis nihilominus abstinent sese, perterriti morte vicini cujuspiam, ac veriti ne sibi quoque idem accidat. Sic adolescentes exemplis aliorum, qui flagitiosè vivendo turpissimam ignominiæ labem nomini suo inusserunt, à libidine et luxuriâ

116. *Morem.* Morem erudiendi liberos, propositis exemplis. Aures feriuntur præceptis : oculi exemplis : at oculis multò plus et certiùs utimur, quàm auribus.

119. *Nabis sine cortice.* Natare sine cortice, sine subere, vetus parœmia est, pro, suis viribus, sine ope alienâ, quidpiam efficere : ab eo ducta, quòd qui primùm nare discunt, illi solent niti subere, *du liége*, supposito axillis aut pectori, vel scirporum fasciculis, quibus dum sustentantur in aquâ, faciliùs manus movent, ac citra periculum artem natandi condiscunt.

121. *Habes auctorem*, etc. Auctor, iis appellatur, cujus ductu, auspiciis, nomine et impulsu, aliquid fit.

Absterrent vitiis. Ex hoc ego sanus ab illis,
Perniciem quæcumque ferunt : mediocribus, et queis
Ignoscas, vitiis teneor. Fortassis et isthinc
Largiter abstulerit longa ætas, liber amicus,
Consilium proprium. Neque enim, cùm lectulus, aut me
Porticus excepit, desum mihi : rectiùs hoc est :
Hoc faciens, vivam meliùs; sic dulcis amicis
Occurram. Hoc quidam non bellè : numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile? Hæc ego mecum
Compressis agito labris; ubi quid datur otî,
Illudo chartis. Hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum : cui si concedere nolis,
Multa Poëtarum veniat manus, auxilio quæ
Sit mihi. Nam multò plures sumus; ac veluti te
Judæi cogemus in hanc concedere turbam.

revocantur. Hâc igitur patris mei disciplinâ sapientissimâ et institutione factum est, ut illis gravioribus, et quæ pestem hominibus exitiumque consciscunt, vitiis carcam, nec nisi levioribus, et quibus venia concedi facilè debeat, laborem, quorum partem etiam, opinor, magnam auferent ætas provectior, amici monita liberè me objurgantis, atque adeo egomet mihi eonsulens. Neque enim ipse me non moneo et curo, cùm me cubitum recipio, aut cùm in porticu spatior, sed ita mecum reputo solus : æquius hoc et melius est : illud si fecero, vitam rectiùs instituam : sic inire potero gratiam ab amicis : hoc fit à quibusdam minùs honestè ac eleganter : egone ut illum imiter aliquando, et eâdem in re imprudens peccem! Hæc mecum tacitus meditor : cùm autem nactus sum aliquid vacui temporis, scriptito quidpiam animi causâ, et hoc unum est è levioribus istis, quæ commemoravi modo, vitiis : cui si recuses ignoscere, præsto erit numerosum Poëtarum agmen, ac suppetias mihi feret, nam latissimè patet hæc natio : teque, non secus ac Judæi multos ad suam superstitionem pertrahere solent, nostras in partes transire, nobis favere, vel invitum, cogemus.

133. *Porticus.* Variæ in urbe porticus erant, in quibus homines otiosi deambulando, garriendo, fallebant tempus, frigus captabant opacum, etc.

138. *Illudo chartis.* Ludo in chartis; litteris mando.

142. *Judæi.* Erant Romæ

frequentes, et multùm in eo ponebant operæ ac laboris, ut quamplurimos ad suas cæremonias, cultumque veri numinis pertraherent. Quos autem ita pellexissent vocabant Græco vocabulo, προσηλύτους *proselytos*, quasi advenas et aliunde appulsos : quo nomine appellati sunt etiam postea, qui ex Ethinicis Christianam religionem amplecterentur.

SATYRA V.

Iter quoddam suum ab urbe Româ Brundusium usque, festivè describit.

EGRESSUM magnâ me accepit Aricia Româ
Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longè doctissimus. Inde Forum Appî,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altiùs ac nos
Præcinctis unum. Minùs est gravis Appia tardis.
Hìc ego, propter aquam, quòd erat deterrima, ventri

ROma, ex urbe illâ ingenti, profectus, veni Ariciam, ubi acceptus sum in exiguo diversorio : mecum erat Heliodorus eloquentiæ professor, qui Græcos omnes eruditione facilè vincit. Ariciâ digressi Forum Appii venimus, quæ civitas est cauponum perfidorum et nautarum plena. Istud iter, quod unius diei est viatoribus, paulo quàm nos expeditioribus, secuimus, nec nisi biduo, lentiùs euntes peregimus; Appia via

1. *Aricia.* Vicus est in viâ Appiâ, positus in clivo, et celebris ob multitudinem viatorum ultro citroque commeantium. Nunc *la Riccia* vocatur.

3. *Forum Appii.* Oppidum in eadem Appiâ viâ, *le marché d'Appius :* nunc excisum, cujus in viciniâ, seu ruinis, est locus *Santo Donato* dictus. Fora vocabantur quædam oppida quò mercatores convenire soliti erant, ut forum Livii, Forum Sempronii, etc.

4. *Malignis.* Caupones ita vocat, quia raró fit ut vinum bonâ fide vendant : sæpè medicatum et conditum, pro sincero exibent.

6. *Præcinctis.* Vestem zonâ colligebant iter facturi, et quò erant præcincti altius, eò videbantur magis expediti ad iter.

Appia. Via Appia, una è viis publicis celeberrima, per-

Indico bellum, cœnantes haud animo æquo
Expectans comites. Jam nox inducere terris
Umbras, et cœlo diffundere signa parabat:
Tum pueri nautis, pueris convicia nautæ
Ingerere. Huc appelle: trecentos inseris: ohe,
Jam satis est. Dum æs exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. Mali culices, ranæque palustres
Avertunt somnos. Absentem ut cantat amicam
Multâ prolutus vappa nauta, atque viator
Certatim. Tandem fessus dormire viator
Incipit; ac missæ pastum retinacula mulæ
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.
Jamque dies aderat, cùm nil procedere lintrem

haud adeo molesta est iis, qui minùs properant. Apud oppidum illud aqua est adeo gravis et insalubris, ut jejunus permanere impastusque statuerim, gravatè admodum socios cœnantes aspiciens, et expectans dum lintrem unà omnes conscenderemus. Jam nox appetebat, umbrasque terris, et astra Cœlo spargere parabat, ecce tibi altercari cum nautis mancipia nostra, et sese invicem conviciis proscindere cœperunt. Huc cymbam applica, inquiunt servi; admittis in lembum nimis multos; jam trecenti sunt: ohe, satis superque est. Dum pecuniam exiguunt nautæ à vectoribus, dum mulæ funem ad naviculæ proram alligant, hora integra effluit. Demum conscendimus, at somni copia nobis nulla facta est per infestissimos culices et limosæ paludis ranas obstrepentes. Interim nautæ ac viatores, vino quod hauserant hilares ac madidi, amatoriis cantilenis aures nobis obtundunt, donec fessis vocem oculosque somnus occlusit: ipse navarchus, mulæ, quæ naviculam trahebat, solvens funem et saxo implicans, mulam ipsam in pratum, ubi pasceretur, dimittit, ac sese humi abjicit, in tergum, totoque pectore somnum proflat. Et jam primula dies albicabat, cùm lintrem

tinebat à Româ usque Brundusium. Eam silice straverat Claudius Appius Cæcus, eique nomen suum dederat. Commoda esse dicitur tardè ingredientibus, quia erat multis in locis declivis et aspera, vel fortasse quòd hospitiis frequentibus et diversoriis esset veluti consita.

8. *Indico bellum ventri.* Non vescor, non cœno: ventrem fame torqueo.

10. *Signa.* Sic vocantur Astra, qui significant nobis temporum ordinem, et alia id genus.

13. *Æs exigitur.* Pretium à vectoribus pendi solitum; vocatur à Latinis naulum.

Sentimus; donec cerebrosus prosilit unus,
Ac mulæ, nautæque caput, lumbosque saligno
Fuste dolat. Quarta vix demum exponimur horâ.
Ora, manusque tuâ lavimus, Feronia, lymphâ.
Millia tum pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis latè candentibus Anxur.
Huc venturus erat Mæcenas optimus, atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque

in eodem loco hærere animadvertimus. Continuo vectorum unus paulò iracundior erumpit cymbâ, nautamque stertentem excitans fuste vimineo, mulam eodem strenuè diverberat. Imus tandem, et vix horâ post Solis ortum quartâ, in eum, quo tendebamus, locum è naviculâ descendimus. Nihil priùs à nobis factum est, quam ut vultum et manus ablueremus aquis Feroniæ Deæ, quæ huic luco et fonti nomen dedit. Post prandium, lentè et quasi reptando, tria passuum millia conficimus, ingredimurque Anxur situm in monte, qui ob saxa candida eminus conspicitur. Eam in urbem venturi erant Mæcenas et Cocceius, qui legatione ipsis ab Augusto mandatâ fungebantur, et missi Brundusium erant, ut ibi de negotiis ma-

22. *Saligno.* Salix, arbor nota, *un saule.*

23. *Quartâ horâ.* Decimâ matutinâ. Diem, sive lucis tempus semper dividebant in duodecim horas; æstate longiores, breviores hyeme.

Exponimur. E lintre descendimus.

24. *Lavimus.* Pro lavamus: ab antiquo lavere, tertiæ conjugationis. Religionis causâ factum est ut manus lavarent; nam fontes omnes ceu sacros venerabantur: et ablui crimina isto quasi ritu censebant.

Feronia. Dea quædam erat, à servis præsertim, cùm libertate donabantur, coli solita. Eadem, ut nonnulli censent, cum Junone, quæ Virgo dicebatur. Fons illi sacer et lucus, ædesque cognominis, visebatur prope Tarracinam.

26. *Anxur.* Oppidum Latii, Tarracina subinde dictum, ubi Jupiter Anxur, sive Anxurus, colebatur, id est, juvenis et imberbis ἄνευ ξυροῦ *sine novaculâ.* In vicino autem templo ac nemore colebatur Juno puella, sub nomine Feroniæ Deæ.

28. *Cocceius.* Cocceius Nerva, Jurisconsultus peritissimus, Imperatoris Nervæ, qui Domitianum excepit, avus; Augusto juxta et Antonio carissimus: quorum ut dissidia componeret, missus cum Mæcenate et Capitone fuerat Brundusium, quam urbem Antonius obsidebat. Ictum fœdus, et Octavia Augusti soror Antonio desponsa.

Legati, aversos soliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. Interea Mæcenas advenit, atque
Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antonì, non ut magis alter, amicus.
Fundos Aufidio Lusco prætore libenter

ximi momenti agerent; ambo prudentissimi viri, et in amicis dissidentibus ad pacem concordiamque revocandis experientissimi. Dum occupatus eram in curandis lippientibus oculis et collyrio inungendis, advenit Mæcenas, aderat cum eo Cocceius, aderat Fonteius Capito politissimus homo et elegantissimus, sic amicus Antonii, ut nemo alius magis. Citò discessimus, nec inviti, ab urbe Fundanâ in quâ præturam gerebat Aufidius Luscus, qui hujus municipii paulo ante scriba, tunc munere prætoris, et

30. *Collyria.* Medicamenta quædam sunt, ad lippitudinem depellendam idonea. Nigrum hîc vocatur, vel quia colorem hunc referebat; vel quo more solent nigra et atra dici, quæ ingrata et invisa.

33. *Ad unguem factus.* Perfectus; omnibus numeris viri probi et elegantis absolutus.

Antonî. M. Antonius, Triumvir est dictus, quia cum Octavio Cæsare, qui postea Augustus Cæsar fuit, et cum M. Lepido, Urbis dominatum occupavit, post necem C. Julii Cæsaris, anno ab U. C. 711. Initam cum Octavio societatem sæpè discidit, sæpè sarcit. Sed cùm, repudiatâ Octaviâ, ejus sorore, totum se Cleopatræ dedidisset, ipsi Octavius bellum indixit, et classe victum fugere in Ægyptum compulit: ubi obsessus Alexandriæ, et victus, seipsum denique interemit.

34. *Fundos.* Fundi, Fundorum, oppidum est in viâ Appiâ: nunc *Fondi* vocatur.

Prætore. Hoc in loco significat summum urbis Fundanæ Magistratum. Prætor, Magistratus apud Romanos fuit à Consule secundus: à præeundo dictus, quia juri dicendo, interdum etiam exercitui, præerat. Illius tamen præcipuum munus fuit, jus dicere: quod ipsi primùm Consules faciebant. Sed cùm belli quoque gererent curam, et sæpè ab urbe abesse cogerentur, Prætor unus creatus est anno U. C. 387. qui civium lites componeret: anno verò 510. alter additus est, qui jus diceret peregrinis. Excrevit postea numerus Prætorum usque ad quatuordecim. Porrò in municipiis quibusdam, id est, minoribus oppidis, Prætor Summus Magistratus erat; ut apud Fundanos et Prænestinos: in aliis vocabatur Dictator, ut Lanuvii et Tusculi: in aliis, Ædilis; ut apud Arpinates: alibi, Duumvir, ut Corfinii: alibi, Quatuorvir, ut Neapoli: alibi, Questor, ut Fereti.

Linquimus, insani ridentes præmia scribæ,
Prætextam, et latum clavum, prunæque batillum.
In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Murenâ præbente domum, Capitone culinam.

insignibus summi magistratûs ornatus, in iis se magnificè circumspiciebat. Derisimus hominis vanitatem, et togam purpureo circumdatam limbo, tunicam laticlaviam, ac vasculum carbonibus cadentibus refertum, in quo ad suffitum odores adolebat. Defatigati pernoctavimus in civitate Formiana, unde oriundi sunt Mamurræ. Ibi domi suæ nos excepit Murena, sumptum

35. *Scribæ.* Scriba, is dicitur qui acta publica perscribit, servat, exibet: *un Greffier, un Secrétaire.* Quia verò illi Scribæ vulgò erant juris peritiores, et in forensi palæstrâ exercitatiores, ad Præturam evehi solebant in municipiis, eoque probatæ fidei et industriæ præmio donari.

36. *Prætextam.* Toga prætexta, *une robe bordée de pourpre*, gerebatur à pueris, à Magistratibus, etc.

Latum clavum. Latus clavus, seu vestis laticlavia, *le Laticlave;* vestis Senatorum Romæ, et Magistratuum in coloniis municipiisque, propria, tunica fuit purpureis quibusdam bullis, et globulis, capita clavorum imitantibus, ornata, iisque majoribus; erant enim globuli minores in equitum tunicâ, quæ ob eam rem *Angustus clavus* dicebatur. Globulorum loco inserebantur aliquando flosculi, stellulæ, et alia id genus.

Batillum. Batinum, unde Batillum, vox vetus est, significans ferreum illud instrumentum, in imo instar remi, latum, quo carbones è foco excipiuntur, *une pelle à feu.* Batillum verò significat etiam vas ferreum aut æreum, in quo odores adolentur, *une cassolette.* Ejusmodi vasculum præferebatur olim Persarum Regibns, ut Xenophon tradit, et Romanis Imperatoribus, cùm iter facerent, auctore Herodiano: quem morem iste Prætor, tanquam insigne auctoritatis, ac majestatis usurpabat. In eodem vase pro felici hospitum adventu incensis odoribus, Jovi hospitali sacra fiebant. Idque ab Aufidio isto fortasse factum est, cùm missos Româ legatos, tanquam Fundani municipii princeps Magistratus, accepit.

37. *Mamurrarum urbe.* Formiis, *Formies.* Formiæ, Formiarum, urbs fuit Italiæ. Poëta Mamurrarum urbem appellat, quia Mamurræ, civis Rom. ditissimi et Augusto carissimi, majores ex illâ civitate oriundi, eamdem diu obtinuerant, ejusque fortasse tunc dominus is, de quo hìc agitur, Mamurra erat.

38. *Murenâ.* Frater Liciniæ, quæ uxor Mæcenatis fuit.

Postera lux oritur multò gratissima : namque
Plotius, et Varius, Sinuessæ, Virgiliusque
Occurrunt; animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter.
O qui complexus, et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim jucundo, sanus, amico.
Proxima Campano Ponti quæ villula, tectum
Præbuit; et parochi, quæ debent, ligna, salemque.
Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.

in cœnam Capito fecit. Qui consecutus est dies, is sanè fuit nobis jucundissimus : quippe cùm Sinuessam venissemus, obvios habuimus Varium, Plotium, et Virgilium, homines omnium, qui usquam vivunt, optimos et integerrimos, quique me sibi penitus deditum atque obstrictum habent. Quàm suaviter inter nos amplexati fuimus : quibus gaudiis, quàm liquidis purisque, delibuti! Certè dum sapiam, dum vivam, nihil apud me potiori loco erit, quàm amicus dulcis. Inde diversati sumus in villulâ Campano Ponti vicinâ, ubi parochi nobis, pro muneris sui ratione, lignum, salem, et alia id genus suppeditaverunt. Ex hoc loco satis maturè Capuam attigimus, ubi muli nostri, suis sarcinis levati sunt. Mæcenas confestim

40. *Plotius, Varius, Virgilius.* Poëtæ clarissimi.

Sinuessæ. Erat olim urbs Campaniæ Italicæ maritima, ad radices Massici montis, amœno in loco et salubri cœlo sita : nunc jacet *excisa* in orâ maris Thyrrheni, ubi mons *Massicus desinit*, et ejus rudera vetus adhuc *Sinuessæ* nomen retinere dicuntur.

45. *Campano Ponti.* Pons Campanus oppidulum erat, in eâdem Appiâ viâ.

46. *Parochi.* Sic vocabantur certi homines, quibus id muneris erat impositum, ut Legatis et Oratoribus à populo vel Imperatore missis, præberent omnia quæ ad iter commodè faciendum forent necessaria, certis in locis, ubi minùs idonea essent diversoria.

47. *Hinc muli, etc.* Significat Horatius comites suos cò loci substitisse paulisper, fortasse ut pranderent, sed brevem moram fuisse, ita ut muli retinerent suas sarcinas et clitellas dorso impositas, nec eas, antequam Capuam ventum esset, deponerent.

Capuæ. Capua, civitas olim ampla, et Romæ ipsius æmula, *Capoue :* ubi cùm Annibal post victoriam Cannensem substitisset, deliciis loci victus est, qui bellicis laboribus hactenus vinci non potuerat.

Clitellas. Vimineas corbes, *des panniers*, quæ hinc inde jumentorum tergo imponuntur.

Lusum it Mæcenas, dormitum ego, Virgiliusque:
Namque pilâ lippis inimicum, et ludere crudis.
Hinc nos Coccei recipit plenissima villa,
Quæ super est Caudî cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurræ pugnam, Messique Cicirrì,
Musa, velim memores; et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messî clarum genus Osci,
Sarmenti domina extat. Ab his majoribus orti
Ad pugnam venêre. Prior Sarmentus: equi te
Esse feri similem dico. Ridemus; et ipse
Messius, Accipio, caput et movet. O, tua cornu

de ludo cogitare, ego et Virgilius de lecto et somno. Nam pilæ ludus lippitudine laborantibus, et cibum ægrè concoquentibus, cujusmodi nos ambo sumus, minimè convenit. Hinc confecti fuimus in Cocceii villam rebus omnibus refertissimam, quæ supra Caudii cauponas est sita. Nunc obsecro te, Musa, ut adsis mihi, commissam inter Sarmentum scurram et Messium Cicirrum pugnam narrare breviter aggredienti: ac primo quidem operæ pretium est exponere, quibus uterque orti majoribus, in arenam descenderint. Messius Cicirrus ab Oscis ducebat originem: Sarmenti hera etiamnum vivit. His natalibus insignes ambo conserunt manus: et prior quidem Sarmentus adversarium ita lacessit. Non video cui rei similior sis, quàm equo feroci et indomito. Eas voces ingenti risu omnes qui

49. *Lippis.* In pillæ ludo magnâ contentione oculorum opus est: quod facere lippi nequeunt.

Crudis. In eodem ludo stomachus motu et jactatione vexatur: quod in causa est ne cibi facilè digerantur.

51. *Caudî.* Pro, Caudii. Caudium erat oppidum Hirpinorum, Benevento distans quatuor admodum leucis: nunc vicus, *Arpaïa*, nuncupatus. Non procul sunt Caudinæ fauces, et furcæ Caudinæ, ubi Romani sub jugum missi. Videntur autem illæ Caudinæ cauponæ extra oppidum fuisse, et ultra illas villa Cocceiorum.

54. *Osci.* Est in recto casu numeri pluralis. Et ordo est: Osci, sunt clarum genus Messi: id est, Messius ex Oscis oriundus est. Erant autem Osci, Italiæ populus in Campaniâ, contemptissimus, ob sermonem et mores inquinatissimos.

58. *Accipio.* Nempe provocationem, *j'accepte le défi*: ad pugnam paratus sum.

Caput movet. Vel, quasi annuens, et promittens se par pari relaturum: vel minitans. Cui continuò respondet Sar-

Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cùm
Sic mutilus miniteris? At illi fœda cicatrix
Setosam lævi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat,
Nil illi larvâ, aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicirrus ad hæc: Donasset jamne catenam
Ex voto Laribus, quærebat: scriba quòd esset,

aderamus, excipimus. Tum Messius, bene est, inquit, simulque caput quassat, velut annuens. Cui Sarmentus: O Messi, quid faceres, si cornu tibi non esset in fronte præcisum? ut adversarium impeteres! siquidem truncatus licèt, minas tamen sic jactas? Nempe Messius gerebat in sinistrâ hirsutæ frontis parte, fœdam cicatricem, ab exsecto tuberculo relictam, quæ vultum ipsius magnopere deformabat. Pergit Sarmentus, et modo in Messi faciem, modo in ipsius patriam, atque Oscorum turpes morbos, multa festivè dicit, orat illum etiam ut Poliphemum cyclopem, qualis in scenam produci consueverat, saltando imitari ne gravetur, posse personam hanc sine larvâ, sine cothurnis bellè ab ipso sustineri, utpote qui tam deformis, procerusque sit. Cicirrus prolixè istis et facetè respondebat. Sciscitabatur, num Sarmentus sua demum vincula Laribus appendisset, voti pro libertate adipiscendâ facti reus. Quamvis esset scribæ dignitate auctus et nomine, non tamen servum esse desiisse, neque

mentus, se bestiam non timere, cui cornu exsectum fit.

62. *Campanum morbum.* Osci, ob intemperantiam laborabant fœdis morbis, quorum sæpè vestigia, in vultu ipso eminebant, extantibus verrucis, instar cornuum: aut impetigine ac mentagrâ per vultus totos et colla serpente, fœdosque furfures spargente: quâ lue cum præ cæteris Italiæ populis Campani laborarent inde nomen inditum, ut morbus Campanus vocaretur. Quidam de morbo animi interpretantur, nimirum de fastu, arrogantiâ supercilio, quæ vitia Campanis objici solita docent historici. Quæ fortasse causa fuit, cur initio certaminis Messium Sarmentus equi feri similem esse dixerit.

63. *Cyclopa.* Polyphemum hîc intelligit famosum in Homerico poëmate cyclopem.

65. *Catenam.* Servi, cùm opus in agro facerent, compede ac vinculis alligabantur ne fugerent.

66. *Ex voto.* Quasi vovisset se catenas appensurum Laribus: in accepti beneficii monumentum, si libertatem fuisset aliquando consecutus.

Laribus. Qui periculo defuncti erant, aut artem deponebant aliquam, ejus indi-

Deterius nihilo dominæ jus esse : rogabat
Denique, cur unquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo.
Prorsus jucundè cœnam produximus illam.
Tendimus hinc rectâ Beneventum, ubi sedulus hospes
Pene arsit, macros dum turdos versat in igne :
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano, summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos cœnam, servosque timentes,
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Appulia notos

pristinam idcirco conditionem excussisse; aut heræ in ipsum jura imminuta esse. Ad extremum petebat, cur è dominæ domo jugâ se proripuisset, an quod parciùs apud eam aleretur? Ipsi vero satis esse potuisse unam frumenti libram, cùm adeò macro, et parvo esset corpore. Ita nobis egregia illa rixa præbuit affatim quod rideremus; eoque factum, ut cœnam longiùs in noctem extraheremus. Hinc recto itinere Beneventum petimus, ubi parum abfuit quin civis apud quem diverteramus, cum suâ domo deflagraret, dum turdos macilentos nobis in cœnam largo igne torret. Quippe ignis culinam vetustate putrem repente corripuit, jamque ad summum tectum flamma prorumpebat. Vidisses tunc famelicos convivas, et eorum servos, metuentes ne ab heris vapularent, fercula certatim igni periculoque subducere, et ad restinguendum incendium omni ope atque operâ incumbere. Vix Benevento excesseramus, cùm cœperunt apparere montes Apuliæ, mihi non ignoti, quos Atabulus, ventus infestus, urit; quosque, ob difficultatem itineris, nunquam emetiri ac superare po-

cia, instrumenta, etc. Deo cuipiam consecrabant. Decebat autem servum libertate donatum catenas Laribus, diis domesticis, consecrare.

67. *Dominæ jus.* Poterat esse jus dominæ in Sarmentum duplex : vel tanquam in servum, si nondum ab eâ manumissus fuerat; vel tanquam in libertum, si servitio exierat : nam liberti certas patronis suis operas debebant.

68. *Fugisset.* A dominâ fugiens Sarmentus ad Augustum se contulerat, apud quem scurræ loco est habitus. Juvenalis Sat. V. ver. 3.

69. *Farris libra.* Hæc servo dabatur in diuturnum victum.

71. *Beneventum.* Est urbs ampla Italiæ, in regno Neapolitano; nunc *Benevento.*

72. *Turdos.* Aves notas, *des grives.*

Ostentare mihi, quos torret Atabulus; et quos
Nunquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lacrymoso non sine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.
Quatuor hinc rapimur viginti et millia rhedis
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
Signis perfacile est. Venit vilissima rerum
Hic aqua, sed panis longè pulcherrimus, ultro
Callidus ut soleat humeris portare viator.
Nam Canusî lapidosus; aquæ non ditior urna,
Qui locus à forti Diomede est conditus olim.
Flentibus hinc Varius discedit mœstus amicis.

tuissemus, nisi substitissemus Trivici, in villâ non procul dissitâ. Ibi corpora quidem fessa curavimus, at lacrymas expressit nobis fumus spissior, ab lignis humidis, quæ hospes noster camino imposuerat, excitatus. Trivico discedentes vecti sumus quàm celerrimè rhedis, et viginti quatuor millia passuum confecimus usque ad urbiculam, cujus nomen versu comprehendi nequit, indicari tamen illa, et certis intelligi notis potest. Aquâ enim, quâ nihil vilius alibi est, nihil obvium magis, ac parabile, ibi pretio emitur: at contra pane optimo abundat illud oppidulum, adeo ut viatores, qui hàc iter faciunt, soliti sint panem hinc auferre, in reliquum iter sapienter consulentes, et humeris imponere. Nam Canusii, quod à Diomede quondam ædificatum fertur, panis instar saxi durus est, et malè aridus, nec minùs istic desunt aquæ salubres. Hic Varium à nobis abeuntem non sine mutuo dolore dimisimus. Postea Rubos ægrè tenuimus, quippe viâ bene longâ, et solito etiam pejore propter pluviam, fessi. Postridie cœlo magis sereno usi sumus, ac viâ deteriore, usque ad Barium,

78. *Atabulus.* Ventus Apuliam vexans, quia frigidissimus, teste Plinio, L. XVII.

79. *Erepsemus.* pro, erepsissemus; rependo superassemus.

Trivici. Trivicum, *Trivico*, est oppidulum Italiæ, in regno Neapolitano, in provinciâ Principatus ulterioris, ut vocant.

83. *Oppidulo.* Equotuticum vocabatur, quæ vox hexametro versu includi commodè nequit. Erat in Hirpinis: nunc urbicula est regni Neapolitani, quæ Arianum dicitur, *Ariano*, in Principatu ulteriori, ad Apennini radices.

87. *Canusî.* Canusium, urbs Apuliæ, *Canosa.*

Non ditior. Non uberior. Atenim Canusium collocatur à Plinio ad Aufidum Apuliæ fluvium, et in planitie à Strabone. Respondet Torrentius

Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter, et factum corruptiùs imbri.
Postera tempestas melior, via pejor ad usque
Barî mœnia piscosi. Dehinc Gnatia, lymphis
Iratis extructa, dedit risusque jocosque;
Dum flammâ sine, thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. Credat Judæus Apella,
Non ego : namque Deos didici securum agere ævum;
Nec, si quid miri faciat Natura, Deos id
Tristes ex alto Cœli demittere tecto.
Brundusium longæ finis chartæque, viæque.

qui locus piscibus abundat. Bario profecti Egnatiam contendimus, ubi tanta est aquarum dulcium penuria, ut tanquam huic oppido infensæ, procul fugisse videantur. Argumentum ridendi et cavillandi nobis dederunt superstitiosi cives, dum conantur persuadere nobis thura in templi sui vestibulo posita liquefieri suâ sponte, nullo igne admoto. Huic prodigio sane fidem adhibeant Judæi, mihi quidem certè numquam probabitur. Compertum enim habeo Superos vitam ab humanarum rerum curâ vacuam et tranquillam degere, neque si quid admiratione dignum Natura parturit, id ab iis cum molestiâ et sollicitudine procurari, aut è Cœlo in terras immitti. Tandem Brundusium pervenimus; quæ urbs itineris longi meta fuit, et huic etiam narrationi finem imponet.

quam qualemcumque non defuisse Canusii, sed bonam et salubrem. Tum Aufidus, torrens potiùs, quàm fluvius, sæpè siccus, alveum inanem, aut lutulentum habebat.

90. *Rubos.* Rubi, nunc *Ruvo*, Urbs Italiæ inter Canusium et Barium, in Apuliâ Peucetiâ.

93. *Bari.* Barium, nunc *Bari*, Urbs Apuliæ.

Gnatia. Sive Egnatia, erat modica civitas Apuliæ Peucetiæ, in orâ maris Adriatici: *Gnazzi*, et *Nazzi*, inter Barium et Brundusium sita. Nunc vicus regni Neapolitani in provinciâ Barianâ, vulgò *Torre de Anasso*, nuncupatus.

96. *Apella.* Vel est commune Judæorum nomen, idem significans, atque circumcisus: vel alicujus Judæi tunc noti, proprium, quod magis probatur Vossio, et aliis eruditis. In Judæorum porro libris leguntur ejusmodi miracula, de victimis igne cælitus demisso con[illegible]tis. Itaque faciliùs hæc portenta Judæis probari poterant.

97. *Didici.* Epicuro docente.

100. *Brundusium.* Urbs [illegible]

pla Calabriæ, in Italiâ, nunc *Brindes*, cum egregio portu: hinc solvebant in Græciam profecturi.

Satyra VI.

Nobilitas in virtute ponenda est. Felix qui parvo et suo contentus vivit.

Non quia, Mæcenas, Lydorum quidquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te;
Nec quòd avus tibi maternus fuit, atque paternus
Olim qui magnis legionibus imperitarint,
Ut plerique solent, naso suspendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum.
Cùm referre negas, quali sit quisque parente

Licet Mæcenas, unus omnium facilè sis nobilissimus, quicumque olim Etruriam obtinuerunt; licèt avi tui paternus et maternus magnis exercitibus præfecti summo cum imperio fuerint; non idcirco tamen, ut solent plerique, irrides et spernis homines nullâ natalium claritate notos, qualis ego sum, cujus pater libertinus fuit. Affirmas enim parum interesse, quo quisque parente sit genitus, modo sit ingenuus. Videlicet

1. *Lydorum.* Lydi, Asiæ minoris populus, commigrarunt in Italiam, duce Tyrrheno, Herculis filio vel nepote; ibique varias Urbes aut condiderunt, aut incoluerunt.

Etruscos. Etruria, sive Tuscia, pars Italiæ.

2. *Generosior.* Genere illustriori satus, εὐγενέϛερος.

4. *Legionibus.* Legio milites complectebatur ad summum sex millia, interdum pauciores. Cohortes in singulis legionibus decem erant.

5. *Naso suspendis.* Qui aliquem atrociùs irrident nasum ita corrugant et attollunt elato capite, ut supinus et aduncus esse videatur.

6. *Libertino.* Libertinus, Appii temporibus et deinceps aliquandiu, is vocabatur, qui è servo manumisso procreatus, quique proinde ingenuus foret: postea idem significavit ea vox ac libertus, id est servus donatus libertate.

Natus, dum ingenuus. Persuades hoc tibi verè
Ante potestatem Tullî, atque ignobile regnum,
Multos sæpè viros nullis majoribus ortos,
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos:
Contra, Lævinum, Valerî genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis
Non unquam pretio pluris licuisse, notante

habes hoc persuasum, idque meritò, antequam Servius Tullius obscuro et ignobili loco natus, regnum capesseret, plurimos extitisse viros optimos, et summis affectos honoribus, quorum majores nullius pretii ac nominis fuissent: contra verò Lævinum Valerium, Publii Valerii Publicolæ, à quo Tarquinius Superbus solio deturbatus fuit, filium nunquam pluris æstimatum fuisse uno asse, etiam populi judicio, cujus

8. *Ingenuus.* Propriè is dicitur, qui neque servus est, neque servo natus. Plerumque significat hominem probum, bonâ indole præditum, bene ac liberaliter educatum.

9. *Tulli.* Servius Tullius, Romanorum rex sextus, Tarquinii Prisci gener, ignobilis, et obscuro loco natus censebatur, quia ejus mater bello capta et serva erat: licèt claris orta majoribus.

12. *Lævinum.* Cùm Tarquin. Superbus Româ pulsus est, Rempublicam administrandam susceperunt Brutus et Collatinus, et Consules appellati. Incidit Collatinus in suspicionem, quasi Tarquinio faveret, itaque in ordinem redactus, et Magistratum abdicare coactus est. Suffectus illi fuit Publius Valerius Publicola, sive Poplicola, sic dictus, quia populi erat studiosissimus. Ex ejus Valerii familiâ ortus est subinde Valerius Levinus, homo vecors, et à majorum virtute degener, cujus ne nomen quidem proditum litteris legitur, nisi in hoc Horatii loco. Fit quidem mentio Publii Valerii Lævini, et Marci Valerii Lævini, sed honorifica, hic enim contra Philippum Macedonem, ille contra Pyrrhum res magnas gessit.

13. *Tarquinius.* Reges Romam tenuerunt usque ad creatos Consules, annis ducentis quadraginta et quatuor. Ejectus Tarquinius Superbus, regum ultimus, anno ante Christum quingentesimo nono, à Lucio Junio Bruto, non à Pub. Valerio ut hìc Horatius scribit; nisi fortè velit Valerium, ut exigeretur Tarquinius, et ne restitueretur, operam navavisse.

14. *Licuisse.* Licere merx aliqua proprie dicitur, cùm venditur actione constitutâ, et majus pretium offerenti addicitur.

Notante. Notare, hoc loco significat ignominiæ notam ac labem innuere.

Judice, quo nosti, populo; qui stultus honores
Sæpè dat indignis, et famæ servit ineptus;
Qui stupet in titulis et imaginibus. Quid oportet
Nos facere, à vulgo longè latèque remotos?
Namque esto, populus Lævino mallet honorem
Quàm Decio mandare novo; censorque moveret
Appius ingenuo si non essem patre natus;
Vel meritò, quoniam in propria non pelle quiessem.

levitatem cæteroquin et stultitiam præclarè nosti, quippe qui Magistratus sæpè defert immerentibus, et majorem famæ quàm virtutis rationem habet: qui titulos veteres, et imagines avorum longâ serie in atriis dispositas miratur, in iisque satis causæ esse, cur aliquis ad summos honores evehatur, putat. Quid facere nos par est, qui ab opinionibus vulgi quàm longissimè disjuncti esse debemus? Esto enim, ponamus populum deferre Lævino, nobili quidem at improbo, Consulatum maluisse, quàm Publio Decio Muri, qui homo novus erat, ac nullâ majorum nobilitate et gloriâ cognitus, idemque vir optimus: ideone deterior fuisset P. Decius, aut Lævinus melior? An ego nequior forem, si senatu v. g. motus essem ab Appio censore, ob eam causam quod non essem ingenuo pa-

17. *Imaginibus.* Habebant Romani majorum suorum imagines cereas in atrio domorum, ordine collocatas, ad nobilitatis commendationem. Eas inde efferebant ad funera cohonestanda, ad triumphos, etc.

20. *Decio.* Publius Decius Mus, Consulatum cum Tito Manlio Torquato gerebat anno U. C. 414. mundi 3714. quo Latini victi sunt. Ipse Decius pro exercitu se devovit, et in mediam hostium aciem equo sponte invectus, fortiter occubuit.

Novo. Novos homines appellabant Romani eos, quorum majores honoribus ornati non fuerant.

Censor. Magistratus, qui populum Romanum recensebat, unde illi Censoris nomen, singulorum fortunas, conditionem, mores, expendebat, notabat vitia et emendabat. Senatorem loco indignum Senatu movebat; Equitem privabat equo; Plebeium in ærarios referebat.

21. *Appius.* Pub. Appius Claudius, cognomento Crassus, sive Cœcus, bis Consul, anno scilicet U. C. 447. et 457. semel Dictator, et per quinquennium Censor fuit. Appiam viam stravit, pax ne fieret cum Pyrrho intercessit, etc.

22. *In pelle, etc.* Natum proverbium, vel ab asino Æsopico, qui cùm leonis pel-

Sed fulgente trahit constrictos Gloria curru
Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tulli,
Sumere depositum clavum, fierique Tribunum?
Invidia accrevit, privato quæ minor esset.
Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, et latum dimisit pectore clavum,
Audit continuo: Quis homo hic est? quo patre natus?

rente ortus? et ignominiam hanc sanè mererer, si meæ conditionis oblitus, in meâ me pelliculâ et avitâ fortunâ non continuissem. Ita quidem se res habet; verum omnes, ignobiles perinde ac nobiles, gloriæ fulgore perstringuntur, et honorum cupiditate, tanquam vincti et captivi trahuntur. Quid illi tamen assequuntur; Quid tibi profuit, ô Tulli, senatoriam dignitatem recuperasse, ac tribunatu militum ornatum fuisse? Invidiæ magis obnoxius fuisti, quàm si privatam secutus vitam fores. Cùm enim quispiam insanâ flagrans ambitione senatorios calceos nigrâ pelle tectos, et ad medium usque crus porrectos induit, ac tunicam laticlaviam sumpsit,

lem induisset, feras aliquandiu fefellit; sed auriculis detectus, et irrisus est: vel à ranæ adversùs vitulum se inflantis fabulâ; quam Phædrus habet Lib. I. num. 23.

23. *Fulgente curru.* Auratos triumphantium currus captivi hostes et alligati sequebantur.

24. *Tulli.* Vetus interpres ait Tullium quemdam, quòd Pompeianas partes secutus fuisset, à Julio Cæsare Senatu motum esse: occiso Cæsare restitutum ac Tribunatu donatum.

Tribunum. Tribuni alii erant urbani sive plebis, qui jura populi tuebantur. Instituti fuere anno conditæ Romæ 261. cùm enim ob creditorum impotentiam et fœnebre malum, plebs trans Anienem secessisset à Patriciis; Menenii Agrippæ consilio et oratione reconciliata est, impetrato prius isto magistratu, quem ad sui tutelam violentiæ Patrum objiceret. Alii Tribuni militares dicti sunt, de quibus vide Lib. Epodon Od. IV. ver. 20.

27. *Nigris pellibus.* Calcei Senatorum, id est, molli pelle agina, aut hœdina, erant contecti. Ea pellis, ocreæ minoris instar, assurgebat usque ad medium crus, *une espèce de brodequins noirs.*

28. *Latum clavum.* Vestem laticlaviam. Græci πλατύσημον appellant. Quæ vox significat latam ex purpura plagulam tunicæ ipsi, insutam, et ante pectus demissam, aut etiam à tergo, vel, in ipso tunica limbo, et ora infima.

Ut si qui ægrotet quo morbo Barrus, haberi
Ut cupiat formosus, eat quàcunque, puellis
Injiciat curam quærendi singula: quali
Sit facie, surâ, quali pede, dente, capillo?
Sic qui promittit, cives, Urbem sibi curæ,
Imperium fore, et Italiam, et delubra Deorum;
Quo patre sit natus, num ignotâ matre inhonestus,
Omnes mortales curare et quærere cogit?
Tune Syri, Damæ, aut Dionysi filius, audes
Dejicere è saxo cives, aut tradere Cadmo?
At Novius collega gradu post me sedet uno;
Namque est ille, pater quod erat meus. Hoc tibi Paulus,
Et Messala videris. At hic, si plaustra ducenta,

statim audit percontantem populum · Quis iste autem, quibus ortus est majoribus? Quemadmodum si quis eo laborabat morbo, quo Barrus, qui miserè cupit videri pulcher, is, inquam, quocunque se conferret, puellis omnibus afferret sollicitudinem inquirendi sigillatim de illo, qualem haberet faciem, suram, pedem, dentes, et capillos: ita qui suam in fidem, et velut in tutelam accipit Romam, Quirites, Italiam, Superûm templa, Imperium denique universum, is omnibus curam injicit sciscitandi, quo genitus sit parente, num ignobili matre natus? Tu scilicet, cujus pater vile mancipium fuit, Syrus nomine, Dama, aut Dionysius, audeas cives è Tarpeia rupe præcipites demittere, aut lictori cædendos tradere? At, inquis, Novius, qui mecum eumdem gerit magistratum, uno etiam gradu me ignobilior est: est enim libertus, ut pater meus. Egregiam enimvero defensionem! nimirum, quia ignobiliorem teipso collegam habes, tibi continuò videris Paulo Æmilio, vel Messalæ par esse. At hic Novius, si nescis,

33. *Suræ.* Est pars posterior cruris, infra poplitem: anterior pars, infra genu, dicitur tibia.

38. *Tune.* Id populus dicere fingitur.

Syri, Damæ, etc. Erant ista servorum nomina, in comœdiis decantata.

E saxo. Collis, in quo erat ædi[illegible] Capitolium, saxum Tarp[illegible] rupes Tarpeia.

Cadmo. Nomen est carnificis, sive lictoris, vulgò tunc noti.

41. *Paulus.* Æmilia gens Patricia fuit, et summis honoribus perfuncta.

42. *Messala.* Messalæ, Potiti, Corvini, Flacci, Maximi, *etc.* præcipuæ familiæ fuerunt gentis Valeriæ, de qua dictum initio hujus Satiræ. Marcus Valerius Maximus,

Concurrantque foro tria funera, magna sonabit
Cornua quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos.
Nunc ad me redeo, libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum:
Nunc, quia, Mæcenas, tibi sum convíctor; at olim,
Quod mihi pareret legio Romana Tribuno.
Dissimile hoc illi est, quia non, ut forsit honorem
Jure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum;
Præsertim cautum dignos assumere, pravâ
Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me possum, casu quòd te sortitus amicum:
Nulla etenim tibi me fors obtulit. Optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixère quid essem.
Ut veni coram, singultim pauca locutus,

valet voce usque eo, ut murmur ac sonum à ducentis simul plaustris in plateam concurrentibus, aut à trium funerum tubis, et tibiis editum possit vincere. Saltem eâ dote præclarâ nobis placet. Sed jam sermo ad meipsam revertatur, hominis libertini filium, qui ob idipsum ab omnibus vellicor et invido dente mordeor, cùm me tanquam amicum et convictorem à te, Mæcenas, tam familiariter adhiberi nunc cernunt, ut et olim invidebant, cùm ego idem militum tribunus eram: sed magnum tamen est discrimen inter honorem illum militarem olim mihi delatum, et hanc, quâ me nunc ornas, benevolentiam. Invidere mihi fortasse quispiam honorem illum, tanquam indigno datum, potuerit: at ob amicitiam tuam nemo indignari mihi jure potest, cùm tu id caveas diligenter, ne quem, nisi dignum et merentem, in amicorum tuorum numerum cooptes: neque potest fortunæ ascribere, quod amicum te nactus fuerim. Non hoc factum casu et temerè. Virgilius, ac subinde Varius, narravere tibi quid hominis essem. Ubi primùm in conspectum tuum veni, exposui paucis timidè, et cunctanter,

Consul fuit anno U. C. 490. ac de Pœnis triumphavit. Quia Messanam Urbem Siciliæ ceperat, primùm Messanæ, tum Messalæ cognomen illi est inditum, quod ad posteros transiit, è quibus Marcus Valerius Messala Consulatum gessit anno U. C. 724. de Salassis triumphavit, Urbis Præfecturam obtinuit.

43. *Funera.* Adhibebantur in exequiis tibiæ et tubæ, lugubri modo personantes.

Magna sonabit. Vel magnopere clamabit, clarè vociferabitur.

49. *Forsit.* Vox pro fortasse.

Infans namque pudor prohibebat plura profari,
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed, quod eram, narro. Respondes, ut tuus est mos,
Pauca. Abeo, et revocas nono post mense, jubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre præclaro, sed vitâ, et pectore puro.
Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta, velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore nævos,
Si neque avaritiam, neque sordes, nec mala lustra
Objiciet verè quisquam mihi: purus, et insons,
Ut me collaudem, si vivo, et carus amicis;

pudore nimirum vocem cohibente, ne plura dicerem quis essem; nec mihi patrem nobilem dixi, aut opimam hereditatem et ingentia prædia obtigisse, quæ generoso vectus equo perambularem. Paucis pro tuo more, mihi respondisti: discessi; me post novem exactos menses redire ad te, ac tuos inter amicos numerari jussisti. Ego verò præclarum hoc mihi et in laude non vulgari ponendum puto, quod me tibi non claritas parentis mei et generis, sed vitæ morumque integritas conciliaverit, tibi, inquam, rerum æstimatori prudentissimo, qui strenuos et dignos, ab indignis et improbis nosti distinguere. Cæterum si generis splendorem nullum in me contulit pater, illud certè ipsi acceptum fero, quòd paucis ac modicis laboro vitiis, quæ bonam cæteroquin indolem, ut liberalem vultum nævi leviores, infuscant. Si nemo mihi verè potest exprobare avaritiam, aut sordidam parcimoniam; nemo ganearum fœditatem, et obscœnitatem morum, quod mihi de me prædicare pace tuâ liceat, si à gravioribus sum noxis purus, si amicis non injucundus. hæc omnia, inquam, patri debeo, qui licèt angustâ re familiari uteretur, ac in tenui, unde fructus annuos colligebat, villa degeret, noluit tamen ut litteras doce-

57. *Infans.* Nomen est adjectivum. Pudor infans, qui fari prohibet, qui linguam præpedit.

59. *Satureiano.* Satureium oppidum Tarento vicinum fuisse testatur Servius. In ejus agris ferdilissima pascua, et equi generosi. Tarp

68. *Lustra.* Ganeas, lupanaria. Lustra dici ait Festus, lamas lutosas, quæ sunt in sylvis aprorum cubilia, ab earum autem similitudine ii qui in locis abditis et sordidis ventri et desidiæ dant operam, dicuntur in lustris vitam agere.

Causa fuit pater his, macro qui pauper agello
Noluit in Flavî ludum me mittere, magni
Quò pueri magnis è centurionibus orti,
Lævo suspensi loculos, tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes Idibus æra.
Sed puerum est ausus Romam portare, docendum
Artes, quas doceat quivis Eques, atque Senator
Semet prognatos. Vestem, servosque sequentes,
In magno ut populo si quis vidisset, avitâ

rer Venusiæ, neque me tradidit in disciplinam Flavii, cujus scholam nihilominus pueri nobiles, clarissimorum centurionum filii, frequentabant, gestantes ipsimet sub sinistro brachio capsulam et tabellas, ac recurrentibus idibus, nummulos aliquot ad magistrum ferentes stipendii et minervalis loco. Sed, contemptâ relictâque Venusiâ, non dubitavit me puerulum Romam ipsam ferre, ut in hac urbium principe ac magistra, docerer artes optimas, quibus Senator quilibet equesve Romanus, liberos suos erudiendos vulgò curat. Addidit vestes lautas, necnon servos qui me assectarentur, adeò ut quicumque me per urbem isto cultu incedentem aspexisset, is me natum putavisset in ampla re et opulenta, unde mihi sumptus isti suppeditarentur. Quin ipse parens mihi operam magistris danti aderat præsens,

72. *Flavî ludum.* Scholam. Docebat iste Flavius Venusiæ artem scribendi, legendi, numerandi.

73. *Centurionibus.* Centuriones erant sexaginta in singulis legionibus, sex in unaquaque cohorte. Centenis vulgò peditibus singuli præerant: et quamvis pauciores centenis interdum numerarentur milites in singulis manipulis, nomen tamen Centurionum mansit. Major aliis erat primus cohortis primæ Centurio, ac Primipilus, sive Centurio primipili vocabatur.

75. *Octonis, etc.* Idus vocatæ sunt octonæ, quia inter Nonas et Idus, octo dies intercedebant; octava, Iduum dies erat. Fœneratores usuram vulgò exigebant Calendis, id est primâ die cujusque mensis, ac rursum Ibidus, si essent avidiores. Iste Flavius exigebat stipendium Idibus.

Referentes æra Idibus. Quidam sic explicant: Pecuniæ calculis putatæ rationem domo reportantes in scholam, quemadmodum fuerat ipsis à magistro præscriptum: ita ut calculos referrent, seu accommodarent ad diem Iduum, id est, notarent quantùm fœnoris pro certâ pecunia Idibus exigi posset. In quo carpit illorum Centurionum avaritiam qui artes ejusmodi fœneratorias à liberis suis unicè perdisci vellent.

Ex re præberi sumtus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum,
Qui primus virtutis honos, servavit ab omni
Non solùm facto, verùm opprobrio quoque turpi;
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si præco parvas, aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer, neque ego essem questus. Ob hoc nunc
Laus illi debetur, et à me gratia major.
Nil me pœniteat sanum patris hujus; eoque
Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,

tanquam ætatis meæ integerrimus custos. Denique, ut uno verbo complectar omnia, id perfecit ut pudicitiam meam, quæ prima viri probi gloria est, illibatam tutaretur et incorruptam, meque non solùm ab omni crimine, verùm etiam à fama turpi et maledicto immunem prestaret. Neque veritus est, dum eas in me educando impensas facit, ne imminueret fortunas suas, neve ab aliquo vituperaretur aliquando, perinde quasi fuisset ipse in causa, cur non ad altiorem quempiam gradum eveherer, sed in paterno munere præconis aut coactoris luerens, mercium venditarum pretia colligerem: quod fecissem equidem non invitus. Quocirca ob hanc in me instituendo liberalem curam, ac sedulitatem, et laude majori dignus est, et illi à me gratia impensiùs referenda. Si sapiam, nihil est profectò quod doleam talem mihi parentem obtigisse; neque plerosque imitabor, qui, ut natalium obscuritatem excusent, aiunt suo vitio non esse factum, quod ingenuis nobilibusque parentibus orti non sint. Longè aliter

86. *Præco.* Is est, qui leges ferendas, aut edicta, recitat in curia, in concione, etc. qui merces auctione constituta vendendas appellat, licitantibus addicit, etc.

Coactor. Publicanorum administer, ut vult Lambinus, qui pecunias tributi nomine pensitari solitas minutatim exigebat, colligebatque: *un Sergent*, qui rerum venditarum pretia intra certum diem solvenda curabat, id quod Horatius vocat mercedes sequi. Maluit Horatii pater filio mores optimos, quàm optimam hereditatem relinquere. Itaque rem imminuere non dubitavit, ut eum diligenter educatum haberet.

90. *Dolo suo.* Id est, delicto, quem dolum malum Jurisconsulti appellare solent.

Sic me defendam. Longè mea discrepat istis
Et vox, et ratio. Nam, si Natura juberet
A certis annis ævum remeare peractum,
Atque alios legere ad fastum quoscunque parentes
Optaret sibi quisque, meis contentus, honestos
Fascibus, et sellis nolim mihi sumere. Demens
Judicio vulgi, sanus fortasse tuo; quod
Nollem onus, haud unquam solitus, portare molestum.
Nam mihi continuo major quærenda foret res,
Atque salutandi plures; ducendus et unus,
Et comes alter, utine solus, rusve, peregreve exirem; plures calones, atque caballi
Pascendi; ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel, si libet, usque Tarentum,

atque isti et sentio et loquor. Quippe si natura sineret nos, post certum numerum annorum, vitam redintegrare, aliosque ab iis quos dedisset nobis, parentes deligere, prout sua cuique ambitio suaderet, ego mutare meos nollem, neque alios mihi optarem consulari, prætoriâ, vel aliâ qualibet dignitate insignes: in quo meam fortasse prudentiam vulgus desideraret, tu verò laudares, ut opinor, vel eam ob causam, quòd grave et insolitum pondus imponere mihi nollem. Siquidem statim opera mihi danda foret, ut opes ac fortunas meas augerem, ut plures officii causâ viserem, ut haberem unum alterumve comitem, ne in vicinam urbi villam, aut aliò quopiam longiùs discederem incomitatus: nutrienda essent mancipia plura et jumenta: deducenda vehiculorum copia. Nunc unus mihi sufficit mulus pumilus, qui Tarentum usque, si sit animus, me deportat, onustus vidulo, tergum ipsius oblædente, et ab equitis mali calcaribus

97. *Fascibus.* Lege Od XI. Libri I. pag 35. ver. 35.

Sellis. Majoribus quibusdam magistratibus licebat eburneam sellam in curru gestare, deferre in Senatum, in eaque considere.

103. *Calones.* Viliores servi præcipuè militum: à lignis palisque in militiæ usum ferendis dicti à voce κῆλον, sive κᾶλον, lignum, *des palfreniers, des goujats.*

104. *Petorrita.* Petorritum, vehiculi genus apud Gallos usitatum, et quatuor instructum rotis.

105. *Curto mulo.* Cui cauda est mutila, et decurtata; Mulo autem, non equo, equis enim cives honestiores tantùm, et ditiores vehebantur.

Tarentum. Est Urbs Italiæ extremæ, *Tarente.*

Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos.
Objiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tilli,
Quum Tiburte viâ prætorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes œnophorumque.
Hoc ego commodiùs, quàm tu, præclare Senator,
Millibus atque aliis, vivo. Quàcunque libido est,
Incedo solus; percontor quanti olus, ac far;
Fallacem Circum, vespertinumque pererro
Sæpè forum; adsisto divinis: inde domum me
Ad porri, et ciceris refero laganique catinum.

vulneratus. Nullus mihi exprobrabit avaritiam, quæ tibi, ô Tilli; Prœtor clarissime, objicitur, cùm incedis per viam Tiburtinam stipatus quinque servis, matulam, et amphoram gestantibus. Sic multò beatiorem vitam vivo quàm tu, Senator egregie, quàm sexcenti alii. Pergo solus, quocumque libet: sciscitor à mercatoribus quanti vendantur in foro legumina et triticum; perambulo Circum, ubi circulatores popello verba dare solent; sub vesperam in platea sæpè spatior, et hariolis ac circulatoribus circumforaneis aures præbeo stans: inde recipio me domum, porrum, cicer, et dulciarium aliquod crustulum cœnaturus: ministrant cœnanti tres servi; est mihi pro abaco marmor candidum, cui imposita duo pocula et scyphus.

106. *Mantica.* Sarcina, pera; *une valise.*

Armos. Costas, latus.

108. *Tiburte.* Tiburs, Tiburtis, idem ac Tiburtinus.

109. *Lasanum.* Vas comparatum ad lotium, aut etiam ventris onus excipiendum, quod sellæ familiaricæ subjicitur.

Œnophorum. Vas vinarium: ab οἶνος, *vinum*, et φέρω porto: οἰνόφορος. Idcirco autem lagenam jubebat à servis gestari, ne vinum à cauponibus sumere cogeretur: vel, ut eadem in ipso curru et itinere uteretur.

113. *Circum.* Erat Circus, le *Cirque*, spatium ferme rotundum, instar oblongi circuli, septum ædificiis et porticibus, unde ludi publici spectabantur, et certamina, præsertim curulia.

Fallacem. Ubi harioli et gerrones morantur: item institores dolosi.

Vespertinum. Rectè, inquit Torrentius: matutinum enim forum litibus negotiisque perstrepebat.

114. *Divinis.* Præstigiatoribus, qui artem divinandi profitentur. Aretalogis, somniorum interpretibus, etc.

115. *Porri*, etc. Porrum, cicer, legumina sunt.

Lagani. Laganum, placentæ genus, confectum è simila, et oleo recenti.

Cœna ministratur pueris tribus, et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet: astat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum, non solicitus, mihi quod cras
Surgendum sit manè, obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.
Ad quartam jaceo; post hanc vagor, aut ego lecto,

Non procul hinc præsto sunt polubrum, aqualis et patera, quæ omnia ex argilla Campana constant. Postea in lectum me infero, non anxius quod postridie prima luce expergisci debeam et eam fori partem obire, ubi spectatur Marsiæ statua, quæ conspectum Novii natu minoris videtur ægrè ferre. Dormio ad decimam usque horam matutinam. Postea huc illuc temerè ambulo, aut lectito quidpiam tacitus, vel scriptito quod mihi prosit: ungo etiam corpus, non vili tamen oleo quali utitur Natta, qui suis illud lucernis suffuratur. Defatigatus concur-

Catinum. Catinus, vas escarium, ubi pultem, aut jurulenti quidpiam ponebant.

116. *Lapis albus.* Vel abacus, ut exposui, vel mensa è candido marmore, quæ vulgò Delphica vocabatur.

117. *Pocula duo.* Alterum vini, aquæ alterum. Cyathus verò erat vasculum exiguum in quod ex poculis vinum, aut aqua defundebatur.

Echinus. Animal exiguum, setis, instar jaculorum, aut spinarum, acutis, obsitum, quibus totum se involvit, contraque morsus canum tuetur, corpus in orbem colligens. Hoc in loco vox ea significat vas quoddam echini more rotundum, et in imo intumescens culinæ aut mensæ usibus, destinatum, *une aiguiere.*

118. *Patera.* Eà libabant Diis in mensa, id est, vinum in mensam leviter invergebant, honoris et religionis ergo.

Campana. Fictilis. Campania, pars Italiæ, in qua ob argillæ bonitatem et copiam, vasa plurima fingebantur.

120. *Marsya.* Phryx quidam tibicen, et Satyrus, ut fabulis proditum est, qui cùm ausus esset Apollinem provocare, ab eo victus, et pelle nudatus fuit. Hujus Marsyæ statua visebatur in ea fori parte quæ Rostra attingebat, ubi constitui vadimonia et lites agitari solitæ; idcirco ibi posita, ut ejus aspectu et supplicio, improbi atque injusti litigatores, qui alios injuriâ vocarent in jus, deterrerentur. Hinc nomen ipsi loco factum.

121. *Noviorum.* Fratrum scilicet, quorum minor, judex erat, aut fœnerator nequissimus.

122. *Quartam.* Nimirum ab orto Sole, id est, horam decimam matutinam, ut numeramus.

Aut scripto quod me tacitum juvet. Ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio rabiosi tempora signi.
Pransus non avidè, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Hæc est
Vita solutorum miserà ambitione gravique:
His me consolor, victurus suaviùs, ac si
Quæstor avus, pater atque meus, patruusque fuissent.

sando, et meridiano æstu admonitus ut corpus lavem, Caniculæ sævos calores balneis tempero. Postquam pransus sum moderatè ac sobriè, quantùm satis est, ut ne inani ventre per diem totum maneam, tum otiosus quiesco domi. Ita vivere licet iis quos ambitio misera gravissimis vinculis impeditos non tenet. Ita me de mea ignobilitate consolor, quippe cui habeam pro certo in hac medioeri et privatâ canditione, vitam mihi longè jucundiorem futuram, quàm si pater meus, patruus, et avus, quæsturæ honore insignes extitissent.

123. *Olivo.* Postquam usi balneis erant, oleo ungebant corpus. Idipsum etiam factitabant aliquando, licèt balneo non uterentur, ad sordes abstergendas, et artus corroborandos.

124. *Immundus.* Sordidus, avarus.

Natta. Eundem, opinor, carpit Persius Sat. III. versu 31. Juvenal Sat. VIII.

126. *Rabiosi signi.* Æstuosi, siticulosi astri. Sirium, sive Caniculam, intelligit.

127. *Interpellet durare.* Impediat quominus durem jejunus toto die.

131. *Quæstor.* Magistratus, qui pecuniæ publicæ curam gerebat, *un trésorier.* Præerat ærario, vectigalia colligebat, annonam et stipendia exercitibus comparabat, *etc.* Quæstura primus ad honores alios gradus erat.

SATYRA VII.

Describit rixam Rupilii, cognomento Regis, cum Græculo quodam, cui nomen Persius.

PROSCRIPTI Regis Rupilî pus, atque venenum,
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus et lippis notum, et tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas:
Durus homo, atque odio posset qui vincere Regem;
Confidens, tumidusque; adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis præcurreret albis.

Lippis omnibus et tonsoribus compertum esse arbitror, quemadmodum Persius matre Romanâ, et Græco patre natus, Rupilium Regem, hominem contaminatum et pestiferum, olim inter proscriptos relatum, exagitaverit, et ejus convicia paribus conviciis muneratus fuerit ac retuderit. Huic Persio, homini locupleti, negotia magna erant in urbe Asiæ, quam Clazomenas vocant, erant etiam graves cum Rupilio Rege lites: ipse naturâ ferox et asper, dicatior petulantiorque Rege; audax, arrogans, et in jactandis salibus conviciisque tam acerbus et amarus, ut Barros

1. *Proscripti.* Postquam Augustus, adjunctis sibi Antonio et Lepido, Rempublicam occupavit, qui Triumviratus est appellatus, multi ab illis cives proscripti, id est, publicè in tabella scripti fuere, mercede propositâ, si quis eos interfecisset. In eorum numero cùm se esse cognovisset iste Rupilius, cognomento Rex, in Asiam confugit ad Brutum, et in ejus exercitu stipendia fecit cum Horatio, qui aliquâ, ut apparet, ab eo affectus injuriâ, in hac Satyra inimicum ulciscitur.

2. *Hybrida.* Hybridæ vocantur, qui è parentibus diversæ conditionis, aut nationis procreati sunt, ut iste Persius, cujus pater Græcus, mater Itala. Eo nomine vocari porcos ex apro fero, et domesticâ sui natos Plinius scribit. Lib. VIII. cap. 53.

3. *Omnibus lippis,* etc. Proverbium hoc usurpatur de re nota et pervulgata.

5. *Clazomenis.* Clazomenæ, Urbs Asiæ minoris fuit dives et populosa.

6. *Odio,* etc. Sæpe valet idem hæc vox atque molestia, pertinacia, importunitas.

8. *Sisennas.* Barrus et Sisen-

Ad Regem redeo. Postquam nihil inter utrumque
Convenit (hoc etenim sunt omnes jure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit. Inter
Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors;
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit. Duo si discordia verset inertes;
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco; discedat pigrior, ultro
Muneribus missis.) Bruto Prætore tenente
Ditem Asiam, Rupilì et Persì par pugnat, uti non

et Sisennas longo intervallo superaret. Sed ut ad Rupilium Regem ejusque cum Persio rixam revertar; diu inter se ambo altercati sunt, componi controversia non poterat: solent enim omnes obstinati ligatores eodem se modo gerere, idem licere sibi putant, ac viri fortes, inter quos bellum exarsit; neuter alteri vult concedere. Sic ira et dissidium inter Hectorem et Achillem, adeo capitale et internecinum fuit, ut solâ morte ad extremum dirimi potuerit, eam unam scilicet ob causam, quia uterque virtute bellicâ præstabat: contra verò si duos inter ignavos aut impares contentio aliqua intercedat, quales fuere Diomedes et Glaucus, qui est inertior amborum, is non dubitabit adversario munera mittere, litemque sic ultro componere. Duo igitur nostri pugiles, obnixi alter alteri non cedere, adeunt Brutum, qui tunc Prætor in Asia versabatur;

nas, Augusti tempore obtrectatores ac sycophantæ famosi.

Equis albis. Equi candidi, putabantur esse velocissimi. Equis albis præcurrere, parœmia est, et metaphora ducta à stadio et circo; pro, longè anteire.

10. *Molesti.* Ita dicaces illos vocat, qui aliis plerumque odiosi sunt, propter arrogantiam et contumaciam.

12. *Priamidem.* Priami filium.

17. *Glauco.* Glaucus, juvenis ignavus, regis Lyciæ filius, Trojanis auxilio venit. Commisso prælio incidi in Diomedem, Græcorum ducem, virum fortissimum, cujus aspectu sic territus est, ut de pace statim egerit, et arma sua aurea cum ejus æreis mutaverit. Homer. VI. Iliad.

18. *Prætore.* M. Brutus et C. Cassius eo anno quo Cæsar interfectus est, Prætores urbani erant. Latâ in Cæsaris interfectores lege, discesserunt in provincias sibi attributas, Cretam et Bithyniam. Postea Brutus Macedoniam obtinere jussus à Senatu, in Asiam ad contrahenda undique auxilia profectus est.

Compositi meliùs cum Bitho Bacchius : in jus
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.
Persius exponit causam; ridetur ab omni
Conventu; laudat Brutum, laudatque cohortem.
Solem Asiæ Brutum appellat, stellasque salubres
Appellat comites, excepto Rege : Canem, illum,
Invisum agricolis sidus, venisse. Ruebat
Flumen ut hybernum, fertur quò rara securis.
Tum Prænestinus salso, multumque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia, durus
Vindemiator, et invictus, cui sæpè viator
Cessisset, magnâ compellans voce cucullum.

et, tanquam par gladiatorum, in arenam descendunt : Bithus et Bacchius non fuere melius inter se commissi. Extemplo ad tuendum jus suum litemque disceptandam se accingunt, et jucundum astanti coronæ spectaculum præbent. Incipit Persius, quâ de re agatur explicat; ridet confessus omnis. Pergit ille, Brutum et ejus cohortem laudibus ad cœlum tollit, Brutum solem Asiæ, ejus comites stellas salutares vocat, præter Rupilium, quem in Asiam accessisse ait similem Caniculæ, quod astrum exitiale agricolis et odiosum est. Tantâ celeritate, impetu tanto, perorabat, ut fluvium diceres hibernis auctum imbribus, qui arbores omnes quâcumque ruit dejiciens, nullam rusticorum et lignatorum securibus cædendam relinquit. Rupilius Præneste oriundus reponit largiter, ac reddit Persio convicia et probra longè amarissima, è pectore et ore maledico hausta, tanquam omphacium è vite acerba expressum : simillimus alicui strenuo et pertinaci vindemiatori, qui cùm à præ-

26. *Venisse.* Rupilius enim ad Brutum, ut dixi, confugerat, inque ipsius comitatu erat.

27. *Fertur quo,* etc. Quò rari feruntur lignatores, vel quia dejectæ, ut exposuimus, arbores sunt, torrentis impetu : vel quia timent ne ipsis abripiantur.

28. *Prænestinus.* Præneste, urbs antiqua Latii, nunc *Palestrina.*

29. *Arbusto.* Ita vocantur propriè arbores, quibus vitis applicatur; quæ ob eam causam dicta est arbustiva.

Expressa arbusto regerit. Mera est comparatio : hoc sensu videlicet : Reponit convicia tanquam vinum acerbum ex arbusto expressum.

31. *Cucullum.* Cucullus, avis est nota, *un coucou.* Dicitur ova sua in alienum inferre nidum, præ desidia, ne illis incubare cogatur. Idem nisi adulto vere, et in æstatem jam vergente, non canit.

At Græcus, postquam est Italo perfusus aceto
Persius, exclamat: Per magnos, Brute, Deos te
Oro, qui Reges consuestis tollere, cur non
Hunc Regem jugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est.

t̨reuntibus cucullus appellatur, aut aliâ voce contumeliosâ petitur, iis tam dura convicia regerit, ut cedere tandem et abire inultos cogat. At Græcus Persius Rupilii salibus omni aceto acerbioribus affatim se irrigatum videns, erumpit in has voces: O Brute, per omnes te Deos oro atque obtestor, te, inquam, cui avitum et solenne est reges è medio tollere, quare, hunc Regem non mactas? Hoc abs te, mihi crede, officii tui ratio, tuumque nomen postulat, Brutus non sis, nisi hoc agas.

32. *Aceto.* Acerba convicia vocat acetum, quia pungunt instar aceti.

SATYRA VIII.

Priapum Deum, quem ridet obiter, inducit narrantem quæ à veneficis in Esquiliarum horto fierent.

OLIM truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Quum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum. Deus inde ego, furum, aviumque
Maxima formido: nam fures dextra coërcet;
Ast importunas volucres in vertice arundo

OLim eram stipes relictus ex ficu arbore, et nullum ad opus utilis; cùm faber dubitans utrum ex me scamnum, an Priapum effingeret, Deum facere maluit. Ab hoc tempore, auctore isto et parente, sum Deus, furum ac volucrum mag-

1. *Inutile lignum.* Ficus arbor tenera et fragilis: quo fit ut ejus lignum nullam ad rem sit utile.

2. *Cùm faber, etc.* Salsè ac verè deridet inanium Deorum simulacra.

4. *Coërcet dextra.* Falce, vel fuste, armata.

Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.
Huc priùs angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, heredes monumentum ne sequeretur.

nus terror : nam fures quidem hæc, quam dextrâ gero, lignea falx absterret; volucres verò inimicas hortis, hic siccus et fluitans ramus, capiti meo infixus, abigit, et ne in istis viretis nuper adornatis consistant, impedit. In hunc, ubi recens sum collocatus, hortum efferenda vespillonibus certo pretio constituto dabant servi suorum conservorum cadavera, ex angustis ipsorum casulis educta, et in paupere feretro composita. Idem hic locus publicum erat infimæ plebis sepulcrum, ubi scurræ et decoctores tumularentur : inter quos Pantolabus et Nomentanus haud infimum locum obtinent. Latus erat eâ parte quæ tangit viam, pedes millenos ; habebat trecentos, versùs eam partem quæ in agros porrigitur ; idque indicabat columnella lapidea ibidem erecta, in qua etiam ascriptum erat,

6. *Novis.* Esquillinus collis, *les Esquiles*, unus è septem Romæ colliculis erat Partis I. In ejus parte quadam supplicium sumebatur de facinorosis, necnon sepellebantur cadavera infimæ plebeculæ. Magnam ejus loci partem emit Mæcenas, repurgavit, hortosque ibi amœnissimos condidit.

7. *Cellis.* Cella est exiguum conclave, sic dicta quod hominem occultet ac celet.

8. *Arca.* Sandapila, sarcophago. Nobiles demortui efferebantur à filiis, affinibus, etc. Mancipia verò et pauperes, à conductis eam ob rem servis, aut vespillonibus, neque cremabantur eorum cadavera, sed in aliquam scrobem promiscuè ingerebantur.

10. *Pantolabo, etc.* Mallium Pantolabum, et Cassium Nomentanum numerat in misera et egenti plebe, quia fortunas omnes suas ita dilapidaverunt, et avaro ventri donaverunt, ut ne tumuli quidem privati ac proprii copia ipsis, facultasque suppeteret.

11. *Cippus.* Lapis humo extans, et inscriptionem præferens aliquam ; in via aut agri orâ positus.

12. *Hic.* In hoc sepulcreto.

Dabat. Datos fuisse ostendebat : ab aliquo videlicet cive, qui agrum hunc populo legaverat : *marquoit que ce champ avoit mille pieds de large sur le chemin, et trois cents pieds de long vers la campagnè.*

Heredes, etc. Hàc formulâ verborum utebantur testatores, ut significarent se certum loci spatium è suis agris excipere, et heredibus adimere : erant-

Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, quò modò tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.
Quum mihi non tantum furesque, feræque suetæ
Hunc vexare locum, curæ sunt atque labori,
Quantum carminibus quæ versant atque venenis
Humanos animos. Has nullo perdere possum,
Nec prohibere modo, simul ac vaga Luna decorum
Protulit os, quin ossa legant, herbasque nocentes.
Vidi egomet nigrâ succinctam vadere pallâ
Canidiam, pedibus nudis, passoque capillo,

certum hoc spatium heredibus adimi; et populo, ut esset sepulcrum commune, addici. Nunc desii, hìc sepulcretum esse, jam habitare in Esquiliis fas est, cœli salubritate et amœnitate soli perfrui; deambulare sub dio in aperto aggere, in quo paulò antè ossa congesta deforme spectaculum intuentibus præbebant. At mihi nunc tantum negotii non facessunt fures et feræ in hunc venire locum, et nocere horto solitæ, quantum mulieres veneficæ, quæ suis incantationibus ac venenis hominum conturbare mentes gaudent. Has ego exterminare nullo pacto possum, neque impedire quominus, simul atque orta est Luna, istic ossa et pestiferas herbas colligant. Vidi ipse Canidiam cursitare altius præcinctam, et indutam vestibus nigris, nudis pedibus, sparsis capillis, et ululatus diros cum

que ista hujusmodi formulæ verba : HOC HEREDES NON SEQUITUR. Quod his notis, compendii causâ, exarabant, H. H. N. S.

Monumentum. Ita vocatur sepulcrum, quia mortui, necnon mortis memoriam refricat.

14. *Aggere.* Agger est propriè *une levée*, un rempart, *une terrasse*. Hoc in loco significatur agger Tarquinii, quem ille inter portas Collinam et Esquilinam duxerat, et muro fossâque muniverat.

18. *Versant.* Emovent, perturbant; odia, metum, etc. injiciunt.

20. *Vaga Luna.* Hæc veneficiis et sacris magicis noctu, fieri solitis, præesse credebatur, Vagam appellat, quia circulum suum magnâ celeritate describit, et ab eo unde pridie orta est loco, multùm hodie, cùm oritur, discedit, aberratque.

21. *Ossa legant.* Etsi locum hunc purgari jusserat Mæcenas, facere tamen non potuerat, quin multa ossa remanerent infossa : eaque ab istis veneficiis legebantur.

22. *Pallâ.* Est vestis longior, et ad pedes promissa.

Cum Sagana majore ululantem; pallor utrasque
Fecerat horrendas aspectu. Scalpere terram
Unguibus, et pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt. Cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea; major
Lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat, servilibus, ut quæ
Jam peritura, modis. Hecaten vocat altera, sævam
Altera Tisiphonem. Serpentes, atque videres
Infernas errare canes; Lunamque rubentem,
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.

majore Sagana edere. Illarum vultus tetro pallore suffussus horrorem videntibus incutiebat. Cœperunt humum sollicitare uncis manibus, et agnam nigri velleris laniare nudis dentibus: cujus sanguinem cum terra mixtum injecerunt in scrobem, ut ex ea manes excitarent, et mortuorum animas, quæ ipsis interrogantibus responderent, ac tristia ederent oracula. Aderant etiam imagines duæ, una ex lana, altera è cera constans: major erat lanea, cerea minor; ambæ ita compositæ, ut una torquere alteram, et plectere velle videretur: cerea supplicis in morem stabat, quasi vapulatura instar mancipii, et miserè mactanda. Interim Canidia Hecaten invocat, Sagana Tisiphonem, vidisses emersas ab inferis canes et serpentes, per hortum vagari, et Lunam rubore ac pudore suffusam, ne hæc scelera spectare cogeretur, post majora quædam

24. *Majore.* Duas innuit fuisse Saganas, quarum hæc major natu fuerit.

26. *Pullam.* Diis inferis nigræ victimæ immolabantur.

29. *Lanea effigies.* Utuntur malefici et magi quibusdam imaginibus, quas ad eundem modum torquent, urunt, vexant, ac si essent ipsi homines quibus nocere volunt; et revera dicuntur eadem infligi hominibus ipsis, licèt absentibus mala, quibus illæ effigies afficiuntur.

Devovet absentes, simulacraque cera fingit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

31. *Servilibus modis.* Atrocitas dominorum in servos olim, et potestas, magna erat.

32. *Hecaten.* Proserpinam. Eadem erat ac Luna, et Diana.

33. *Tisiphonem.* Unam è Furiis.

34. *Canes.* Proserpinam, sive Hecaten, comitari canes fingebatur. Fortasse quia eadem erat ac Diana quæ canibus et venatione gaudet.

Singula

Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbræ cum Saganâ resonarint triste et acutum?
Utque lupi barbam variæ cum dente colubræ
Abdiderint furtim terris? et imagine cereâ
Largior arserit ignis? et ut, non testis inultus,
Horruerim voces Furiarum et facta duarum?
Nam, displosa sonat quantùm vesica, pepedi
Diffissâ nate ficus. At illæ currere in urbem.
Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno risuque jocoque, videres.

sepulcra se abdere. Quid reliqua sigillatim referam? quemadmodum Umbræ cum Sagana colloquentes, lugubri et acuto striderent murmure. Quo item pacto barbam lupi cum colubræ dentibus clam humo ingesserint? ac imago cerea repentè igne multo deflagraverit? et quemadmodum ego, qui hæc spectabam, duarum istarum vocibus et factis Furiarum perculsus et provocatus ad iracundiam sic fuerim, ut eas inultas abire passus non sim? nam ficulnis meis natibus diductis, non minorem crepitum edidi, quàm cùm valde inflata vesica rumpitur ac discinditur. Quo strepitu illæ attonitæ continuò in urbem incitato cursu diffugerunt: nemo tunc sine risu aspexisset Canidiam adscititis et ementitis dentibus, qui currenti deciderant, orbatam: Saganam quoque reticulo, quo crines implicuerat, spoliatam, ac demum sparsas humi herbas, fila, et tænias, quibus ad suas incantationes et veneficia utebantur, quas è manibus, dum trepidæ currunt, dimiserant.

36. *Alterna.* Alternis, per vices.

38. *Variæ.* Pellem habentis variam, id est, maculis varii coloris distinctam.

44. *Dentes.* Nimirum fictos et assutos.

Caliendrum. Exponunt aliqui comam appositam, minimeque nativam: alii capitis operimentum et ornatum, *une coëffure.* Altum appelat, quia in summo capite assurgebat turbinatim, instar racemi:

46. *Vincula.* Quibus vincire hominum mentes, et implicare se posse confidebant: *des bandelettes enchantées.*

Satyra IX.

Garruli cujusdam improbam loquacitatem facetè describit, et quemadmodum se ab illo extricaverit, narrat.

Ibam fortè viâ Sacrâ, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis;
Accurit quidam notus mihi nomine tantùm,
Arreptâque manu: Quid agis, dulcissime rerum?
Suaviter, ut nunc est, inquam; et cupio omnia quæ vis.
Cùm assectaretur: Num quid vis? occupo. At ille,
Noris nos, inquit, docti sumus. Hîc ego, pluris
Hoc, inquam, mihi eris. Miserè discedere quærens,
Ire modò ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero. Cùm sudor ad imos
Manaret talos: O te, Bollane, cerebri

Nuper accidit ut per viam Sacram iter facerem, mecum agitans nugarum aliquid, ut soleo, et totus in eâ cogitatione defixus, cùm mihi nescio quis obtulit sese, quem nomine duntaxat noram. Is manum mihi prehendens, O suavissime Horati, inquit, quî vales? Belle, inquam, ut quidem nunc se res habent, et valere te vicissim, ac bene tibi omnia cupio evenire. Cùm autem ille à me latere non discederet, prior hominem ita compellavi: Numquid me vis? est ne ubi operâ meâ indigeas? Tum ille, nihil aliud opto, inquit, nisi ut tu me noveris; imperitus ac rudis bonarum litterarum non sum. Cui ego: Tantò est melior, et mihi tantò eris carior. Interim id agebam enixè ut ab importuno isto comite divellerer; itaque modò accelerabam, modò premebam gradum, nunc servo meo aliquid in aurem insusurrabam; sudans totis artu-

4. *Rerum.* Vel est: Quid agis rerum? vel, dulcissime rerum. Sic Latini genitivos quosdam addunt ornatûs causâ, in his v. g. locutionibus, minimè gentium, ubi locorum, etc.

5. *Suaviter.* Subaudi, ago, vivo.

11. *Bollane.* Homo erat, ut interpretor, minimè malus, cujus caput non obtunderetur molestâ blateronum garrulitate.

Felicem, aiebam tacitus. Cùm quidlibet ille
Garriret, vicos, Urbem laudaret; ut illi
Nil respondebam: Miserè cupis, inquit, abire;
Jamdudum video: sed nil agis, usque tenebo;
Prosequar, hinc, quò nunc iter est tibi? Nil opus est te
Circum agi, quemdam volo visere, non tibi notum:
Trans Tiberim longè cubat is, prope Cæsaris hortos,
Nil habeo quod agam; et non sum piger; usque sequar te.
Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus,
Cùm gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies. Nam quis me scribere plures

bus, et in eas voces tacitus erumpens identidem: Næ tu fortunatus es, ô Bollane, qui cerebro sis adeo firmo et valenti, ut hujusmodi hominum loquacitatem ferre possis! Pergebat ille garrulus quidquid in buccam veniebat effutire, vicos, urbem et alia id genus collaudabat; ego tacere ac prorsus nihil respondere. Sensit, et me respectans, jampridem intelligo, inquit, id quærere te ac moliri anxiè, quo pacto à me discedas; sed frustrà es, ego te non dimittam; quocumque pergas, assectabor. Age, quem in locum hinc te confers? Noli, quæso, inquam, operam inanem et molestam sumere, huc illuc mecum circumcursando; volo invisere quemdam è meis amicis, quem tu minimè novisti; procul hinc manet, ultra Tiberim, prope hortos Cæsaris. Mihi modò, at ille, negotii nihil instat, et pedibus valeo; eò usque te comitabor. Hâc denunciatione perculsus aures demitto, instar aselli, quem premit sarcina gravior. Tum ille ita fari cœpit: Nisi mihi plus justo adulor,

Cerebri felicem. Hellenismus: sic dicitur integer vitæ, fortunatus laborum. Subaudi *causâ, ergo*: quæ respondent Græcæ voci ἕνεκα, *propter ob*, secundum casum postulanti.

18. *Cæsaris hortos.* Non longè à Tiberi sitos, olim à Julio Cæsare donatos populo. erant in Transtiberinâ regione, juxta fluvium; ubi nunc visitur cœnobium S. Francisci.

20. *Iniquæ mentis.* Qui ægrè fert imponi sibi sarcinam, eamque conatur excutere, si potest: sin minùs, demisso capite perfert.

21. *Subiit.* In hoc verbo ultima syllaba producitur: quia est sincope, pro, subivit.

22. *Viscum, Varium.* Poëtas nobiles, Horatii amicos.

Aut citiùs possit versùs? quis membra movere
Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto.
Interpellandi locus hic erat: Est tibi mater,
Cognati, queis te salvo est opus? Haud mihi quisquam;
Omnes composui. Felices! nunc ego resto:
Confice: namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit, motâ divinâ anus urnâ:
Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
Nec lâterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra:
Garrulus hunc quando consumet cunque: loquaces,
Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit ætas.
Ventum erat ad Vestæ, quartâ jam parte diei

Viscum, amicum tuum, aut Varium, mihi non antepones. Quis enim aut plura quàm ego carmina, aut breviori temporis spatio condit? quis elegantiùs saltare novit? quid quòd ita bellè cano, ut invidere mihi meritò Hermogenes ipse possit. Hîc ego interfatus, arreptâ occasione, rogo matremne habeat, vel propinquos, quibus ipsius vita et valetudo cara sit. Neminem habeo, inquit, omnes jam tumulo mandavi. Quam præclarè, inquio, cum illis actum est! nunc ego superstes sum, ut tu me, perinde ac illos, perimas; age, perfice quod tam bellè cœpisti. Sentio enim instare fatalem horam, mihi jamdudum à vetulâ quâdam Sabinâ prædictam, quæ cùm urnam agitasset, in quam sortes conjecerat, ex quibus, quis me maneret vitæ exitus divinaret, ita de me tum puero pronunciavit. Hic neque veneno neque hostium gladio, nec lateris dolore, aut tussi, aut podagrâ, peribit: sed garrulus aliquis eum aliquando enecabit; à loquacibus, eorumque congressu, si consultum saluti suæ velit, abstineat, ubi grandior evaserit. Jam horæ quatuor ab orto Sole fluxerant, cùm ambo ad templum Vestæ deve-

26. *Locus erat.* Ex eo nempe quòd tot egregias suas dotes homo vanissimus prædicaret, occasionem sibi oblatam putavit Horatius quærendi num matrem aut cognatos haberet, ac rogandi ne se cursitando defatigaret, sed salvum se illis, et incolumem servaret, quibus vita ipsius et valetudo foret necessaria.

28. *Composui.* Verbum funebre. In feretro, in rogo, posui: ossa in tumulo, cineres in urnâ condidi.

29. *Sabella.* Sagam innuit: quales multæ apud Sabellos.

35. *Vestæ.* Subaudi, ædem. *Quartâ*, etc. Diem dividebant Romani duodecim in partes sive horas, sed inæquales, hoc est, longiores æstate;

Præteritâ; et casu, tunc respondere vadato
Debebat: quod ni ſecisset, perdere litem.
Si me amas, inquit, paulùm hîc ades. Inteream, si
Aut valeo stare, aut novi civilia jura:
Et propero quò scis. Dubius sum quid faciam, inquit:
Te-ne relinquam, an rem. Me, sodes. Non faciam, ille,
Et præcedere cœpit. Ego, ut contendere durum est
Cum victore, sequor. Mæcenas quomodo tecum?
Hinc repetit. Paucorum hominum, et mentis bene sanæ.
Nemo dexteriùs ſortunâ est usus: Haberes

nimus, eoque tempore meus garrulus obire vadimonium, seque in judicio sistere, ibique respondere adversario debebat, nisi vellet litem amittere. Igitur orare me instiút, ut secum in jus venirem. Hic ego: Dispeream, si stare in jure et adesse tibi possum; huc adde quod juris formulas et leges prorsus ignoro: denique illuc festino, quò nosti. Tum ille: Anceps et incertus hæreo, utrum te deseram, an litem meam: Ah! quæso, inquam, me potiùs desere. Minimè verò, ait ille, et præire cœpit. Sequor hominem: Quid enim agas, cùm res tibi adversùs fortiorem est, ac pertinacem quo cum si velis decertare, operam perdas? Nec mora, intermissum ille sermonem repetens, quomodo, inquit, tecum agit Mæcenas? qualem sese erga te præbet? Mæcenas, inquio, paucos homines in familiaritatem suam recipit, vir acutissimus scilicet ac prudentissimus. Tu verò, excipit ille, fortunatissimus mortalium omnium et solertissimus fuisti, qui oblatam occasionem, te in ejus familiaritatem et domum insinuandi, adeo scitè callidèque arripueris. Quod si me illi commendare velles, si mihi ejus in comitatum et amicitiam aditus tuo beneficio pateret, tum ego non levi adjumento tibi essem, et secundum

hyeme breviores. Prima hora semper ducebatur ab ortu solis.

36. *Vadato.* Adversario, qui eum vadatus erat, debebat respondere: *se trouver à une assignation.*

38. *Si me amas.* Littera e corripitur ob sequentem vocalem brevem. Idipsum Virgilius usurpavit Libro VI. versu 507.

39. *Stare.* Absolutè dicitur, pro, in jure vel judicio stare.

41. *Sodes.* Vocula orantis et blandientis, facta è duabus vocibus, *si et audes.*

44. *Paucorum*, etc. Ita vertas: *un homme qui se communique à peu de personnes.*

Magnum adjutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream, nî
Sumosses omnes. Non isto vivitur illic,
Quo tu rere, modo: domus hâc nec purior ulla est,
Nec magis his aliena malis: nil mî officit, inquam,
Ditior hic, aut est quia doctior, est locus unicuique suus. Magnum narras, vix credibile. Atqui
Sic habet. Accendis quare cupiam magis illi
Proximus esse. Velis tantummodo: quæ tua virtus,
Expugnabis, et est qui vinci possit; eoque
Difficiles aditus primos habet. Haud mihi deero;
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si

obtinens locum, tibi egregiè subservirem. Ita vivam, ut omnes æmulos tuos aut invidos eo pacto abigeres. Erras, inquam, ô bone: non ita vivitur apud Mæcenatem, ut tu existimas: nulla domus est, unde ista, quæ dicis, vitia longiùs exulent, nulla sanctior et integrior. Nemo apud illum incommodat mihi, aut infensus ideo est, quòd locupletior me sit, aut peritior; unusquisque ibi cum quo dignus est, nullo invidente, locum servat. Rem, inquit ille, miram narras, vixque credibilem. Tamen, inquio, sic se res habet. Eò magis, subjicit garrulus, incendor studio et cupiditate, amicitiæ Mæcenatis obtinendæ, ac familiaritatis. Tu vero, inquam, si serio id cupias et adniti paulisper velis; ut sunt egregiæ illæ, quibus te præditum video, dotes, compos voti fies. Et vero is est Mæcenas, cujus animus expugnari facilè possit; quod cùm ipse intelligat, ideo se paulo difficiliorem ad primos invisentium accessus præbet. Tum garrulus; Nihil, quod quidem in me situm erit, omittam, quo rem conficiam è sententiâ: donis tentabo servorum fidem, si semel iterumve rejectus fuero, nequaquam tamen absistam, nec spem abjiciam; molles rei ge-

46. *Secundas.* Subaudi, partes. Locutio ac metaphora sumitur à scenâ et theatro, in quo actor princeps primas partes ferre dicitur, alii deinceps, secundas, tertias, etc. *jouer le premier rôle.*

47. *Hunc hominem.* Seipsum indicat: nempe ut hominem egregium et ignarum rei gerendæ.

48. *Summosses.* Pro summovisses. Est autem summovere, loco depellere, *écarter, éloigner.*

Omnes. Qui videlicet tibi obstant, et officiunt: qui te gratiâ apud Mæcenatem superant.

50. *His malis.* Ambitione, invidiâ, obtrectatione.

Exclusus fuero, desistam; tempora quæram,
Occurram in triviis, deducam. Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. Hæc dum agit, ecce,
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulchrè nosset. Consistimus. Unde venis? et,
Quô tendis? rogat, et respondet. Vellere cœpi,
Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet. Malè salsus
Ridens dissimulare: meum jecur urere bilis.
Certè nescio quid secretò velle loqui te
Aiebas mecum. Memini bene, sed meliori
Tempore dicam. Hodie tricesima sabbata: vin' tu
Curtis Judæis oppedere? Nulla mihi, inquam,

rendæ aditus, ac opportunitates omnes captabo: Mæcenati domo prodeunti adero comes, honoris causâ: sistam illi me et offeram aliàs ex improviso; mediâ in urbe, in ipsis triviis. Nihil in hâc vitâ homines consequi sine magno labore possunt. Dum hæc ille maximè loqueretur, Fuscus Aristius occurrit nobis, homo mihi amicissimus, quique gerronem hunc probè norat. Paulisper ibi subsistimus dum quærit ex me unde veniam, quò pergam ac mihi eadem vicissim, ut fit, sciscitanti respondet. Hîc ego cœpi stringere, et leniter vellicare, homini brachia; verùm ille prensari et velli se, quasi sensus expers esset, patiebatur. Eumdem crebro nutu, distortis oculis, ut me liberaret, admonebam. Ille meo tunc damno facetus, malignè arridere, quasi quid vellem, non intelligeret. Tum ego vix animi compos eram, adeo ardebam iracundiâ. At at, inquio, Aristi, profectò dixisti mihi nuper habere te nonnihil de quo mecum, remotis arbitris, agere velles. Sic est, reponit, memini; sed hoc ipsum loquar tecum opportuniori tempore: hodie trigesimum sabbatum est: nihilne metuis Judæorum festum solemne cæremoniasque violare? Cui ego: Nulla me angit religio hujusmodi. Me verò, inquit ille, angit plurimùm: fateor equidem, paulò

61. *Fuscus Aristius.* Grammaticus, et Poëta bonus: Horatio carus.

64. *Lentissima.* Lentum dicunt Latini, quod flexibile est, molle, ductile; ut vimen, sera, etc.

69. *Tricesima sabbata.* Sabbatum est dies hebdomadæ septima, quâ die Judæi feriabantur et cessabant: *Sabbat* enim apud illos quiescere et feriari significat.

70. *Curtis.* Circumcisis, mutilatis.

Religio est. At mi: sum paulò infirmior, unus
Multorum. Ignosces; aliàs loquar. Hunccine Solem
Tam nigrum surrexe mihi? fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius: et, quò tu turpissime? magnâ
Exclamat voce: et, Licet antestari? Ego verò
Oppono auriculam: rapit in jus, clamor utrinque,
Undique concursus: sic me servavit Apollo.

sum imbecillior ac superstitiosior; perinde ac unus quilibet è populo. Quocirca ignosce mihi, quæso: alio tempore colloquemur. O me infortunatum! adeone infaustam et ingratam mihi diem illuxisse! vix ea tacitus dixeram, cùm Aristius se malè proripit, meque tanquam victimam brevi immolandam sub cultro deserit. At felici demum casu accidit, ut garruli mei adversarius obvium se repentè nobis ferret, qui statim magnâ voce illum objurgans, Quò quò pergis, scelus! mox ad me conversus, Possum-ne, Horati, testem te adversùs hominem istum sumere? Ego nihil cunctatus, aurem illi tangendam offero. Quo facto, garrulum meum in jus ambulare cogit è vestigio. Cooritur ingens ex utrâque parte clamor: concurrit undique populus: sic evasi, Apollinis ope ac beneficio.

Oppedere. Crepitu ventris edito abigere per contemptum. Apta Satyræ vox.

71. *Religio.* Mora, scrupulus, dubitatio, et metus à religione injectus.

Infirmior. Timidior, eòque superstitiosior.

72. *Multorum.* Hâc voce populus ferè indicatur, et imperita plebs: ita Græci; εἷς τῶν πολλῶν: *unus è multis*, unus e plebe.

73. *Surrexe.* Pro, surrexisse.

76. *Antestari.* est unum aliquem ex iis qui fortè adsunt testem sumere: quasi antetestari, id est, testem appellare coram omnibus: vel, antequam adversarium in jus trahas: id enim leges jubebant, ut ante caperentur testes, quàm dies reo diceretur.

77. *Oppono auriculam.* Vernaculè: *je tends l'oreille.* Qui testem aliquem sumebat, is extremam ejus aurem prehendebat, ut memorem illum sic faceret.

78. *Apollo.* Qui Poëtis favet. Præterea solebat à periclitantibus invocari, tanquam Deum ἀλεξίκακος, *malorum depulsor*, et σωτὴρ, id est, *servator.*

SATYRA X.

Lucilium Satyrâ hujus Libri quartâ reprehenderat, puàm id jure fecerit, quæ sit Poëtæ boni præcipua laus, quibus ipse sua probari scripta velit, nunc docet.

NEMPE incomposito dixi pede currere versus
Lucilî. Quis tam Lucilî fautor ineptè est,
Ut non hoc fateatur? At idem, quòd sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eâdem.
Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cætera: Nam sic
Et Laberî mimos, ut pulchra poëmata, mirer.
Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris; et est quædam tamen hìc quoque virtus:
Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se

Scilicet Lucilii versus parum accuratè compositos esse dixi. Quis tam præposterè Lucilio addictus est, qui non hoc mihi assentiatur? Eumdem tamen Lucilium eodem loco laudare non dubitavi, quòd salsis et mordacibus Satyris fœdos civium mores deterserit. Quod etsi nunc quoque ultrò illi concedam, nòn eum tamen continuò reliquis eximii Poëtæ numeris absolutum esse confitebor. Eâdem quippe ratione Laberii mimos, præclara et mira esse poëmata concederem. Nempe ad optimi Poëtæ nomen promerendum nequaquam satis est, si quis audi-

2. *Lucilî.* Vide plura de illo, Sat. IV. v. 6. Is fautores, vel ipsâ Quinctiliani ætate, tam perditè sibi addictos habuit, ut eum Poëtis omnibus præferre non dubitarent.

3. *Sale multo*, etc. Salis acrimoniâ, styli mordacitatem adumbrat.

6. *Laberî.* Decimus Laberius, Poëta, floruit sub C. Julio Cæsare, à quo jus annulorum aureorum et equestrem ordinem est adeptus. Æmulum habuit Publium Syrum eidem Cæsari carum. Uterque scripsit mimos, id est, poëmata quædam è Comœdiarum genere, facta ad ciendum risum, in quibus multa erant turpicula, et sumpta è trivio.

7. *Rictum.* Est rictus, hiatus ille oris, qui extat in ridentibus.

Impediat verbis lassas onerantibus aures :
Et sermone opus est modò tristi, sæpè jocoso,
Defendente vicem modò Rhetoris, atque Poëtæ,
Interdum urbani, parcentis viribus, atque
Extenuantis eas consultò. Ridiculum acri
Fortiùs, et meliùs magnas plerumque secat res.
Illi, scripta quibus Comœdia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi : quos neque pulcher
Hermogenes unquam legit, neque simius iste,
Nil præter Calvum, et doctus cantare Catullum.

tori moveat risum dicacitate suâ et salibus, etsi dos ea planè contemnenda non sit; sed aliæ sunt majores : videlicet brevitas, quæ in rebus dicendis moram ac segnitiem amputat, quæ verba præcidit, quibus onerantur aures ac defatigantur : tum varietas sermonis nunc severi et serii, nunc hilaris et remissi, qui modo Poëtam modo etiam Oratorem sapiat ac deceat; in quo nonnunquam, moderationem quandam et parcimoniam, quâ, ut homines urbani et elegantes solent, Poëta sibi temperet, neque quantùm potest, dicendo scribendove contendat; sed ridendo ac veluti aliud agendo, verum dicere amet. Sæpe jocis, ac facetiis, plus proficias, quàm acri et vehementi oratione. His virtutibus floruere olim, tantamque gloriam sunt adepti Comœdiæ veteris auctores et principes; his in rebus merito nobis imitandi sunt. Horum vero in scriptis, neque bellulus iste Hermogenes versatus unquam est, neque Deme-

12. *Defendente vicem, etc.* Obeunte munus et partes Rhetoris, etc. ejus vices agente, personam sustinente. Rhetor, eloquentiæ magister est : ejus est ornatè dicere, vehementer, splendidè, etc. Poëta festivior est, amœnior, cultior.

17. *Stabant.* Stare Tragœdia, opus litterarium, dicitur, cùm placet, cùm legitur libenter, aut spectatur : cadere, cùm rejicitur atque exploditur.

18. *Hermogenes.* Is Lucilii erat fautor, licèt imperitus, et rudis poëseos : cantor cæteroqui bonus, et Augusto carus.

Simius. Imitatores dicuntur simii, habet enim hoc naturâ simius, ut hominem imitari gestiat. Demetrium quemdam interpretes hîc significari volunt, Poëtam tragicum, ore ac ingenio distortum.

19. *Calvum.* Licinius Calvus, Elegias, Epigrammata, et amatorias id genus nugas scripsit, itidem ut Catullus, qui patriâ Veronensis, natus est anno Romæ 667. celebratur ob candorem Latini sermonis, sed quem obscœnis argumentis ac versiculis inquinavit.

At magnum fecit, quòd verbis Græca Latinis
Miscuit. O seri studiorum, qui-ne putetis
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? At sermo linguâ concinnus utrâque
Suavior, ut Chio nota si commista Falerni est,
Cùm versus facias, teipsum percontor, an et cùm
Dura tibi peragenda rei sit causa Petillì,
Scilicet oblitus patriæque, patrisque Latini;
Cùm pedius causas exsudet Poplicola, atque
Corvinus, patriis intermiscere petita

trius, Calvi, et Catulli, quos in ore semper habet, pravus imitator ac pæne simius. Atenim, inquiet nonnemo Lucilii patronus, annon hoc ingeniose ac eleganter Lucilius fecit, quod Græcas voces in suis versibus Latinis aptè illigaverit? Næ vos quicumque hoc Lucilio laudi vertitis, in rebus dijudicandis tardos, et imperitos! Hoccine, tanquam rem miram et arduam suspicitis, quod Rhodius ille Pitholeon, homo indoctissimus et ineptissimus, præstare potuerit? Atenim, dicet quispiam, jucundiores sunt versus, in quibus vocabula utriusque linguæ inter se misceantur, ut si Chium vinum Falerno temperetur. Ego verò teipsum, quicumque hoc objicis, consulo atque interrogo, num idipsum faceres, si Petillium reum in causâ difficili defenderes! interim dum Pedius Poplicola, et Messala Corvinus, illi Oratores clarissimi uterentur in perorando Latinis duntaxat verbis, num tu, patris ac patriæ im-

21. *Seri studiorum.* Ὀψιμαθεῖς Græci vocant. Id est; qui serò et provectâ jam ætate litteras attingunt. Vix autem accidit, ut ejusmodi homines valdè periti evadant. Itaque vox ea tardos et imperitos indicat.

22. *Rhodio.* Rhodus, *Rhodes*; insula maris Mediterranei, è regione Ciliciæ, olim Soli sacra, nunc Turcis paret.

Pitholeonti. Pitholeon ineptus erat Poëta, notus eâ tempestate.

24. *Chio.* Chios. *Scio*, insula maris Ægei. Ejus vinum lene ac mite. Falernus, mons et ager Campaniæ Italæ, inter Calenum et Sinuessam, cujus vinum asperius et austerius.

Nota Falerni. Amphora vini Falerni: sive ipsum vinum amphorâ conditum.

28. *Pedius.* Q. Pedii, Consularis ac Triumphalis viri filius, Consul factus cum Octavio, in locum Hirtii et Pansæ.

Poplicola. Fuit cognomen istud gentis Valeriæ proprium, fortasse Pedii mater è Valeriâ gente orta erat, ideoque is sibi cognomen illud adsciverit.

29. *Corvinus.* M. Valerius, M. Valerii Poplicolæ abnepos, cùm Gallum singulari certamine

Verba foris malis, Canusini more bilinguis?
Atque ego cùm Græcos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, cùm somnia vera:
In sylvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Græcorum malis implere catervas.
Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque

memor, malles adhibere verba aliunde sumpta, et quasi foris petita, eaque domesticis ac nativis interponere, ut Canusini, qui duplici sermone utuntur, factitant? non erit alienum hîc narrare quod mihi contigit aliquando, cùm versus Græcos condere instituissem, quamvis in Italiâ, et ipso Latinitatis sinu natus. Tunc enim videndum se mihi per quietem, Romulus obtulit, dimidiâ jam parte noctis exactâ, quo tempore vera somnia sunt, et fraudi minùs opportuna, meque Græcam hanc poësim omittere planè jussit; his increpans verbis: Æquè desipis, Horati, dum Poëtarum Græcorum numerum jam per se satis magnum augere, quàm Latinorum, mavis, ac si ligna in sylvam portare velles. His ego admonitus, Satyras Latinas humili stylo condere molior, dum Alpinius inflatis buccis ac tumido

vicisset adjuvante corvo, Corvini cognomen invenit, et ad posteros nepotesque suos transmisit. Ab eo propagati sunt Valerii Messalæ, inter quos M. Messala Corvinus Niger, Orator egregius Consulatum adeptus est anno U. C. 692. Hujus filius, et ipse summus Orator, laudatus est à Cicerone, et hîc ab Horatio celebratur. Victis Bruti partibus, à quibus steterat, Octavio Cæsari, à quo in urbem fuerat revocatus, operam navavit: deinde Consulatum gessit anno 724.

30. *Canusini.* Canusium, *Canosa*, oppidum Italiæ, conditum à Diomede, homine Græco, indeque Græcam et Latinam linguam ab Canusinis, quos ideo bilingues Poëta vocat, usurpatam fuisse apparet.

33. *Somnia vera.* Somnia putabant esse veriora, quæ sub Auroram, et abeunte jam nocte immitterentur: tunc nempe cùm crassiores et pridianâ cœnâ fumi et vapores deferbuerunt.

35. *Catervas.* Propriè caterva erat Gallorum legio, et sena ferè militum millia complectebatur, ut legio Romana. Pro quâvis multitudine ponitur.

36. *Alpinus.* Ignobilem hunc Poëtam, cujus carmina non vixere, perstringit.

Memnona. Memnon Tithoni et Auroræ filius, Æthiopum Rex, cùm Trojanis adversùs Græcos auxilio venisset, Achillemque ad certamen singulare provocasset, ab eo superatus est, et interfectus, cumque jam rogo impositus esset, mater precibus suis à Jove impe-

Diffingit Rheni luteum caput, hæc ego ludo,
Quæ nec in æde sonent certantia, judice Tarpâ,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
Argutâ meretrice potes, Davoque Chremeta
Eludente senem, comis garrire libellos,
Unus vivorum, Fundani. Pollio regum
Facta canit, pede ter percusso: fortè epos acer,

carmine describit Memnonem ab Achille cæsum, et Rheni caput in alio poëmate non tam pingit, quàm deformat lutulentis versibus. Sat scio me non ejusmodi carmina scribere, quæ magnâ voce recitentur in templo Apollinis, et cum præstantium Poëtarum operibus compari ac certare possint, Tarpâ de utriusque sententiam dicente: aut quæ sæpiùs in scenam proferantur, et spectentur cum voluptate. Id aliis relinquo. Tu, ô Fundani, unus Poëtarum omnium, qui nunc quidem vivunt, potes summâ facilitate, ac velut garriendo, scribere plenas urbanitatis Comœdias, in quibus callida meretrix, aut aliquis Davus Chremetem senem argento emungat. Pollio egregia regum facinora senariis versibus celebrat. Varius epicum Poëma, eo rerum

travit, ut in avem transformaretur.

37. *Diffingit.* Significat hoc in loco, deformare, illepidè describere, ac invenustè. Quod Alpinus iste faciebat, ut apparet in Poëmate aliquo, ubi bella contra Germanos à Romanis gesta narrabat.

Rheni. Rhenus, *le Rhin*, fluvius insignis, inter Galliam et Germaniam interjectus, qui de jugis Rhæticarum Alpium defluens, circa Batavorum fines in tria cornua, seu tres alveos dividitur, Lecum, Vahalim et Isalam, quorum postremus à Druso bellum adversùs Germanos faciente ductus est, ut esset munimentum contra incursus barbarorum.

Luteum. Limosum; deforme. Solent Poëtæ fluvios pingere arundineâ coronâ ornatos, promissâ barbâ, etc. Talem Rhenum iste Alpinus pinxerat, sed impolitis et inficetis versibus.

38. *Æde.* In ædem Apollinis conveniebant Poëtæ, ibi sua recitabant carmina, et de præmio inter se certabant, arbitris et judicibus quinque ab Augusto constitutis. Ea certamina *commissiones* vocabantur.

Tarpâ. Metius Tarpa, unus ex illis Poëtarum judicibus erat.

40. *Arguta.* Callida, scitè canens.

Davo. Davus, nomen servi decantatum in fabulis Terentianis. Chremes, nomen senis. Vide Terentium, in Heauront.

41. *Comis*, etc. Potes garrire libellos comis, id est, comiter, facetè, comicè.

43. *Pede ter*, etc. Bini quique pedes in versu Iambico, efficiunt metrum, seu mensuram

Ut nemo, Varius ducit: molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.
Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino,
Atque quibusdam aliis, meliùs quod scribere possem,
Inventore minor. Neque ego illi detrahere ausim
Hærentem capiti multâ cum laude coronam:
At dixi fluere hunc lutulentum, sæpè ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quæso,

atque verborum splendore ac robore, quo nemo alius, componit. At mollioris carminis festivique gloriam rusticæ Musæ Virgilio concesserunt. Ego nihil habui quod potius aut melius possem scribere, quàm Satyras, quo in genere scribendi frustrà, et sine laude versatum esse Varronem Narbonensem, aliosque nonnullos intelligibam: hanc mihi materiam ad scribendum sumpsi, licèt longè inferior ejus inventore et auctore Lucilio: absit enim ut laudem illi debitam imminuere, et quasi coronam ex illius capite detrahere, velim. A enim dixi eundem versus parum castigatos fundere, instar fluvii qui sordibus ac luto infectas aquas volvat: tamen ejus in versibus plura esse confessus sum, quæ probentur, quàm quæ rejiciantur. Age nihilne in principe Poëtarum Homero desideras? Quid? ipse Lucilius, homo apprime urbanus, nihilne in Accio arguit, nihil mutandum

unam: unde versus senarii, dicuntur trimetri. Ad singulas autem mensuras terram pede, cùm recitarent, percutiebant.

Epos. Significatur eâ voce versus hexameter, sive heroïcus: ἔπος, *verbum*, *sermo*, *narratio*, unde carmen epicum, sive epopœia, ἐποποιία, dicitur, in qua ἔπη, id est, quasi mera verba, seu narrationes adhibentur: et opponitur poëmati Dramatico in quo actiones non tantùm narrantur, sed fictis personis in scenâ éxhibentur, et quasi fiunt: est enim δράω, *facio.*

Molle. Opponit Epos molle, quale est Bucolicum carmen, seu Pastoritium, et Georgicum, forti et heroïco, qualis est Æneïs Virgiliana, quam nondum editam à Virgilio fuisse apparet, cùm hæc scripta Satyra est.

Facetum. Hoc in loco, est, tenerum, elegans, politum.

45. *Annuerunt.* Penultimam in hoc verbo syllabam corripit, licentiâ Poëticâ.

46. *Atacino.* Atax, Galliæ Narbonensis est fluvius, *Aude*, ipsum Narbonem alluens. Ab eo Narbonenses vocati sunt Atacini.

50. *Ferentem.* Volventem instar fluvii: vel, proferentem, scribentem.

Tu nihil in magno doctus reprendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet versus Ennì gravitate minores?
Cùm de se loquitur, non ut majore reprensis.
Quid vetat et nosmet Lucilì scripta legentes,
Quærere num illius, num rerum dura negarit
Versiculos Natura magis factos, et euntes
Molliùs, ac si quis pedibus quid claudere senis
Hoc tantùm contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem cœnatus: Etrusci

censet? nihilne alio scriptum modo velit? nonne versus quosdam Ennii tanquam leviores deridet? Idem tamen cùm de se suisque versibus mentionem facit, nequaquam eos Ennianis aut Accianis, quos carpit, præfert, nec se illis Poëtis præstantiorem arbitratur. Quid igitur esse causæ potest quominus, dum Lucilii opera evolvimus, sciscitemur ac investigemus, utrum ipsius Poëtæ ingenio parum amœno, an siccitate ac vitio rerum et materiæ, quam tractat, factum sit, ut versus conderet minùs elaboratos, minùsque affabrè cusos? Quod si quis hoc tantùm studeat, ut versum sex pedibus coagmentare noverit, seque hoc nomine uno Poëtam esse magnum putet, quòd ducenta carmina ante cœnam, totidem post cœnam componat; qualis Etruscus ille Cassius fuit, cujus vena ferax et abundans tantam vim carminum profuderat, ut ejus libri et chartæ ad accendendum eum, quo consumptus periit, ignem suffecerint: si quis, inquam, ita sentiat, libenter illi concedam Lucilium

52. *Homero.* Græcorum Poëtarum princeps fuit. Ὅμηρος dictus, id est, cæcus, quia revera oculis captus erat, cùm antea *Melesigenes* diceretur, quòd natus esset ad Meletem fluvium. Duo condidit Poëmata: unum inscripsit Iliadem, quia in eo narrat res à Græcis ad Ilium gestas, sive Trojæ excidium, vel potiùs Achillis de Hectore victoriam, quam excidium Trojæ est consecutum. Alterum inscripsit Odysseam, quasi diceret Ulysseiam. Ibi enim describit quemadmodum Ulysses variis erroribus et periculis defunctus, tandem in patriam redux, conjugem et fortunas, procis interfectis, receperit.

53. *Accì.* Accius Latinus poëta vetus, plures Tragœdias scripsit. Atrocem vocat Ovidius, id est, durum et asperum in scribendo: adeo ut mirum non sit multa in eo displicuisse Lucilio, qui comis et urbanus erat.

54. *Versus Ennì.* Ennius, antiquus Poëta Latinus.

Gravitate minores. Deteriores, quia minus ponderis habent et gravitatis. Vel, versus mino-

Quale fuit Cascî rapido ferventius amni
Ingenium; capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis, et urbanus; fuerit limatior idem,
Quàm rudis, et Græcis intacti carminis auctor;
Quamque poëtarum seniorum turba; sed ille,
Si foret hoc nostrum fato dilatus in ævum,
Detereret sibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo
Sæpè caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Sæpè stylum vertas, iterum quæ digna legi sint,

Poëtam fuisse perurbanum et perlepidum; ipso etiam Ennio, qui Satyrici carminis nondum à quoquam perpoliti, et à Græcis intentati, auctor fuit, longè ornatiorem: denique Poëtis omnibus, quos ætas prisca tulit, cultiorem: nihilominus idem Lucilius, si hâc ætate nostrâ natus foret, multa è suis versibus detraheret ac limando deraderet; amputaret multa, quæ ad operis perfectionem nihil conferunt, et in condendis carminibus operæ plus moræque ponens; sæpè sibi caput fricaret, et ungues ad vivum admorderet. Omnino quicunque aliquid scribere meditatur, quod homines non semel legant, debet quæ scribit, iterum atque iterum mutare, delere, emendare: neque valde ipsi curandum, ut multitudini et populo placeat, sed ut paucis peritisque. Tu-ne adeo sis demens, ut id honori ducas, eoque

res gravitate Ennii; leviores, quàm ut Ennium Poëtam gravem et severum deceant.

62. *Cassî.* Ille Cassius, Etruscus, dictus etiam fuit Parmensis, ut quidam volunt. Antonii partes secutus contra Augustum, ab isto mori jussus est, et in museo, quod libris suis et carminibus refertum habebat, combustus, periit.

63. *Capsis.* Capsa est scrinium, arcula.

66. *Intacti Græcis.* Græci nullam scripsere Satyram: merum Latinorum inventum, et opus est.

69. *Detereret.* Limando demeret, perpoliret.

72. *Stylum vertas.* Stylus erat graphium, seu tenuis virgula ferrea, quâ utebantur ut scriberent in ligneis tabellis cerâ obductis. Altero extremo erat acutus, altero planus et capitatus, quales ferè sunt acus ferreæ, quibus scribimus in pugillaribus. Extremâ igitur parte acutâ ceram exarabant; eamdem complanabant parte styli planâ et latâ, quodque scriptum erat, delebant: hoc vocabant stylum vertere seu invertere.

Scripturus; neque te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego. Nam satis est equitem mihi plaudere: ut audax,
Contemtis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius; aut crucier, quòd
Vellicet absentem Demetrius; aut quòd ineptus
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigelli?
Plotius, et Varius, Mæcenas, Virgiliusque,
Valgius, et probet hæc Octavius optimus, atque
Fuscus; et hæc utinam Viscorum laudet uterque!
Ambitione relegatâ, te dicere possum,
Pollio, te, Messala, tuo cum fratre; simulque

te pulchrum ac beatum putes, quòd versus tuos in plebiis scholis ludimagistri suis discipulis dictent? Ego verò longè aliter sentio: satisque habeo, si Equites, ac Judices emunctæ naris, quæ scripserim comprobent: quemadmodum Arbuscula, populi ac vilis turbæ contemptrix non timida, olim profiteri ausa est, dum ipsam populus in Theatro sibilaret. Egone Pantilii, putidi Poëtæ ignobilis, judicio movear? aut angar animo ac perturber, quòd meam absentis famam maledictis carpat Demetrius, aut quod imperitus Fannius, apud Hermogenem Tigellium cœnare solitus, nigro dente mea scripta rodat! Mihi satis erit, si carmina mea non displiceant Plotio, Vario, Mæcenati: si Virgilio, Valgio, et Octavio probentur: itemque Fusco, atque utinam etiam Viscis ambobus! Possem te inter illos viros doctissimos mihique amicissimos citra fastum et adulationem numerare, Pollio; teque Messala, cum tuo fratre: Vos, Bibule, Servi, et Furni; simulque alios bene multos appellare, quos dedita opera taceo. His mea carmina, cujusmodicumque sint, placere cupio; nec diffitebor ægrè me laturum, si minùs quàm spero, illis arriderent. At vos, ô De-

77. *Arbuscula.* Mima quædam, agere personam in Comœdiis solita.

78. *Cimex.* Vermiculus subruber, innascens putribus præcipuè lignis lectorum, *une punaise.*

80. *Hermogenis.* Hermogenes Tigellius, Poëta imperitus, aut musicus. Non is quem laudat Satyra II. et quem esse mortuum illic significat.

82. *Octavius.* Poëta quidam insignis et Historicus.

Vos Bibule, et Servi; simul his te, candide Furni:
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens prætereo; quibus hæc sint qualiacumque,
Arridere velim; doliturus, si placeant spe
Deteriùs nostrà. Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter jubeo plorare cathedras.
I, puer, atque meo citus hæc subscribe libello.

metri, et Tigelli, abite in malam rem, et in vestris litterariis, ubi mulierculæ vos audiunt, ludis, indecores et contempti, mihi sanè invidere pergite. Ehodum, puer, qui meos describere soles versus, clausulam hanc extremæ isti Satyræ statim appone.

91: *Jubeo plorare.* Locutio Græca: et formula imprecandi. Cùm Græci bene precabantur alicui, adhibebant has voces χαίρειν καὶ εὖ πράττειν, subaudientes λέγω, κελεύω: *jubeo gaudere et bene rem gerere*: Cum male precabantur, istas: χλαίειν, vel οἰμώζειν, id est, *plorare jubeo.*

SATYRARUM

LIBER SECUNDUS.

SATYRA I.

Trebatium Jurisconsultum clarissimum consulit Horatius an scribere Satyras prœterea debeat.

SUNT quibus in Satyra videor nimis acer, et ultra
Legem intendere opus: sine nervis altera, quidquid
Composui, pars esse putat; similesque meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati,
Quid faciam, præscribe. Quiescas. Ne faciam, inquis,
Omnino versus? Aio. Peream malè, si non
Optimum erat: verum nequeo dormire. Ter uncti

Nonnulli me in scribendis Satyris acerbiorem atque asperiorem putant esse, et leges huic arti et carminis generi positas prætergredi : aliis contra leve admodum ac illaboratum videtur quidquid hactenus edidi : adeo ut unius diei spatio mille versus meis similes fundi posse dictitent. Quæso, Trebati, quid mihi faciendum censes? Ego vero censeo ut artem hanc planè desinas. Ut carmina condere penitus desinam? sic est. Equidem dispeream nisi satius istud esse ipse quoque

1. *Ultra legem.* Habet suas Satyra leges, atque hanc imprimis, ut personis parcat, dum vitia insectatur. Tum decemviri pœnam capitis sanxerant in eos, qui fecissent malum carmen, id est, qui famam alienam carmine maledico lacerassent. Timens Horatius ne quid in hanc legem peccaverit, Trebatium facetè consulit.

4. *Trebati.* Caius Trebatius Testa, Jurisconsultus celeberrimus, ad quem extant multæ Ciceronis epistolæ.

7. *Erat*, pro *esset* : Græco more.

Ter. Sæpius. Oleo artus illinebant antequam natarent, ut contra frigus aquæ munitum corpus esset, poris oleo clausis et oppletis.

Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto;
Irriguumque mero sub noctem corpus habento.
Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude
Cæsaris invicti res dicere, multa laborum
Præmia laturus. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt. Neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fractâ pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Parthi.
Attamen et justum poteras et scribere fortem,
Scipiadem ut sapiens Lucilius. Haud mihi deero,
Cùm res ipsa feret. Nisi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem;

judico; at unam hanc artem habeo conciliandi somni. Qui largiùs somno egent, iis edico ut oleo perfusi, Tiberim ter natando transmittant, ac paulo ante noctem vino modico se proluant. Quod si tantâ scribendi cupiditate flagras, confer te ad scribendas res præclarè gestas Cæsaris, constabit tibi hujus laboris fructus ac merces maxima. Cuperem istud quidem, Trebati optime, sed huic oneri me imparem sentio. Non enim cujuslibet scriptoris est aciem ferreis hastilibus subrectis horridam; Gallos sagittis in ipso vulnere perfractis, confixos; Parthos vulneratos et decidentes ex equis, describere. Saltem posses Cæsaris justitiam, et magnitudinem animi celebrare, quas dotes in Scipione laudavit olim Lucilius. Faciam enimvero, at cùm se offeret occasio; suas enim laudes, nisi opportuno tempore ac loco, Cæsar ex me non libenter audiret:

8. *Transnanto.* Utitur imperandi modo, quasi legem aut edictum Jurisconsultus ferret.

Alto. Profundo: in quem veluti demergantur. Somnus à labore, cibo et vino facilior et arctior.

12. *Pater optime.* Sic Trebatium compellat honoris causâ, ut seniorem, ut jurisconsultum.

13. *Pilis.* Pilum est hasta brevior, Romanis usitata.

14. *Fractâ cuspide.* Sagittæ si magnâ vi incutiantur, franguntur interdum, ita ut cuspis à reliquo ligno avulsa, in ipso vulnere hæreat. Aiunt Marium primum omnium invenisse artem conficiendi sagittas, quæ intra vulnus ipsum frangerentur. Plutarcho teste, in ejus vita.

15. *Parthi.* Ex equo fere pugnabant.

17. *Scipiadem.* Scipionem Africanum minorem.

18. *Dextro tempore.* Opportuno: sic postea dicit *lævo tempore*, id est, sinistro, intempestivo, incommodo.

19. *Flacci verba.* Mea, Q. Horatii Flacci.

Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.
Quantò rectiùs hoc, quàm tristi lædere versu
Pantolabum scurram, Nomentanumque nepotem?
Cùm sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit?
Quid faciam? saltat Millonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.
Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem,
Pugnis. Quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia. Me pedibus delectat claudere verba,

cui si quis blandiatur ineptis laudibus, aversatur, et respuit, jamque se duas pro unâ lucernas videre credit ita ex omni parte textus ac munitus est adversùs assentationis illecebras. Id vero facere longè præstat, mi Flacce, quàm amaro carmine cædere Pantolabum scurram, et Nomentanum, illum juvenem discinctum et dissolutum. Hinc enim fit ut ii etiam qui versibus tuis minimè lacessiti sunt, te tamen odio prosequantur, quia, ne idem sibi eveniat, quod aliis, verentur. Quid agam? abstinere à scribendis Satyris non magis possum, quàm ebriosus ille Millonius à saltando, cùm semel ipsius caput calidus vini vapor occupavit, Castor equis delectatur; Pollux, quamvis eâdem genitus matre, nil æquè amat ac pugilatum, et pugnos cæstibus armatos. Quot homines, tot sententiæ sunt propensionesque diversæ. Ego ex hac una re, fateor, volupta-

20. *Palpere.* Palpare, seu palpari, propriè est aliquem leniter attrectare palpo, id est, volâ, seu parte manûs planâ. Plaut. *Timidam palpo percutit.* Metaphoricè sumitur pro adulari.

Recalcitrat. Durior metaphora. Ita vertas. *Il reçoit mal un mauvais compliment.* Sed Latini scriptores, itidem ut Græci, ea in re tam religiosi ac delicati non sunt quàm Galli nostri. Equi generosi non patiuntur se tractari à quolibet ac pâlpari, præsertim inscienter et molestè.

Tutus. Qui enim verâ præditus est virtute, tutò aspernatur adulationem.

22. *Pantolabum.* Aiunt ita dictum hunc scurram fuisse, quòd fortunis dilapidatis, cùm premeretur egestate, omnia ab omnibus acciperet: à vocibus Græcis πάντα *omnia*, et λήβω, *accipio.*

24. *Millonius.* Nescio quis, insigniter ebriosus, quem obiter mordet.

25. *Numerus lucernis.* Ebrii pro una lucerna geminam vident.

26. *Castor.* Ledæ filius, Helenæ frater.

Ovo prognatus eodem. Frater Castoris Pollux. Fingunt Poëtæ utrumque ex ovo uno natum.

Lucilî ritu, nostrûm melioris utroque,
Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris; neque, si malè cesserat, usquam
Decurrens aliò, neque si benè. Quò fit ut omnis
Votivâ pateat, veluti descripta tabellâ,
Vita senis. Sequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps.
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
Missus ad hoc, pulsis, vetus est ut fama, Sabellis,
Quò ne per vacuum Romano incurreret hostis;
Sive quod Appula gens, seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic stylus haud petet ultro

tem et fructum capio, si nempe voces numeris ac certis pedibus alligem, more atque instituto Lucilii, qui utroque nostrûm melior vir fuit. Ille omnia sua arcana libris, sic tanquam fidis amicis, committebat, neque studium et scribendi operam intermittebat, aut aliud oblectamentum solatiumve requirebat in prosperis adversisque rebus: quocirca in ejus scriptis, quasi in aliqua tabella, quales in templis appensæ voti causâ cernuntur, extat tota senis eruditi vita nativis adumbrata coloribus. Lucilium imitor, sive Lucanus ego sim, sive Appulus. Hoc enim incertum est, quia Venusini populares mei, agros in gentis utriusque limite positos, habent; illuc Româ missi, postquam indidem Sabelli expulsi fuerunt, quemadmodum veteribus historiis traditum est. Nam providendum fuit ne illa pars Italiæ, incolis et præsidio destituta, pateret hostium incursionibus: si accideret ut Appuli aut Lucani bellum identidem

31. *Cesserat.* Si res parum è sententia successerat.

33. *Votiva.* Ex voto posita. Nimirum qui periculo quopiam, vel morbo defuncti, aut alicujus voti compotes facti erant, ii quandoque rem in tabella pictam publicè in templis proponebant.

34. *Lucanus.* Lucania, pars Italiæ extremæ, prope Calabriam.

35. *Venusinus.* Venusia urbs Apuliæ, Horatii patria. Sabelli, Samnitium populus, Venusiâ pulsi cùm essent, illuc missa est Romanorum colonia, ut ne vacuam urbem rursum Samnites occuparent, indeque, ut antea, in agrum Romanum excurrerent.

37. *Hostis.* Vel, ut exposui, Samnites ipsi, Venusiâ pulsi: vel, Lucani et Apuli, hoc sensu: ne hostiliter in Romanos incurrerent; *sive quod*, etc. id est, sive aliquod bellum Lucania, sive aliquod Apulia intentaret.

39. *Hic stylus.* Ita vocat Satyræ aculeum.

Quemquam animantem; et me veluti custodiet ensis
Vaginâ tectus, quem cur destringere coner,
Tutus ab infestis latronibus? O! pater et rex
Jupiter, ut pereat positum rubigine telum,
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
Qui me commôrit, melius non tangere, clamo,
Flebit, et insignis totâ cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minitatur, et urnam;
Canidia Albucì, quibus est inimica, venenum;
Grande malum Turius, si quis, se judice, certet;
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque
Imperet hoc Natura potens, sic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit. Unde, nisi intus

Romanis inferrent, Venusinos illis objici, à quibus coercerentur, oportuit. Ut ut est, ita Lucilium imitabor, ut Satyræ meæ mortalium neminem lacessant sponte: utar illis tantùm ad meam defensionem, ut gladio vaginâ incluso, quem nihil est cur educere velim, si latrones nullos reformidem. O Jupiter hominum rex et pater, utinam hæc arma nunquam in manum sumam, sed inutilia maneant, ac rubigine consumantur, neque me quietis et pacis studiosum quisquam provocet. Sed si quis me lacessat, quod uti ne faciat moneo, dolebit, et fœdis inustus notis cantilenam de se totâ spargendam urbe audiet. Cervius, si quem ulcisci parat, illi minitatur severitatem legum ac judiciorum: Canidia, Albucii filia, suis inimicis, veneni metum incutit: Turius grave aliquod infortunium profitetur ac denunciat iis, qui litem ipso judice dirimendam habuerint. Ita quisque iis rebus atque armis quibus pollet, eos quibus se invisum esse sentit, aut unde metuit, perterrefacit: idque arcano quodam ipsius Naturæ instinctu fieri, vel ex eo intelligi potest, quòd lupi dentibus feriunt ac vulnerant, tauri cornibus: unde hoc autem didicerunt nisi, Naturâ magistrâ?

40. *Animantem.* Viventem hominem.

47. *Cervius.* Delator aliquis et accusator famosus: vel quæsitor et prætor, quæstioni alicui rei capitalis præpositus.

Urnam. Suffragia sua et sententiam scribebant judices in tabellis, quas conjiciebant in urnam, unde illas educens Prætor, condemnarent reum an absolverent, declarabat. Adhibebatur eadem urna ad sortitionem, subsortitionemque judicum. Virgil. VI. Æneid. vers. 431. *Quæsitor Minos urnam movet.*

49. *Turius.* Judex aliquis improbus.

Monstratum? Scævæ vivacem crede nepoti
Matrem; nil faciet sceleris pia dextera. Mirum:
Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos:
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam, seu me tranquilla senectus
Expectat, seu mors atris circumvolat alis,
Dives, inops, Romæ, seu fors ita jusserit, exul,
Quisquis erit vitæ, scribam, color. O! puer, ut sis
Vitalis, metuo, et majorum ne quis amicus
Frigore te feriat. Quid? quum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus quà quisque per ora

Scævæ, perditi adolescentis et libidinosi, matrem longævam ipsius arbitrio necandam et potestati trade: maternâ cœde manus quidem abstinebit, pius nimirum abhorrens à crudelitate, filius. Miraris: atenim lupi calcibus non feriunt, neque dentibus tauri. Quid fiet igitur? vetulam parentem juvenis improbus leniter extinguet poculo venenato, in quo cicutæ succum melli miscuerit. Quid multa. seu vitam ad annos plures et placidam usque senectutem prorogabo, seu mihi dira mors imminet ac me furvis alis ambit: locuples, egens; Romæ, aut, si fortuna sic tulerit, in exilio, quæcumque meæ demum vitæ sors, et quasi color erit, Satyras scribam. O carissime Horati, vereor admodum ne diu non vivas, neve quis apud principes civitatis gratiosus te brevi de medio tollat. Quid cùm primus omnium Lucilius est ausus hunc in modum Satyras componere; cùm non dubitavit improbis eripere larvas illas et integumenta, quibus induti speciem externam virtutis ac probitatis præ se ferebant, quamvis intus essent vitiis turpissimis inquinati; num ejus carminibus

56. *Vitiato.* Corrupto, venenato.

61. *Vitalis.* Vitale dicimus quidquid ad vitam pertinet, quod eam adjuvat: alias, idem est ac vivax: diu superstes.

Majorum, etc. Procerum aliquis tibi amicus antea, sed à te læsus, et jam inimicus.

62. *Frigore.* Morte, quâ frigidius nihil, aut veneno, quod exitiali frigore calorem nativum et vitam extinguit.

63. *Primus.* Ennius et Pacuvius ante Lucilium Satyras scripserant quidem, verùm obiter, et quasi aliud agentes, nec ita eleganter. Lucilius in hoc genere scribendi versatus est totus, ac deditâ studiosè operâ.

64. *Per ora.* In omnium oculis.

Cederet

Cederet, introrsum turpis; num Lælius, aut qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi, aut læso doluere Metello,
Famosisque Lupo cooperto versibus? atqui
Primores populi arripuit, populumque tributim;
Scilicet uni æquus virtuti, atque ejus amicis.
Quin ubi se à vulgo, et scenâ, in secreta remôrant
Virtus Scipiadæ, et mitis sapientia Lælì,

et Satyris offensi sunt Lælius et Scipio Africanus? num ægrè tulerunt quòd Metellum carperet, quòd Rutilium Lupum amaris versibus obrutum palam ad ludibrium ignominiamque traduceret? Neque enim Lucilius proceribus civitatis pepercit magis, quàm infimæ plebi, quippe qui unam virtutem ejusque cultores haberet in pretio, meritisque laudidus ornaret. Summis autem illis viris, Lælio civi sapientissimo et humanissimo, Scipioni viro fortissimo, adeo non erat invisus, ut ipsi, è Curiâ, ubi tanquam in Theatro personam gravem et seriam gesserant, domum digressi, solerent cum illo nugis et ludo paulipser indulgere, depositâ togâ, et

65. *Cederet.* Positum est pro incederet.

Lælius. Caius Lælius, cognomento Sapiens, quem Cicero loquentem facit in dialogo de amicitia.

Aut qui, etc. Scipio, Africanus minor dictus.

67. *Metello.* Q. Cæcilius Metellus, cognomento Macedonicus, cum Scipione Africano minore, Lucilii patrono et amico gessit inimicitias: quæ causa Lucilio fuit cur in eum inveheretur. Est etiam in Lucilii fragmentis versus quidam, ex quo videtur colligi posse, Lucilium eumdem aliquid scripsisse adversùs Q. Cæcilium Metellum Numidicum, Macedonici nepotem.

68. *Lupo.* Publius Rutilius Lupus Consul anno U. C. 664. suscepto sociali bello, malè rem gessit, neglectis religionibus, ac prælio temerè commisso.

69. *Tributim.* Per singulas tribus; promiscuè objurgans, carpens, lacerans quoslibet. Populus Romanus in quinque et triginta tribus, hoc est partes, divisus erat. Singulæ tribus dividebantur in curias decem: curiæ in decem decurias.

71. *Scenâ.* Est propriè umbraculum è ramis arborum, à Græco σκηνή. Theatra enim apud antiquos, cùm nata primùm Tragædia est, ornabantur ramis, quorum umbra Solem arceret. Subinde vox eadem accepta fuit pro Theatro ipso, ac denique pro Tragædia, vel Comædia. Hìc eleganter usurpatur pro forensi luce, pro conspectu populi, administratione Reipublicæ, etc.

Nugari cum illo, et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti. Quidquid sum ego, quamvis
Infra Lucilì censum, ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia; et fragili quærens illidere dentem,
Offendet solido. Nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis. Equidem nihil hinc diffingere possum.
Sed tamen ut monitus caveas, ne fortè negotî
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, jus est,

animo soluto ac libero, dùm olera, ipsis ad cœnam parata, coquebantur. Ego, quantuluscumque sim, etsi multo inferior Lucilio, sive opes et conditionem spectes, sive ingenium et eruditionem, tamen profiteri verè possum, quod invidi quoque, quanquam inviti, fatebuntur, me primoribus civitatis placuisse, cumque iis familiariter vixisse. Frustra obtrectatores nequissimi vitæ meæ ac morum integritatem conabuntur arrodere, et in crimen ac invidiam vocare: dum infirmum ac fragile quidpiam quærent, cui dentes infigant, reperient omnia solida, et contra maledicentiæ morsus munita. Habes, Trebati doctissime, quid sentiam, quid mihi deliberatum et constitutum sit, ita plane ut ex iis quæ dixi nihil mutatum, nihil detractum velim, nisi tamen aliter tibi videtur. Id unum, Horati, moneo, ut caveas ne quid imperitiâ juris, ac legum sanctè semper observandarum ignoratione pecces, unde periculi quidpiam et negotii tibi creari possit. Id enim nescire te nolim, posse illum in jus vocari et reum peragi, quicumque malos versus in aliquem scripserit. Esto sanè, si quis malos

Remòrant. Sincope, pro, removerant; se subduxerant, se receperant.

74. *Olus.* Indicatur summa frugalitas illorum temporum, cùm civitatis principes oleribus vescerentur.

75. *Censum.* Censores cùm lustrabant urbem, civium fortunas, censebant, et in tabulas referebant. Hinc factum ut vox illa *census*, pro annuis reditibus et opibus accipiatur. Lucilius locuples erat, equestri loco natus, anno Romæ 606. mortuus an. 651.

77. *Et fragili*, etc. Videtur hoc in loco Horatius respicere fabellam Æsopicam de serpente, qui cùm in officinam fabri ferrarii subiisset, ibique limam conaretur arrodere, ab ea irrisus est.

79. *Diffingere.* Resecare, demere.

82. *Jus.* Lex: *judicium.* Facultas accusandi; actio in aliquem, et provocatio in jus

Judiciumque. Esto, si quis mala; sed bona si quis
Judice condiderit laudatur Cæsare: si quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse,
Solventur risu tabulæ; tu missus abibis.

scripserit versus: at si quis bonos, Cæsaris ipsius judicio laudatur probaturque: si quis probus, et purus sceleris, improbum et sceleratum fuerit acriter insectatus; ridebunt judices, et leges omnes in Satyricos latæ explodentur, nihilque in ejusmodi Poëtam valebunt, sed ille omni periculo solutus et metu dimittetur.

legibus constituta et permissa. Pœna et mulcta legitimo judicio irroganda.

86. *Tabulæ.* Leges in tabulis æreis vulgò scribebantur. Quo in genere celebrantur leges duodecim tabularum, quibus antiquum jus Romanorum continebatur.

Missus. Dimissus, absolutus, tanquam nullius criminis reus.

Abibis. Secundam personam verborum Latini sæpè usurpant, cùm aliquid universè pronunciant, quod in quemvis conveniat.

SATYRA II.

Inducitur Ofellus quidam, sapiens rusticus, vituperans luxum, et frugalitatem commendans.

Quæ virtus et quanta, boni, sit vivere parvo,
(Nec meus hic sermo est, sed quem præcepit Ofellus,
Rusticus, abnormis sapiens, crassâque Minervâ)

Discite, amici, quæ sit virtus frugalitas, et quanti facienda. Neque vero meis hic verbis vos adhortor, refero duntaxat sermonem et præcepta Ofelli, hominis quidem rustici, neque litteris

1. *Boni.* O bone, ô boni, etc. locutiones Latinæ sunt quibus aliquem familiariter et amicè compellamus.

2. *Ofellus.* Nomen ignotum, fortasse fictum.

3. *Abnormis sapiens.* Minimè ad istorum, qui modò florent, Philosophorum normam factus.

Minervâ. Dea scientiarum præses: pro eruditione, Litte-

Discite, non inter lances, mensasque nitentes,
Quum stupet insanis acies fulgoribus, et quum
Acclinus falsis animus, meliora recusat:
Verùm hìc impransi mecum disquirite. Cur hoc?
Dicam si potero. Malè verum examinat omnis
Corruptus judex. Leporem sectatus, equove
Lassus ab indomito; vel, si Romana fatigat
Militia assuetum græcari: seu pila velox,
Molliter austerum studio fallente laborem;

exculti, aut certæ philosophorum sectæ addicti, at sapientis tamen, licèt rudi et crassâ sapientiâ. Illius egregiæ virtutis commoda, et utilitates mecum exquirite, non inter pocula et opimas dapes, ubi oculus perstringitur insanâ ferculorum pompâ, et fulgore vasorum gemmis et auro argentoque nitentium, cùm animus proclivis ad assentiendum falsis opinionibus, dedoceri, ac sanioribus præceptis imbui respuit: sed jejuni et sicci eam rem unâ expendamus. Cur autem jejuni? Istud ego aperiam, quoad feret ea quæ in me est ingenii vis exigua. Nimirum æquus atque idoneus rerum æstimator esse non potest, neque quid verum sit dignoscere, quisquis ad ejusmodi judicium non affert mentem sanam, nullo errore vel cupiditate impeditam. Cùm tu aut leporem venando, aut equum indomitum agitando, defatigatus fueris; vel, si exercitationem militarem, et quasi Romanorum propriam, ferre non potes, helluari ac perpotare Græcorum more solitus; cùm disco, aërem facilè impellente ac dividente; vel si

risque ponitur. *Dicere pingui Minervâ*, est sine arte; ut res et natura fert. *Sapiens crassâ Minervâ*, est non excultus studiis humanitatis, etc.

5. *Stupet acies.* Oculorum acies hebetata est, atque obtusa.

Insanis. Insanum Latini sæpè vocant quidquid nimium et immensum est.

6. *Acclinus.* Propensus, incumbens. Acclinus falsis, est, amplectens falsa, iis assentiens, in iis acquiescens.

Meliora. Nempe temperantiæ, sobrietatis, frugalitatis præcepta.

9. *Leporem*, etc. Primum hoc frugalitatis præceptum est, ut exercitatione ac labore fames et cibi appetentia colligatur. Tunc enim exquisitas epulas non desiderat jejunus stomachus, sed vulgari cibo contentus est. Leporem sectari, *courir un lièvre.*

11. *Græcari.* Vulgò valet ea vox, intemperantiùs potare, Græcorum more scilicet. Plaut. Mostellariâ, *Dies noctesque bibite, pergræcamini.*

12. *Fallente laborem.* Oblivionem laboris afferente: ita leniter decipiente lusores, ut laborem non sentiant, præ lu-

Seu te discus agit, pete cedentem aëra disco;
Cùm labor extuderit fastidia, siccus, inanis,
Sperne cibum vilem; nisi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta. Foris est promus, et atrum
Defendens pisces hyemat mare, cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Unde putas, aut
Qui partum? Non in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipso est: tu pulmentaria quære

mavis, pilâ te exercueris; quibus in ludis voluptas et ardor animi, prope omnem laboris sensum adimit. Cùm, inquam, laboriosæ hujusmodi exercitationes nauseam, quæ ex inertia et satietate oritur, depulerint, cùm famem et sitim collegeris; tunc sperne, sodes, cibos parabiles et obvios, nega te bibiturum, nisi apponatur tibi vinum Falernum Attico melle dilutum et conditum. Imò, si tuus opsonator domi tunc non sit; si, ob hyemis piscationem impedientis inclementiam, nulli præsto sint pisces, non dubito quin vel frusto panis, nullo præter salem adhibito condimento, famem improbam libentissimè sis placaturus. Unde autem voluptas tanta conciliari, quonam modo tam vilibus in cibis reperiri potest? Nempe, non est in epulis etiam exquisitissimis voluptas edendi sed in te ipso, sed in tua orexi et fame. Itaque si quæris dapes suavissimas, et egregiè conditas, eas efficies tu ipse sudando, laborando, corpus defatigando. Qui crapulâ et ingluvie malè turgidi ac pallidi sunt, illis nec ostrea, nec scarus, aut è remotissimis regionibus advehi solita lagois

dendi studio et aviditate. *L'attachement au jeu empêchant d'en sentir la peine.*

13. *Discus.* Erat massa lapidea, ferrea, vel ænea, digitis tribus aut quatuor crassa, plana, et fermè in circuli formam composita, quam ad certas usque metas projiciebant, *un palet.*

14. *Inanis.* Vacuo stomacho: jejunus.

16. *Promus.* Is qui cibos è penu promit. *Un Sommelier, un Dépensier.*

17. *Defendens.* Tutos à piscatoribus præstans.

Hyemat. Hyeme, procellis, ventis inhorrescit, vexaturque.

18. *Latrantem stomachum.* Solent canes jejuni repetito latratu cibum petere.

19. *Nidore.* Est propriè nidor, fumus ille qui è tostis carnibus erumpit.

20. *Pulmentaria.* Pulmentum seu pulmentarium propriè significat escam è pulte confectam, quâ priscos Romanos diu victitasse testatur Plinius: deinde vox eadem adhibita est ad significandum quod vis opsonium. Hoc in loco cibum exquisitiorem, et conditum elegantius videtur indicare. *Un ragoût.*

Sudando. Pinguem vitiis, albumque, nec ostrea,
Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagoïs.
Vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin
Hoc potius quàm gallinâ tergere palatum,
Corruptus vanis rerum; quia veneat auro
Rara avis, et pictâ pandat spectacula caudâ;
Tanquam ad rem attineat quidquam. Num vesceris istâ,
Quam laudas, plumâ? coctove num adest honor idem?
Carne tamen quamvis distat nihil hâc magis illa, et
Imparibus formis deceptum te patet. Esto.
Unde datum sentis, lupus hic, Tiberinus, an alto

sapit. Ægrè tamen à te impetraverim, ut si apponatur tibi hinc pavo, inde gallina; non malis pavone quàm gallinâ vesci: vanâ scilicet specie rerum deceptus, quia pavo, utpote avis rara, auro multo venditur, et caudam coloribus pulcherrimis picturatam habet: quasi verò decor iste ad rem faciat, et ad saporem pavoni conciliandum momenti aliquid afferat. An tū istam pavonis, quæ te tantùm capit, caudam plumamque comedis, aut pennarum species in cocto pavone manet eadem ac in vivo? Quamvis autem caro gallinæ haud multum diversa, neque deterior sit, quàm pavonis: esto nihilominus, patior te hanc illi præferre, dispari utriusque avis specie deceptum: sed cur lupum hunc alteri præfers, cùm sit una et simillima piscium amborum forma? Ecquid iste præ altero habet, unde internoscas, sit ne in Tiberi, an medio in mari captus: utrùm inter pontes versatus fuerit, an circa ostia ipsius Tiberis? Magni æstimas mullum, homo dementissime, qui pendat libras tres; at

21. *Ostrea.* Coalescant in unam syllabam duæ postremæ vocales hujus dictionis.

22. *Scarus.* Piscis magno tunc in pretio: *un sarget.*

Lagoïs. Piscis marinus, sic dictus ob aliquam cum lepore similitudinem in colore, vel sapore. Λαγωὸς, lepus: à quo λαγωῖς, *un lièvre de mer.*

24. *Tergere palatum.* Fricare. Inest in palato præcipuè gustus, dum ejus pelliculæ à cibis raduntur.

29. *Distat.* Præstat, antecellit.

31. *Lupus.* Piscis marinus, ita dictus à voracitate, et ingenti rictu. *Un loup marin.* Deterrimum putabant esse, qui captus in pelago foret; meliorem qui in ostiis fluminum; optimum verò, qui longiùs à mari, verbi gratiâ inter pontes.

Captus hiet? pontesne inter jactatus, an amnis
Ostia sub Tusci? Laudas, insane, trilibrem
Mullum; in singula quem minuas pulmenta necesse est.
Ducit te species, video. Quò pertinet ergo
Proceros odisse lupos? quia scilicet illis
Majorem Natura modum dedit, his breve pondus.
Jejunus stomachus raro vulgaria temnit.
Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem, ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos,
Præsentes Austri, coquite horum opsonia, quamvis

eum tamen opus est ut dividas in frusta plurima et concidas. Dices te illius magnitudine capi ac delectari: at, si mullum eo pluris facis, quo est major, cur lupum piscem contemnis, qui grandior est? Video quid causæ sit; ingentes odisti lupos, quia naturâ sunt majores; mullos majores amas, quia naturâ sunt minores. At cui vacuus est stomachus, is communes cibos, et quales sunt à natura comparati, vix fastidit. Quàm gratum est, inquit helluo quispiam, Harpyiis voracibus simillimus, ingentem piscem in ingenti patinâ stratum cernere! sed vos, ô Austri, favete precibus meis, et vestro afflatu calido istorum opsonia corrumpite. Quanquam, quid opus est ventorum operâ? siquidem apri et rhombi recentes, et modò capti ganeonibus istis putidi et corrupti videntur: quod accidit propter nimiam ciborum copiam; quæ fastidium opsoniorum etiam optimorum affert, ac stomachum jam plenum et nauseantem movet ad viles cibos, ut sunt

32. *Hiet.* Pisces ex aqua educti, itemque mortui, os diductum et hians habent. Adde quòd lupus marinus insignis est ob rictum oris et hiatum.

33. *Amnis Tusci.* Tiberis, qui è Tuscia profluit in mare Tyrrhenum.

34. *Mullum.* Piscem; *un barbeau.*

36. *Qui scilicet,* etc. Sic homines vulgò sunt, minùs placent ipsis ea quæ naturæ communibus quasi legibus constituta sunt: illam vincere, illi adversari gestiunt.

40. *Harpyiis,* etc. Erant Harpyiæ monstra quædam, ut poëtæ jactant, virginum specie, aliis instructa, rapacia, insigni voracite et ingluvie.

41. *Austri.* Auster, ventus à meridie flans, cujus aura calida et æstuosa tabem et marcorem adducit.

Opsonia. Cibi omnes, præter panem, ita vocantur à Græco ὄψον, quod fit ab ὀπτῶ, coquo, vel ab ὀψὲ, sero, quia vesperi vulgo cœnabant.

Putet aper, rhombusque recens, mala copia quando
Ægrum sollicitat stomachum; quum rapula plenus
Atque acidas mavult inulas. Necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis,
Nigrisque est oleis hodie locus: haud ita pridem
Galloni Prætoris erat acipensere mensa
Infamis. Quid? tum rhombos minus æquor alebat?
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,
Donec vos auctor docuit prætorius. Ergo

rapula et acres inulæ, lautissimis dapibus præferendos. Factum bene quod isti pauperum cibi nondum omnino exulent à mensis divitum, in iisque adhuc ova et oleæ conspiciantur! Ante aliquot abhinc annos malè audiit, et meritò, Gallonius, Prætor ignobilis, quòd primus omnium acipenserem epulandum convivis apposuisset. Quid? nonne dum rhombi erant frequentes in æquore et ciconiæ in agris, sed tutis licebat illis esse, nemo iis vescebatur, donec prætorius quidam auctor, fuit, ut in conviviis adhiberentur. Itaque si quis mergos tostos ferculum esse lautum pronunciaverit, juvenes Romani, qui ad omnia prava perdiscenda et arripienda proni sunt, huic quasi edicto morem gerent. Multùm discriminis est, meâ quidem sententiâ, inter frugalem

42. *Rhombus.* Piscis, *un turbot.*

43. *Sollicitat.* Emovet, perturbat: *leur fait soulever le cœur.* Vel, impellit, ad viles cibos consectandos.

Rapula. Rapum, vel rapa, rapulum, *une rave.*

44. *Inulas.* Herba amarior, et austeriori sapore, *de l'aunée.*

45. *Regum.* Divitum, Procerum.

46. *Nigris.* Nigrescunt oleæ cùm maturescunt.

47. *Galloni.* Publius Gallonius, cognomento Gurges, homo natus abdomini et gulæ.

Acipensere. Acipenser, *un éturgeon*, piscis miro apud Romanos in pretio et honore habitus; adeo ut à ministris coronatis ipse coronatus floribus inferretur mensæ, tibiis personantibus, nullusque, licèt exiguus, minoris, quàm mille nummis, in macello veniret.

49. *Ciconia.* Ante Gallonium vilis erat rhombus; ciconia spernebatur ante Sempronium Rufum, etc. Ex quo colligit Horatius homines in ciborum delectu merâ opinione duci. Ciconia Augusti tempore locum in primariis habere mensis cœpit: centum post annis quasi exauctorata est, cique grus successit.

Prætorius. Asinius Sempronius Rufus, hîc per jocum prætorius appellatur, quia cùm præturam peteret, repulsam tulit.

Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,
Parebit pravi docilis Romana juventus.
Sordidus à tenui victu distabit, Ofello
Judice. Nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te aliò pravus detorseris. Avidienus,
Cui Canis ex vero ductum cognomen adhæret
Quinquennes oleas est, et sylvestria corna;
Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum, et
Cujus odorem olei nequeas perferre, licebit
Ille repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret, cornu ipse bilibri

mensam, et præparcam aut immundam. Quid autem profuerit luxum et sumptus immodicos fugisse, si quis in oppositum vitium, in sordes et victus immunditiam incidat? Avidienus, cui cognomentum Canis, et quidem ipsius moribus congruens, inditum est, non edit oleas, nisi quinto pòst anno, quàm lectæ sunt; idem cornis agrestibus vescitur, nec utitur vino nisi vetustate corrupto, et oleo tam graveolenti, ut ejus odorem ferre diu nemo possit: ipse illud è tenui gutto corneo, duas libras capiente, in caules parcè infundit, acetum autem satis liberaliter, sed jam putre, adjicit: neque victu et mensâ lautiore genium curat, etiam cùm diem posterum nuptiarum aut suum natalem, aut alios dies festos, alba in veste, ut mos est, celebrat. Qualis igitur erit sapientis mensa? Galloniumne imitari studebit, an Avidienum? Ex una parte lupus, aiunt, ex altera canis imminet. Censeo ut sapiens mundo cultu, et medio inter sordidum sump-

51. *Mergos.* Mergus, *un plongeon*, avis fluminibus et aquis gaudens: ceterum ita arida et exsucca, ut torreri nequeat.

55. *Avidienus.* Civis eâ tempestate ob sordes et avaritiam malè notus.

56. *Canis.* Ita vocabantur cynici philosophi, qui ob impudentiam et agrestem parcimoniam malè audiebant: unde etiam ista fluxerunt *cynicè vivere, cœna cynica.*

57. *Corna.* Fructus ignobiles, è ceranorum genere, *des corneilles.*

58. *Mutatum.* In acetum. *Defundere.* De amphora in cyathum fundere.

59. *Licebit.* Pro, *licet, quamvis*, etc.

60. *Repotia.* Sunt epulæ quædam leviores, quæ peracto nuptiali convivio, ex ejus reliquiis postridie instaurantur. A repotando, et iterum bibendo. *Un lendemain de noces.*

61. *Albatus.* Vestes albas in sacrificiis, spectaculis, conviviis, lauti ac divites induebant.

Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur, et horum
Utrum imitabitur? hàc urget lupus, hàc canis, aiunt.
Mundus erit, qui non offendet sordibus, atque
In neutram partem cultûs miser. Hic neque servis,
Albucî senis exemplo, dum munia didit,
Sævus erit; neque, sic ut simplex Nævius, unctam
Convivis præbebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
Accipe nunc, victus tenuis quæ, quantaque secum

tuosumque utatur victu, ita ut in neutram partem plus justo inclinet, neque miserè sit aut avarus, aut profusus. Quare nec, instar senis Albucii; sæviet in servos, si quis illorum vel levissimè peccaverit in obeundis, quas singulis attribuit partibus ac muniis ad apparandum convivium: neque Nævii negligentiam imitabitur ad rusticitatem, qui aquam pinguem immundamque conviviis dat; quod indignam quoque est, graviterque reprehendendum. Jam quæ utilitates è tenui et frugali mensa capiantur, audi. Ac primò quidem multum valetudini prodest; cui quantum obsit ciborum varietas, facilè persuasum habebis, si memineris quàm tuo stomacho bene fuerit, quoties uno quodam et simplici usus fuisti cibo: verùm simul atque permixtæ et ingestæ

64. *Hàc lupus*, etc. Inter lupum et canem esse dicuntur qui duplici periculo sic urgentur, ut alterutrum non possint effugere. Hanc parœmiam bellè huic loco accommodat Horatius, et hâc voce, *lupus*, designat luxum et sumptuosas illorum epulas, qui lupos marinos tam sollicitè conquirebant; ac præterea lupus, cùm avidum sit animal et vorax, helluonibus significandis accommodatus est. Per alteram verò vocem, *canis*, sordes et avaritiam indicat: qualem in avidieno Cane descripsit.

Aiunt, significat, ut vulgò dicitur, ut fert proverbium.

66. *Cultûs*. Est ea vox in patrio casu in neutram cultûs partem miser ille est, qui vitam ita colit atque instituit, ut inter luxuriæ pompam atque avaritiæ sordes media insistat via, miser futurus, si in altero extremorum peccet.

67. *Albuci*. Ille Albucius tam religiosè anxius erat ac diligens in accipiendis convivis et hospitibus, ut si quid à servulis omissum foret, si quid contra leges à se præscriptas peccatum, graviter in eos ac dirè sæviret.

Didit. Didere, verbum est vetus, pro, dividere, spargere.

68. *Unctam*. Minimè limpidam, non puram.

Afferat. In primis valeas bene : nam variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit. At simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides ut pallidus omnis
Cœnâ desurgat dubiâ? quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat unà,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.
Alter, ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.
Hìc tamen ad melius poterit transcurrere quondam,
Sive diem festum rediens advexerit annus,

in stomachum erunt coctæ carnes cum tostis, ostrea cum turdis, cum avibus pisces; tum escæ dulces in bilem, aliæ mutabuntur in pituitam, quæ bili addita intestinum in visceribus bellum excitabit. Aspice, ut ii omnes, qui ad opiparam accubuere mensam, ubi dapum varietas et copia convivas quidnam potissimum edant incertos facit; inde pallidi exsurgant. Deinde, corpus crapulâ pridianâ grave, mentem ipsam onerat ac deprimit, atque hanc velut afflatam ex ipsius Dei ore partem hominis meliorem, luto immergit. Contrà verò iste frugalis ac temperans, ubi cibum obiter cepit, ac somno paulisper indulsit, ex eo lætus et alacer ad officium et negotia exsurgit. Idem nihilominus lautiore interdum cibo se recreare poterit, sive celebrandus fuerit dies festus stato tempore anni recurrens ; sive post graviorem aliquem laborem reparare vires cupiet; sive demum consenuerit, ac benigniore victu infirma et ingravescens ætas erit curanda. Tu verò, ad istas delicias, ad hunc luxum quem florenti ætate, ac vegetis adhuc viribus, ante tempus perperam usurpas, quid addere poteris, quandocumque te aut morbus aut senium occupabit? Majoribus nostris placebat aper putere jam incipiens,

73. *Sederit.* Placuerit : stomacho bene ac leniter insederit : digesta commodè et concocta fuerit.

75. *Bilem.* Est bilis, humor quidam igneus : pituita verò, frigidus.

Pituita. Trium est syllabarum ea vox, *pituita* ; ita ut media littera *v* sit consonans, et cum sequenti, coalescat.

77. *Cœnâ desurgat.* Pro de cœna surgat.

79. *Divinæ.* Animas hominum Divinitatis partes quasdam esse credebant Ethnici Philosophi.

Seu recreare volet tenuatum corpus; ubive
Accedent anni, et tractari molliùs ætas
Imbecilla volet. Tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer, et validus præsumis, mollitiem? seu
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus.
Rancidum aprum antiqui laudabant: non quia nasus
Illis nullus erat; sed, credo, hâc mente, quod hospes
Tardiùs adveniens, vitiatum commodiùs quàm
Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tulisset!
Das aliquid famæ, quæ carmine gratior aurem
Occupat humanam? grandes rhombi, patinæque
Grande ferunt unà cum damno dedecus. Adde
Iratum patruum, vicinos, te ibi iniquum,
Et frustra mortis cupidum, quum deerit egenti
As, laquei pretium. Jure, inquis, Trausius istis
Jurgatur verbis; ego vectigalia magna,

non quòd odoratu carerent, aut gravem illum odorem non persenticerent: sed, opinor, quia existimabant satius esse, ut hospes aliquis serius ipsos invisens eo jam graveolenti vesceretur, quàm ut eundem herus avidior totum ac recentem comederet. Quàm vellem primis illis natus esse temporibus, cùm heroas istos tellus nondum effeta procreabat! Quòd si te famæ cura, et laudis cupiditas tangit, quæ omni cantilenà et concentu suavior hominum auribus accidit; sic habeto, profusas atque intemperantes epulas non fortunis modò, sed etiam famæ vehementer nocere. Huc adde quòd meritò tibi succensent eam ob rem propinqui et cognati tui, quòdque vicini te aspernantur, quin, tu ipse tibi gravis et molestus es, eò fortasse deventurus inopiæ et desperationis, ut mortem expetens, ne assem quidem, quo emas laqueum, sis habiturus. Ista fortasse, inquis, jure in Trausium dicantur, rectè sic objurgari homo prodigus ac parum locuples potest: mihi ampla prædia sunt, et opes regibus tribus non impares. Quid? non potes rectiùs et utiliùs impendere illas immensas et superfluentes opes? cur viri probi, et meliore con-

84. *Tenuatum.* Imminutum, debilitatum.

99. *Trausius.* Aliquis nepos dissolutus, idemque pauper.

100. *Jurgatur.* Patiendi significationem habet hoc in loco vox ista. Objurgatur, reprehenditur.

Divitiasque habeo tribus amplas regibus. Ergo
Quod superat, non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam, te divite? quare
Templa ruunt antiqua Deûm? cur, improbe, caræ
Non aliquid Patriæ tanto emetiris acervo?
Uni nimirum rectè tibi semper erunt res?
O magnus posthac inimicis risus! uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius? hic, qui
Pluribus assuerit mentem, corpusque superbum;
An qui, contentus parvo, metuensque futuri,
In pace, ut sapiens; aptarit idonea bello?
Quo magis his credas, puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latiùs usum,
Quàm nunc accisis. Videas metato in agello,

ditione digni, conflictantur inopiâ, dum tu locuples ac beatus es? cur ædes sacræ vetustate collabuntur? cur ex illis nummorum acervis non decutis aliquid in publicam rem et utilitatem? scilicet prosperâ te semper usurum fortunâ confidis? O quantum inimicis tuis risum ac ludibrium dabis, cùm illa te mutata deseruerit! Age enim, uter amborum paratior est ad injurias Fortunæ perferendas? is qui lautè semper et opipare se tractaverit, qui luxui, magnificentiæ, superbis sumptibus, mentem et corpus assuefecerit; an is qui parce duriterque vixerit, qui paucis contentus, et in futurum providens, opum suarum partem aliquam ad dubia tempora, casusque improvisos reservarit? utque dux belli gnarus, in pace comparaverit ea, quibus belli usus indiget? Ita Ofellus præcipiebat: ita vivebat. Quod ut magis habeas persuasum, illum ipsum egomet puerulus noveram, cùm re familiari amplâ et integrâ uteretur, nec tamen sumptuosiùs viveret, quàm nunc vivit imminutis ac prope perditis rebus. Etiamnum videre est virum hunc bonum et in calamitate for-

Vectigalia. Pro censu, latifundiis, annuo proventu prædiorum, etc. accipitur ea vox.

107. *Uterne.* Pro, uter: ut quine, Satyr. ult. Lib. I. versu 21.

108. *Fidet sibi.* Confidet se perfugium in rebus adversis habiturum: non abjiciet animum.

109. *Superbum.* Lauto cultu victuque corpus superbit, ac velut efferatur.

113. *Latiùs.* Latè utitur opibus, qui expensis necessariis atque utilibus non est contentus.

114. *Metato.* Dimenso et diviso in certa jugera. Augustus post prælium Philippense

Cum pecore et natis, fortem mercede colonum,
Non ego, narrantem, temerè edi luce profestâ
Quidquam præter olus, fumosæ cum pede pernæ.
Ac mihi, seu longo post tempore vènerat hospes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat, non piscibus urbe petitis,
Sed pullo, atque hœdo: tum pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas, cum duplice ficu.
Post hoc ludus erat culpâ potare magistrâ:
Ac venerata Ceres ita culmo surgeret alto,

tem, mercede pactâ et pretio, colere agrum veterano militi assignatum, cujus olim dominus, nunc villicus est, ibique armenta pascere, et cum liberis quos educat, interdum sic loqui : Non facilè diebus profestis ad cibum adhibui quicquam præter olera, et pedem suillæ coxæ, fumo duratæ. Quod si quis longo intervallo me conveniens hospes supervenisset, aut vicinus, præcipuè si propter pluviam opus rusticum intermittere cogerer, tunc genium cum illis curabam non accersitis ab urbe piscibus, sed pullo quem cohors dabat, vel hœdo : apponebantur in secunda mensa uvæ, quæ è tecto pendebant, nuces, majores ficus : subinde non alio magis ludo delectabamur quàm potitando, quantùm cuique visum foret, non aliâ bibendi lege quàm pro culpæ modo : simulque Cererem comprecati, ita messem opimam largiretur, curas ac seria negotia vino diluebamus, frontemque exporrigebamus. Quamlibet iniquam se nobis Fortuna

agros veteranis militibus assignavit in Italia. Ofelli ager sorte obtigit Umbreno militi, et Ofellus è domino factus est villicus et conductor, ac mercedem accepit, pro colendo agro, olim suo.

117. *Pernæ.* Perna est pars coxæ porcinæ, pedi proximior, juncta ipsi pedi : pars verò superior coxæ, cum parte aliqua costarum, petaso appellatur.

120. *Mihi bene erat.* Lautè vivebam, genio mihi videbar indulgere.

122. *Duplice ficu.* Magnâ. Sic Virgil. III. Georg. *duplicem spinam* vocat, id est, latam, ingentem.

123. *Culpa magistrâ,* id est, ludebamus eâ lege, ut qui aliquid in ludo, vel adversùs convivii certas leges, peccasset, is, pro ratione culpæ et modo, plus minusve biberet : vel siccus ipse, dum alii biberent, maneret. Plaut. *Qui peccat, poculo multabitur.*

124. *Venerata.* Patiendi significatione hìc ponitur. Sic Virgil. *Cursusque dabit venerata secundos.* Æneid. III. ver. 460.

Explicuit vino contractæ seria frontis.
Sæviat, atque novos moveat fortuna tumultus,
Quantùm hinc imminuet? quantò aut ego parcius, aut vos,
O pueri, nituistis; ut huc novus incola venit?
Nam propriæ telluris herum Natura neque illum,
Nec me, nec quemquam statuit. Nos expulit ille;
Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris,
Postremò expellet certè vivacior heres.
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius; sed cedet in usum
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

infestamque præbeat, licet novis obruere nos calamitatibus gestiat, quantulum ex hac angusta re familiari nobis auferet? Numquid ex eo tempore, quo novus iste villicus huc advenit, aut ego, aut vos, ô filii, minùs lautè et commodè vixistis? villicum dixi, neque enim aut illi aut mihi, aut cuiquam hominum, agri domusque cujuspiam dominium et jus est à Natura datum. Ab homine isto hinc pulsi fuimus, expelletur indidem vicissim ille, et cedere tandem cogetur aliquando, vel propter luxum et profusos sumptus, ad inopiam redactus; vel à scientiore litigatore propter juris et forensium dolorum imperitiam circumventus; aut saltem ab heredibus, qui superstites ipsi erunt, deturbatus. Hic fundus, qui non ita pridem ager Ofelli dicebatur, qui modò Umbreni dicitur, ad neminem propriè pertinebit, sed modò in meos, modò in alterius usus transibit. Quæ cùm ita sint, erigite animos, et quæcumque vos premet Fortuna eam fortiter ferendo superate.

125. *Explicuit seria frontis*, pro, seriam frontem, id est, severam, contractam, tritam, tristem.

128. *Nituistis.* Pingues et nitidi fuistis. Quemadmodum ex lautiore et liberaliore victu cultuque nitent corpora; ita ex parciore et maligniore squallent.

129. *Propriæ telluris.* Cujus dominus sit, quæ non possit illi auferri.

SATYRA III.

Inducitur Damasippus narrans ea quæ olim à Stertinio philosopho audiit, explicansque Stoïcum illum Paradoxum : Omnes propemodum homines insanire.

Sic rarò scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quæque retexens,
Iratus tibi quod, vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas. Quid fiet? at ipsis
Saturnalibus huc fugisti sobrius. Ergo
Dic aliquid dignum promissis : incipe. Nil est.
Culpantur frustra calami, immeritusque laborat

Tam es negligens in versibus componendis, ut per annum, quàm longus est, vix quater papyrum postules : nihil quicquam aliud agis, nisi deles, mutas, diffingis, quicquid scripsisti. Atque hoc non diffiteris, quin tibi ipse succenseas, et doleas nihil à te, dum vino et somno liberaliùs indulges, elucubrari, quod in vulgus edi, probarique jure possit. Quorsum denique evadet tua ista socordia? in hanc villulam inde ab initio Satur-

2. *Membranam.* Propriè est pellis è membris animalium detracta, et exsiccata, ovillum corium. Eam Eumenes, Pergami rex, præsertim adhibuit in describendis libris, cùm egregiam, Ptolemæum imitatus, bibliothecam extrueret : unde charta pergamena dicta, *du parchemin.* Si quid veteres componerent, id primùm scribebant, in tabellis cerâ obductis, quas adversaria, et palimpsesta, vocitabant, seu chartas deletitias : eas enim complanatâ cerâ, et verso stylo facilè oblitterabant : quæ verò servata et diligenter scripta vellent, ea perscribebant in papyro, vel membrana.

Retexens. Delens, mutans.

4. *Sermone.* Famâ, laude. ἄξιον λόγου, ut loquuntur Græci, *dictu dignum.*

5. *Saturnalibus.* Saturnalia, Saturni erant festa. Celebrabantur mense Decembri, insigni lasciviâ, et licentiâ : ita ut omnia ebriorum vocibus personarent, quem tumultum fugiens Horatius in villam secesserat.

Iratis natus paries Dîs, atque poëtis.
Atqui vultus erat multa et præclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto.
Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro;
Eupolim, Archilocum, comites educere tantos?
Invidiam placare paras, virtute relicta?
Contemnere, miser. Vitanda est improba Siren

naliorum te proripuisti sobrium et siccum. Cane igitur aliquid egregium, ut sæpè nobis est pollicitus. Age. Nihil mihi, ô Damasippe, in mentem venit. Video me, invitis Musis scribere, frustra culpam in calamos rejicere: ac tundere illum parietem, qui infelici quodam fato extructus videtur, ut à Poëtis vapulet. Attamen, cum ex urbe discessisti, præ te ferebas mira quædam te scripturum, si quando otiosus et ceteris negotiis solutus ad luculentum focum in villula constitisses. Quid opus erat igitur addere Menandrum Platoni, quasi stipatorem: tecum rus deplorare Eupolidem, Archilochum, et alios id genus eximios Poëtas? An putas te tuos et æmulos et invidos placare posse, nihil scribendo, et viam virtutis ac laboris arduam deserendo? Erras; te contemnent illi, qui tibi prius invidebant. Inertiam

8. *Paries*, etc. Solebant poëtæ meditari noctu in tenebris, et exarare carmina. Eam ob rem præsto illis erat ad interiorem lecti spondam paries cerâ obductus, vel tabula quæpiam in pariete, in qua versus perscribebant. Hanc autem tabulam, aut parietem, si nihil ipsis veniret in mentem, feriebant interdum. Hinc Persius: *Nec pluteum cedit*, etc. Paries laborat, *pâtit injustement de votre méchante humeur.*

Iratis natus Dîs. Paries infelix: adverso fato et quasi iratis Musis ædificatus: à poëtis nimirum solitus vapulare.

9. *Minantis.* Minari, est interdum idem ac, de se jactare, promittere: et promittere, vicissim pro minari usurpatur.

11. *Platona.* Plato Atheniensis philosophus, Socratis discipulus, ob eloquentiam et sapientiam Divinus appellatus, natus est olympiadis 88. anno primo, mortuus anno primo Olympiadis 108. Urbis Conditæ 406. ante Christum 348. annum agens 81.

12. *Eupolin.* Floruit Olympiad. 85. 86. etc.

13. *Invidiam*, etc. Ingenio, eruditione, aut aliquâ dote aliâ præstantibus sæpè invidetur; inertium, improborum, etc. nos miseret.

14. *Siren.* Sirenes, ut fabulantur Poëtæ, monstra erant marina, speciem et vultus virginum habentia, sed alas pedesque volucrum; Tyrrheni maris incolebant littus, inter Puteolanum et Pæstanum

Desidia; aut, quidquid vitâ meliore parasti,
Ponendum æquo animo. Di te, Damasippe, Deæque;
Verum ob consilium donent tonsore. Sed unde
Tam bene me nosti? Postquam omnis res mea Janum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo,
Excussus propriis: olim nam quærer amabam
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus ære,
Quid sculptum infabrè, quid fusum durius esset.
Callidus huic signo ponebam millia centum:

haud secùs ac diram Sirenem fugias oportet; aut amittas sponte quidquid adhuc honoris, famæ et opum, bonis artibus ac studiis collegisti. Habeo gratiam, Damasippe, pro tam salubri, quod impertire mihi non gravaris, consilio: Faxint vicissim Dii omnes ac Deæ, ut tonsorem aliquem reperias, qui te isto prolixioris barbæ onere levet. At quo tandem pacto fit, ut me tam præclarè noris? Postquam fortunarum omnium jacturam feci, utendo mercaturis ac foro parum prospere, exinde, cùm negotia propria jam habeam nulla, de aliorum rebus cœpi esse sollicitus. Fuit enimverò tempus, cùm nihil exquirerem avidiùs, nihil pluris facerem, quàm antiqua vasa, ut putà pelvim in qua vafer ille Sisyphus pedes olim abluisset. Nemo erat qui, quænam inscitè et imperitè sculpta, aut rigidè et infabrè fusa meliùs ac certiùs dignosceret: nemo qui

sinum, ubi visuntur etiam insulæ Sirenusæ olim dictæ. Ibi prætereuntes nautas suavitate cantus illectos sopiebant, sopitos demergebant ac devorabant. Homer. Lib. XII. Odys. Ovid. V. Metamorph. Virg. V. Æneid. versu 864. Nomen habuerunt à voce Græcâ *σειρὰ*, *funis*, *catena*, quia præter-navigantes trahebant ad sese.

16. *Damasippe.* Junius Damasippus Senator ac Philosophus erat Stoïcus, homo perditè curiosus et emax: quibus artibus cùm fortunarum fecisset naufragium, se in philosophiæ portum contulerat.

17. *Tonsore.* Alebant ingentem barbam philosophi. Jocatur hic lepidè Horatius, videtur enim optare ut onere molesto barbæ levetur Damasippus, cui nihil tamen accidere turpius, et acerbius poterat quàm barbam amittere, quippe quâ solà philosophus erat.

18. *Janus*, etc. Templo Jani via quædam adjuncta, dicebatur Janus, in quâ fœneratores, trapezitæ, lautioresque mercatores, habitabant. Ejus viæ partes, summus, imus, medius Janus appellabantur.

23. *Huic signo.* Alicui statuæ.

Hortos, egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro noram. Unde frequentia Mercuriali
Imposuere mihi cognomen compita. Novi;
Et morbi miror purgatum te illius. Atqui
Emovit veterem mirè novus, ut solet, in cor
Trajecto lateris miseri, capitisque dolore:
Ut lethargicus hic, quum fit pugil et medicum urget.
Dum ne quid simile huic, esto ut lubet. O bone, ne te
Frustrere: insanis et tu, stultique prope omnes,
Si quid Stertinius veri crepat: unde ego mira

statuis, aliisve operibus pretium, quanticumque demum ea essent, solertius ac rectiùs poneret: nemo qui hortos ac magnificas ædes majore cum emolumento ac lucro coemeret: adeo ut ob eam rem Mercurialis dicerer, atque isto cognomine passim in urbis compitis salutarer. Equidem audivi; ac vehementer miror, qui fieri potuerit ut ex isto animi morbo convalesceres. Cæterùm, ita sum eo morbo levatus, ut nescio quo pacto in alium inciderim; quemadmodum ægrotis accidit aliquando, ut lateris dolor vel capitis, in stomachum traducatur. Sic et qui lethargo consictantur, ii nonnunquam, mutato repente morbo, fiunt phrenetici, jamque cum medico instar pugilum luctantur ac depugnant. Tu verò, mi Damasippe, quocumque libuerit corporis et animi morbo labora, modò ne quid tibi accidat simile istis phreneticis, ac pugnos à me abstineas. Rides, Horati, atqui noli nimiùm tibi placere: quin sic habeto, et te, et mortales prope universos phrenesi et insaniâ laborare si qua Stertinio insigni philosopho, adhibenda est fides: à quo hæc admirabilis sapientiæ arcana didici, ac libenti sanè animo tunc excepi, cùm ille me afflictum

Millia centum. Subaudi minorum sestertiorum, hoc est, centum majora sestertia. Sunt decem millia librarum, ut vocant Galli, Turonicarum.

25. *Mercuriali.* Præerat lucro Mercurius et mercaturæ, item litteris et eruditioni.

30. *Lethargicus.* Lethargus est morbus, veternum, et prope inexpugnabilem dormiendi necessitatem afferens.

Fit pugil. Curari solet lethargia remediis calidioribus, quippe contrariis pituitæ frigidiori. Ab eo calore interdum gignitur phrenesis, mentis delirium, et cerebri inflammatio. Quo furore correptus æger, luctari cum medico hîc dicitur, pugilum instar.

32. *Insanis et tu*, etc. Stoïci stultos appellabant eos omnes qui aliquâ cupiditate abrepti, rationem non audirent; immo etiam insanos vocabant ac furiosos præsertim si gravioribus vitiis laborarent.

33. *Stertinius.* Philosophus Stoïcus, tunc notus.

Descripsi docilis præcepta hæc, tempore quo me
Solatus jussit sapientem pascere barbam,
Atque à Fabricio non tristem ponte reverti:
Nam, malè re gestâ, quum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit; et: Cave faxis
Te quidquam indignum. Pudor, inquit, te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primùm nam inquiram, quid sit furere. Hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala stultitia, et quæcumque inscitia veri
Cæcum agit, insanum Chrysippi porticus, et grex

erigens, philosophiæ studium capessere, et hanc barbam, sapientiæ insigne, nutrire persuasit, atque à ponte Fabricio domum redire jussit, gravi dolore animi liberatum. Cùm enim ob amissas fortunas ac rem familiarem perditam mœrore obrutus, in eo ponte constitissem, ut inde me in Tiberim capite obvoluto præcipitem darem, adfuit ille felici prorsus fato, manumque apprehendens: quid agis? inquit; vide etiam atque etiam, ne quid alienum tuâ dignitate committas. Improbus atque inconsultus pudor hanc tibi præposteram arcessendæ mortis mentem injecit. Nempe metuis ne te, ob rem malè gestam, insaniæ accusent homines; quasi verò non sint ipsi quoque pariter insani. Hoc enim ex te primùm sciscitabor, quid sit tandem insanire, aut quænam huic voci subjecta sit sententia, cùm aliquem vocamus insanum. Id si tibi uni conveniat, tum ego nihil causæ dicam quin mortem fortiter oppetas. Age igitur: quisquis aliquo errore, imprudentiâ, ignoratione veritatis, vel qualicumque cæcitate

35. *Pascere barbam.* Philosophiam amplecti, me philosophum ipso vultu et cultu corporis profiteri.

36. *Fabricio ponte.* Unde me præcipitare in Tiberim cogitabam. Tiberis, ibi, ubi ferè campus olim Martius erat, efficit, insulam: hæc duplici ponte urbi jungitur: alter vocatur Fabricius, à Fabricio conditore sic dictus, nunc à statua Jani quatuor capitibus insignitâ, quæ in extremo ponte visitur, appellatur Pons quatuor capitum, *Ponte di quatro capi.* Alter pons dicebatur Cestius, nunc Pons S. Bartholomæi vocatur.

38. *Dexter.* Auspicatus, felix; contra verò, *sinister*, infortunatus, inominatus.

44. *Chrysippi.* Chrysippus Philosophus Stoïcus fuit, auditor Cleanthis, post quem etiam scholæ Stoïcorum præfuit.

Autumat. Hæc populos, hæc magnos formula Reges,
Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe quare
Desipiant omnes, æquè ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut sylvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: unus utrique
Error, sed variis illudit partibus. Hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiæ, nihilum metuenda timentis, ut ignes,
Ut rupes, fluviosque in campo obstare queratur.
Alterum et huic varium, et nihilo sapientius, ignes
Per medios, fluviosque ruentis. Clamet amica
Mater, honesta soror, cum cognatis, pater, uxor:
Hìc fossa est ingens hìc rupes maxima, serva:

mentis laborat, hunc schola omnis Stoïcorum, auctore ac duce Chrysippo, pronunciat insanum. Hæc autem definitio et regula non modò plebeios homines, sed proceres etiam regesque comprehendit, uno excepto sapiente. Nunc itaque audi quum ob causam eos omnes qui te insanum dictitant, haud sanè minùs quàm te ipsum insanire affirmem. Quomodo in sylva ingenti viatores cùm à recto itinere deflectunt, alii quidem ad sinistram, alii verò ad dextram vagi feruntur, utrique tamen peræquè exerrant, licèt non uno modo, nec in eadem sylvæ illius parte: similiter insanum te sic puta, ut qui te irrident, nequaquam sapientiores te sint, sed ipsi quoque caudam tergo appensam gerant. Quippe non unum est stultorum genus. Alii timent ea in quibus nihil est penitus quod meritò timeatur: ubique videre sibi videntur flammas atque incendia; flumina et scopulos, etiam in aperta et pura planitie, sibi occurrere atque obsistere clamitant. Alii longè ipsis dissimiles; nihilò tamen minùs stulti, per medios ignes ac fluvios feruntur præcipiti cursu. Quantumcumque

Porticus. Erat Athenis ingens quædam porticus: in ea disputare initio solebant Stoïci; et ab ea nomen invenere: porticum enim Græci vocant ϛοὰν: hinc Στωικὸν quasi dicas, versantes in porticu.

45. *Formula.* Effatum, axioma, placitum Stoïcæ disciplinæ, nempe *Omnes stultos insanire.*

53. *Caudam trahat.* Proverbium hoc à puerorum more sumitur, qui cùm deridere quempiam volunt, ejus tergo apponunt aliquid instar caudæ, quod stolidæ pecudis, illum esse similem ostendant.

59. *Serva.* Te serva, fuge, cave.

Non magis audierit, quàm Fusius ebrius olim,
Quum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,
Mater, te appello, clamantibus. Huic ego vulgum
Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit veteres statuas Damassippus emendo.
Integer est mentis Damassippi creditor? esto.
Accipe quod nunquam reddas mihi, si tibi dicam,
Tunc insanus eris, si acceperis? an magis excors,
Rejectâ prædâ, quam præsens Mercurius fert?

aut mater natorum amans, aut soror proba et bene morata, aut cognati, aut pater, aut conjux carissima, vociferentur, et admoneant: Hem, quò ruis? cave: ibi fossa est ingens, illic cautes præruptæ; non magis aures advertent: quàm olim Fusius vino madidus, cùm, Ilionæ dormientis personam agens in scena, sic obdormivit, ut ipsum Catieni sexcenti excitare his vocibus, Mater, te appello, sæpius iteratis, nunquam potuerint. Ego verè populum universum errore simili laborare demonstrabo. Insanus dicitur Damasippus, eo quod signa antiqua tam cupide, tanto pretio mercetur. An sanus est venditor, qui de pretio fidem habet Damasippo spondenti? Finge hoc à me dici tibi, Pecuniam cape, quam ego abs te nun-

60. *Fusius.* Actor quidam qui cùm vino se obruisset, et imitari dormientem Ilionam deberet in scena, tam altè ac verè dormivit, ut excitari nunquam potuerit.

61. *Ilionam.* Ilione, maxima filiarum Priami, ut ait Virgil. I. Æneid. versu 657. et Polymnestoris Thraciæ regis uxor fuit. Attius, aut Pacuvius, tragœdiam ediderat Ilionæ inscriptam nomine, in qua inducebat Polydori umbra ab inferis emergentem, et in somnis sorori suæ Ilionæ se offerentem, ut eam moneret de illata sibi nece.

Catienis. Catienus, actor in eadem tragœdia personam Polydori agebat: easque voces, *Mater, te appello,* tantâ voce ac toties iterabat, ut non unus Catienus loqui, sed mille ac ducenti viderentur.

62. *Mater, etc.* Vocatur hoc loco Ilione, Polydori mater, etsi tantùm soror ipsius esset, quia illum, uti mater educabat, et altera ipsi mater erat.

63. *Similem*, etc. Subaudi, errorem. Estque hic ordo verborum: Docebo vulgum cunctum insanire errorem huic errori similem. Sic dicitur furere furorem, dolorem dolere, etc. Posuit autem *vulgum* in genere masculino.

68. *Mercurius.* Is, ut dixi, lucris, præsertim industriâ, commercio, mercaturâ, pactis præerat; quemadmodum Hercules præesse dicebatur lucris

Scribe decem à Nerio. Non est Satis : adde Cicutæ
Nodosi tabulas centum, mille adde catenas,
Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus;
Quum rapies in jus, malis ridentem alienis,
Fiet aper, modò avis, modò saxum, et, quum volet, arbor.
Si malè rem gerere, insani est; contra, bene, sani;
Putidius multò cerebrum (mihi crede) Perilli est

quam repetam, an tu desipies, si accipias? immo, desiperes certè, si lucrum tibi, Mercurio favente, oblatum rejiceres. Sic tu, creditor, utique insanior es eo, cui credis. Licèt enim diligentiam omnem adhibeas, quo debitoris obstringas fidem, ipsumque quasi vinctum teneas; licèt illum cogas syngrapham dare, quá sestertia decem à Nerio argentario sibi, te jubente, persoluta esse testetur; licèt tabellas ac formulas juris alias aliis adjicias, quibus perinde ac insignis ille litigator Cicuta, illum irretias; iste nihilominus ex his laqueis se expediet, cùmque illum ad judicis tribunal pertrahes, tunc de tua credulitate nequiter ridens, omnes se in facies vertet, instar Protei cujusdam, qui nunc in aprum aut avem, nunc in arborem aut in saxum mutabatur. Si stultus censetur, qui negligentiá suá aut inscitiá opes amittit : vicissim autem, si sapere ille dicitur qui rem auget atque amplificat in dies, certè Perillus creditor tuus, multò est quàm tu stolidior, dum

insperato, et casu obvenientibus.

69. *Scribe*, etc. Ponitur secunda persona pro qualibet. Id enim agit Sternius ut ostendat creditores stultos esse, qui tam facilè debitoribus perfidis mutuos nummos dare non dubitent. Scribat creditor, v. g. Petillus, in argentarii libro et rationibus : testetur se dedisse Damasippo decem sestertia, quæ ipsi debitori numerata fuerint à Nerio argentario, quæ de Nerii mensa sumpta sint, et persoluta, jubente creditore.

Decem. Subaudi, sestertia, quæ libras mille nostratis monetæ conficiunt, *mille francs*.

A Nerio. Nerius hoc in loco nomen est argentarii, *un banquier*, aut fœneratoris, ita loquuntur Latini.

Cicutæ. Vafri fœneratoris, aut tabellionis.

71. *Proteus.* Deus marinus. Virgilius IV. Georg. ver. 388.

Malis alienis. Malis, et auferendi casus, à mala malæ, id est, maxilla, gena. Ridere alienis malis, seu maxillis, est proverbii genus *alienis malis ridere*, est nequiter et neutiquam ex animo ridere. Hoc ipsum confirmat Valerius Flaccus, dum *alieno gaudia vultu*, dixit, pro falsis gaudiis, et veram lætitiam imitantibus,

Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Audire, atque togam jubeo componere, quisquis
Ambitione malâ, aut argenti pallet amore;
Quisquis luxuriâ, tristive superstitione,
Aut alio mentis morbo calet. Huc propius me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est hellebori multo pars maxima avaris;
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Heredes Staberî summam incidêre sepulcro:

scribenti verba dictat, quibus tibi pecuniam mutuò dat, quam tu nunquam sis redditurus. Atque hic ego unumquemque vestrûm, compositâ togâ quietum et tranquillum sedere velim, seque ad audienda quæ sum dicturus, accingere. Vos enim alloquor, quicumque avaritiâ, ambitione, luxuriâ, superstitione aut alio quovis animi morbo laboratis: huc propius adeste, dum vos omnes insanos esse ostendo, idque sigillatim de unoquoque demonstro. Avari præ cæteris insaniunt, ac helleboro uberiore sunt curandi: atque haud scio an quicquid usquam ejus herbæ nascitur in Anticyra, jure ac merito sit illis tribuendum. Staberii heredes inscripserunt in ejus tumulo,

76. *Dictantis.* Dictat creditor, cùm voce præit debitori scribenti in argentarii libro, ac tabulis, quam summam acceperit à creditore. Vel, cùm dictat argentario nomen suum, ut perscribat illud in codice suo, cum nomine debitoris.

Rescribere. Est hoc in loco, delere quod erat in libro et in tabulis argentarii scriptum; atque adeo pecuniam reddere, nomen suum expungere et inducere. Sic *retexere*, est quod erat textum dissuere ac dissolvere. Perillus est creditor, Damasippus debitor: Nerius et cicuta, ille argentarius, hic jurisconsultus, aut actuarius ac pragmaticus.

77. *Togam componere.* Qui attentè audiunt solent vestes colligere, iis se involvere, etc.

79. *Superstitione.* Est superstitio, falsus numinis cultus, cùm pro sua voluntate, non pro Dei arbitrio, Deum aliquis colit, seu plus justo quid faciat, seu minus. In eo summa religionis est, ut sciamus quo se coli modo Deus velit. Tristem vocat superstitionem, quia ut plurimum oritur illa ex immodico et falso Dei timore.

82. *Hellebori.* Helleborum, herba purgandæ insaniæ idonea, *de l'ellebore.* Frequens et optimæ nautæ nascebatur in insula Græcia Anticyra. Quocirca in illam insulam vulgò stulti amandabantur.

84. *Summam.* Relictæ à Staberio pecuniæ summam, et quantum ex illa singuli accepissent; id jusserat Staberius quo testatum posteris relinqueret quàm dives ipse obiisset.

Nì sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arrì;
Frumenti quantùm metit Africa. Sive ego pravè,
Seu rectè, hoc volui; ne sis patruus mihi. Credo
Hoc Staberì prudentem animum vidisse. Quid ergo
Sensit, quum summam patrimonî insculpere saxo
Heredes voluit? Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, et cavit nihil acriùs; ut si
Fortè minùs locuples uno quadrante periret,
Ipse videretur sibi nequior. Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille

quantum ille reliquisset pecuniam, et quam singuli partem accepissent. Sin facere id omitterent, illos eâ pœnâ multari Staberius voluit, ut spectaculum populo darent ducentorum gladiatorum inter se depugnantium; item eidem populo præberent convivium, Arrii arbitratu instruendum; denique tantam frumenti vim publicè largirentur, quanta colligitur ex Africa universa. Sive hoc rectè ac sapienter imperavi, sive secus, inquiebat ille, omnes æqui boni consulant; nemo me, tanquam severus, et gravis patruus objurget. Hanc puto fuisse Staberii mentem, viri utique cordati..... Quid, ô Stertini, venisse in mentem Staberio dicis, quid illi consilii fuisse putas, cur summam opum suarum notari juberet à suis heredibus in marmore sui sepulcri? Dicam, Damasippe. Videlicet paupertatem ille, dum vixit, ingentis vitii et opprobrii loco duxit, adeo ut nihil diligentiùs fugerit, seque hominem improbum, ac nihili fore judicaret, si vel quartâ unius assis parte, pauperior, quàm vixerat, moreretur. Denique hoc sibi planè persuaserat, virtutem, famam,

86. *Paria.* Par gladiatorum, duo sunt gladiatores inter se compositi et commissi. Centum paria, *cent couples, cent paires de gladiateurs.*

Damnati. Hâc utebantur vulgò formulâ : *Heres damnatus esto dare, etc.* Atque ita sanctissimè ac firmissimè obligati heredes censebantur ad faciendum, id quod testamento cavebatur.

Arrî. Arrius, homo prodigus et munificus, qui proinde sumptus magnos in illud epulum facturus erat, si ejus arbitrio permitteretur.

88. *Patruus.* Patrui ferè sunt asperiores in nepotes suos et severiores ipsis patribus. Eam ob rem patruus apud Latinos usurpatur pro censore et objurgatore.

89. *Vidisse.* Videre Latini dicunt, pro consulere, providere, constituere.

Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam, et rex,
Et quidquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnæ laudi fore. Quid simile isti
Græcus Aristippus, qui servos projicere aurum
In media jussit Libya, quia tardiùs irent
Propter onus segnes? Uter est insanior horum?
Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Si quis emat citharas, emtas comportet in unum,
Nec studio citharæ, nec Musæ deditus ulli;
Si scalpra et formas, non sutor; nautica vela,

gloriam, divina et humana omnia obtemperare ac servire divitiis, quas qui in congestas haberet, hunc verè nobilem esse, virum fortem ac strenuum, justum, sapientem, regem quoque, et quicquid demum libuerit. Speravit igitur futurum ut opum suarum commemoratio in tumuli saxum incisa, plurimum ipsi apud posteros laudis conciliaret, tanquam illustre documentum frugalitatis, parcimoniæ, cæterarumque virtutum quibus illas opes comparasset. At quàm Saberio dissimilis fuit Aristippus homo Græcus? qui dum per Africam iter faceret cum servis onustis auro, eosque propterea lentiùs incedere cerneret, abjicere sarcinam quantumvis pretiosam jussit. Uter verò amborum insanit vehementiùs. Sane, ad dirimendam controversiam idoneum non est exemplum, quod similem controversiam parit. Frustra igitur profers Aristippi factum, quod non minùs insanum fuit, quàm quod fecit Staberius. Utar igitur exemplis apertioribus: age, quid de illis censeres, qui musicæ omnis imperitu, neque ludere fidibus amans, citharas tamen emeret, ac domi suæ congereret? qui artis sutoriæ ignarus, scalpra et formas compararet? qui vela et supellectilem nauticam, abhorrens à mercatura

98. *Hoc.* Si opes suas palam profiteretur: si testatas et incisas in sepulchri marmore relinqueret.

100. *Aristippus.* Philosophus auditor Socratis, natus Cyrene, in Libya, quam urbem quia Græci condiderant, Græcus Aristippus hic dicitur; vel quia docuit in Græcia, in quam cùm è patria proficisceretur discendi causâ, jussit servos aurum projicere, ut expeditiores ad capessendum iter essent.

105. *Musæ.* Hoc nomen de Musica pariter et quâlibet scientiâ, præsertim verò de poëtica dicitur; et vice versâ opus musicum pro litterario quolibet opere, præsertim poëtico, usurpatur.

106. *Scalpra.* Cultri sunt sutorii, quibus corium scinditur, *des tranchets.*

Formas. Ligneas formas, quibus cerdones calceos faciendos applicant; et inducunt, *des formes.*

Aversus mercaturis; delirus, et amens
Undique dicatur meritò: qui discrepat istis,
Qui nummos, aurumque recondit, nescius uti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum?
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet, longo cum fuste, neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris:
Si positis intus Chii, veterisque Falerni
Mille cadis, nihil est, tercentum millibus; acre
Potet acetum: age, si et stramentis incubet, unde-
octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum, ac tinearum epulæ, putrèscat in arca,
Nimirum insanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.

facienda et navigatione? profectò insanus omni ex parte meritò censeretur. Nonne istorum similis est, qui pecuniam congerit, quâ uti nesciat, quam, veluti rem sacram, attingere non audeat? Si quispiam prope ingentem tritici cumulum pervigil accubet grandi baculo armatus, ac licèt illius tritici dominus, licèt fame pressus, non ausit inde granum vel unum detrahere; sed per sordidam parcimoniam, leguminibus malè conditis ad victum utatur: si domi habens Chii aut Falerni vini mille dolia, parum est, trecenta doliorum millia, tamen acetum libat: his adde, si septuaginta novem annos natus cubet in palea et stramine, dum in ejus arca putrescunt stragulæ vestes, atque à tineis blattisque roduntur: nonne insanus jure dicetur, quamvis pauci fortasse sic illum vocitent, eò quòd pars hominum multò maxima eodem morbo tenetur; Senex infortunate ac Superis invise, ergone, dum times ne his bonis utendo inops fias, non

110. *Compositis.* Bonis congestis, nummis conditis; in unum comportatis.

114. *Amaris.* Non oleo mitigatis: vel, agrestibus, et sylvestribus oleribus.

117. *Undeoctogenta.* Unica vox est, quam metri causâ divisit: significat septuaginta novem: quasi dicas, uno dempto de octoginta. Sic dicitur undevigenti, duodevigenti, etc. pro decem et octo, novemdecim.

Stramentis. Storeis, paleâ textili, *natte, paillasse.*

118. *Stragula vestis.* Quæ lecto insternitur: *une couverture, une courtepointe*, à sternendo dicta.

119. *Blattarum.* Blattæ et tineæ, vermiculi sunt à quibus vestes arroduntur.

Filius, aut etiam hæc libertus ut ebibat heres,
Dis inimice senex, custodis, ne tibi desit?
Quantulum enim summæ curtabit quisque dierum,
Ungere si caules oleo meliore, caputque
Cœperis impexa fœdum porrigine? Quare,
Si quidvis satis est, perjuras, surripis, aufers
Undique? Tun' sanus? populum si cædere saxis
Incipias, servosve tuo quos ære pararis;
Insanum te omnes pueri clamentque puellæ.
Quum laqueo uxorem interimis, matremque veneno
Incolumi capite es? Quid enim? Neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro, ut demens genitricem occidit Orestes.

vides te ea servare, ut à filio, vel liberto, herede tuo, absumantur? Atenim quàm exigua ex hoc acervo pars, singulis diebus detracta, satis erit ut oleum paulò melioris notæ tuis caulibus instilles, aut affundas capiti, quod impexum est ac furfuribus turpiter scatens? Si natura parvo, ut dicis, contenta est, et quidlibet ad vivendum sufficit, cur opes perjuriis, rapinis, furtis; augere properas? Satin' compos mentis fores, si populum prætereuntem, aut etiam mancipia pretio à te comparata lapidibus appeteres, ac fugere cogeres? Ipsi pueri ac puellæ dementem te profectò, id si faceres, prædicarent. Quid? cùm doti uxoris, hereditati matris, inhias, hanc veneno, illam laqueo enecas, sanusne es? Quid enim excusationis afferre potes? an quia hæc immania scelera in urbe Argo non admittis; aut quia eodem gladio non uteris, quo amens Orestes in matrem sæviit; idcirco te negabis insanire? an

126. *Porrigine.* Scabies quædam est, cùm albicantes squammulæ, quos furfures vocamus, innascuntur capiti, ex eoque excutiuntur, *une tête crasseuse et mal-propre.*

133. *Nec ferro*, etc. Duo proponit ille avarus, quibus amentiam excuset: unum, se hæc scelera non admittere Argis, in urbe parricidiis infami, sed Romæ; alterum, se gladio abstinere. Respondet Stertinius, Orestem, antequam gladio uteretur, insanum fuisse: nec in eo positam esse insaniam, si quis ferrum stringat necne, modò vitiosâ cupiditate sit implicatus. Deinde respondet Romæ, itidem ut Argis, insanos esse; quod opinor, docet exemplo Opimii, quem Romanum hominem fuisse, ipsum nomen satis indicat.

Orestes. Filius Agamemnonis fuit et Clytemnestræ: quæ virum suum Agamemnonem, è bello Trojano reversum inter-

An tu reris eum occisâ insanisse parente?
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quàm
In matris jugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin ex quo est habitus malè tutæ mentis Orestes,
Nil sanè fecit, quod tu reprehendere possis:
Non Pyladen ferro violare aususve sororem est
Electram: tantùm maledicit utrique, vocando
Hanc, Furiam, hunc, aliud, jussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Qui Veientanum festis potare diebus
Campanâ solitus trullâ, vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus; ut heres

putas Orestem dementiâ non ante laborasse, quàm parenti violentas manus afferret? Ille verò à Furiis præceps et vecors agebatur, priùs etiam quàm ferrum et manus impias materno sanguine macularet: imò ex quo palàm erumpere furor ejus cœpit, nihil commisit admodum vituperabile; non Pyladem amicum, non sororem Electram ferro læsit; maledictis utrumque tantummodo insectatur, hanc Furiam vocans, illum alio nomine et convicio, quod ira furorque suggessit. Opimius ille, inter immensas opes domi conditas inops, qui patera fictili diebus profestis vinum fugiens et corruptum; festis autem, Veientanum bibere consueverat, fortè lethargo gravi correptus fuit, ac prope depositus; ita ut heredes gaudio gestientes, jam ejus arcas ambirent, et claves exquirerent. At

ficit, adjuvante Ægistho adultero: quæque Orestem similiter è medio sustulisset, nisi ejus soror Electra ipsum clam ad Strophium, regem Phocensium, misisset. Orestes cùm adolevisset domum rediit, ubi non modò Ægisthum, sed ipsam quoque matrem interemit. Variis exinde periculis jactatus, in illis Pyladen, filium Strophii, socium fidelissimum habuit: tantoque inter se devincti erant amore, ut in veræ amicitiæ specimen exemplumque vulgò proponantur.

141. *Splendida bilis.* Bilis flava, quam vitream Persius appellat: est enim altera, quam atram vocant medici: hæc melancholiam excitat; illa iram et furorem: hæc in splene recipitur, ut frigidior, sicciorque; illa circa cor accenditur, quæ caloris officina.

142. *Pauper argenti.* Quo scilicet non utitur.

143. *Veientanum.* Vinum vile, prope Veios, urbem Etruriæ, nunc *Issola*, dictam, natum.

144. *Trullâ.* Vilis est patera, ex argilla.

Jam circum loculos et claves, lætus ovansque
Curreret. Hunc medicus multùm celer, atque fidelis
Excitat hoc pacto : mensam poni jubet, atque
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum. Hominem sic erigit : Addit et illud
Nî tua custodis, avidus jam jam auferet heres.
Men' vivo? Ut vivas igitur, vigila : hoc age. Quid vis?
Deficient inopem venæ te, nî cibus, atque
Ingens accedit stomacho fultura ruenti,
Tu cessas? agedum : sume hoc ptisanarium oryzæ.
Quanti emtum? Parvo. Quanti ergo? Octussibus. Eheu!
Quid refert, morbo, an furtis pereàm, anne rapinis?
Quisnam igitur sanus? Qui non stultus. Quid avarus?

medicus vir singulari fide, opem ferre properans, uti res poscebat, hac arte hominem expergefecit. Admoveri mensam ejus lecto jubet, in eam saccos nummis refertos effundi; tum adesse aliquos, qui pecuniam numerarent. Ita Opimium cùm excitavisset, insuper his verbis compellavit; nisi tuas fortunas tutaris, brevi eas heredes tui compilabunt. Vivente me ac superstiste? exclamat Opimius. Somnum igitur excute, ut vitam serves; in id unum incumbe. Cui æger: Jube quidlibet, morem geram. Tum Medicus; sanguis et vires te destituent, nisi corpus reficias cibo, qui debilitatum stomachum corroboret. Quid cunctaris? euge, hanc pultem ex oryza confectam cape. Quanti autem est emta! exiguo pretio : dictum, quanti? octo duntaxat assibus. Me miserum! quid interest, utrùm opes meæ morbo et remediorum impensis pereant, an furtis et rapinis heredum auferantur? Quis igitur, Stertini, mentis est compos? Qui stultitiá caret. De avaris quid censeres, dixisti : stultos illos et insanos esse affirmas. Age verò, si quis avaritiá non laborat, an continuò insaniá caret?

155. *Ptisaniarium oryzæ.* Pultem, ex oryza, *du riz*, confectam; πτισάνη, *ptisana*, propriè est aqua, in qua incoctum et maceratum est hordeum vel triticum decorticatum, *de l'orge mondé,* cui maxima vis inest ad restaurandas vires, fit à πτίσσω, *purgo, decortico, tundo.* Interdum conficitur ptisana, sed ptisanarium, ex aliis frugibus decorcitatis, et ab iis nomen sumit : ita hoc in loco ptisanarium oryzæ, dicitur.

156. *Octussibus.* Pro *Octo assibus.*

Stultus, et insanus. Quid? si quis non sit avarus,
Continuò sanus? Minimè. Cur, Stoïce? Dicam.
Non est cardiacus, Craterum dixisse putato,
Hic æger: recte est igitur, surgetque? Negabit:
Quod latus, aut renes morbo tententur acuto.
Non est perjurus, neque sordidus. Immolet æquis
Hic porcum Laribus. Verùm ambitiosus, et audax.
Naviget Anticyram. Quid enim differt, barathrone
Dones quidquid habes, an nunquam utare paratis?

nequaquam. Quid ita, Stoïcorum clarissime? Audies. Finge Craterum sic loqui: ægrotus hic non est cardiacus: tu si diceres, bene habet, brevi surget è lectulo; Craterus tibi non assentietur, quia nimirum idem ille ægrotus gravi lateris dolore aut renum, laborat. Ad hunc modum, aliquis perjurus, aut avarus non est; patiar eum hac insaniæ et morbi parte liberatum gratias agere Diis Laribus propitiis, et ipsis porcum sacrificare: at idem vexatur audaciâ, et ambitione; illum in Anticyram amandabo, ubi elleboro dementiam curet. Quid enim discrepat, hoc an illo insaniæ genere labores? utrum opes in sumptus immodicos, tanquam in voraginem, profundas; an iis quas comparasti; perpetuò abstineas? Servius Oppidius, civis Canusius erat, homo locuples et in avita re lautus. Is duobus filiis duos fundos divi-

161. *Cardiacus.* Morbus iste ponitur à Galeno; Lib. I. in ore ventriculi. Καρδία enim significat non solum cor, sed ostium stomachi, stomachum ipsum. Quo morbo qui laborant cardiaci vocantur. Deficiunt illi sæpe animo, et sudore diffluunt.

Craterum. Medicum eâ tempestate celeberrimum.

164. *Immolet porcum Laribus.* Putabantur homines ab insania liberari Larium beneficio. Erant illi domestici Dii, et familiæ præsides; quibus proinde accepta ferebantur commoda omnia, vel incommoda, quæ familiæ obtingebant. Adde quod ipsorum mater Dea Mania erat, quæ vox Græcè stultitiam sonat. Hanc igitur Deam ut placarent, opem Larium ejus filiorum implorabant non solùm amentes, ut dementiâ solverentur; sed etiam mentis compotes, ut ne stultitiâ laborarent. Porcus immolari solebat Laribus, animal alendæ familiæ natum.

165. *Audax.* Est, hoc in loco, gloriosus, et, ut loquuntur comici, thraso: qui ut splendidus magnificusque videatur, omnia profundere non dubitat.

167. *Barathrone dones.* Barathrum Athenis: ut Latomiæ Syracusis, locus fuit teter ac profundus, in quem noxii di-

Servius Oppidius Canusî duo prædia, dives
Antiquo censu, natis divisse duobus
Fertur; et hæc moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum: Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare, et *ludere* vidi;
Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem:
Extimui ne vos ageret vesania discors,
Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.
Quare per divos oratus uterque Penates,
Tu cave ne minuas; tu, ne majus facias id
Quod satis esse putat pater, et Natura coërcet.

sisse narratur, eosque, cùm jam morti proximus foret, ad suum cubile vocatos sic allocutus fuisse: Ubi te, Aule, nuces et talos negligenter intra togæ sinus gestare, largiri aliis, ludo disperdere conspexi; te verò, Tiberi, eosdem magni facere, sæpius numerum illorum inire, nec sine multa sollicitudine in cavis occultare vidi, veritus sum ne dissimili uterque modo insaniretis, neve tu, Aule, Nomentanum; tu verò, Tiberi, Cicutam imitareris. Itaque vos ambo per Deos Penates oro atque obstestor, te quidem; ut ne rem familiarem imminuas ac deteras; te verò, ut eamdem ne augere cures, aut ea bona amplificare, quæ ad vitam liberaliter et honestè vivendam satis esse pater existimavit, et quorum cupiditatem atque usum natura certis legibus astringit. Præterea velim hoc mihi jurati promittatis, fore ut nunquam vos insana gloriæ cupido illecebris suis deliniat. Itaque uter vestrûm, Ædilis vel

mittebantur: pro ambitione omnia insanis largitionibus disperdente ac profundente, hìc usurpatur ab Horatio; aliàs pro ganeonum ventre.

168. *Canusî.* Canusium urbs Apuliæ, *Canosa*, in Italia.

Divisse. Pro, divisisse.

171. *Talos.* Propriè sunt *des osselets*: tesseræ verò *des dez.*

Nuces. Iis vulgò lusitabant pueri.

172. *Sinu laxo.* Id laxo sinu gestare dicimur, quod non valde curamus retinere: quod ne amittatur excidatve, non laboramus.

175. *Nomentanum.* Helluonem et prodigum.

Cicutam. Avarum et fœneratorem.

176. *Penates.* Iidem qui Lares, de quibus paulò antè mentionem feci. Sic appellantur à penu.

178. *Coërcet.* Quasi constringit, nec redundare ac superfluere permittit: parvo contenta, cum parvo egeat.

Præterea ne vos titillet gloria, jure-
jurando obstringam ambo: uter Ædilis, fueritve
Vestrûm Pretor, is intestabilis, et sacer esto.
In cicere, atque fabâ bona tu perdasque lupinis,
Latus ut in Circo spatiere, et aheneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
Astuta ingennum vulpes imitata leonem?

Prætor fuerit, eum ergo detestabilem, omnique vel condendi testamenti, vel dicendi testimonii jure spoliatum esse volo. Tu ne patrimonium dilapides largitionibus, tu ne illud cicere, fabâ, et lupinis in vulgus spargendis malè perdas, ut aliquando cum lata et ingenti toga per circum ambules, populo decedente, et viam honoris causâ laxante? aut, ut statua ærea tibi publicè ponatur, postquam donis istis ac sumptibus agros et pecuniam à patre tibi relictam amiseris: vel demum, ut iisdem, quibus Agrippa, plausibus excipiaris à populo, Æsopi vulpeculæ non absimilis, quæ vocem leonis et habitum stolidè voluit imitari. Cur, ô Agamemnon, prohibes Ajacem sepeliri? Cur? quia Rex sum. Nihil præterea interrogo, præsertim cùm ego ignobilis et unus è populo sim. Præterea æquitati et rationi consentaneum est quod impero: et si quis peccare me

180. *Ædilis.* Magistratus erat, cui ædium privatarum et publicarum, ludorum, etc. cura demandata.

181. *Prœtor.* Lib. I. Statyr. V. v. 34. *Prœtore.*

Intestabilis. Qui jus non habet condendi testamenti, vel dicendi testimonii, aut testes in sua re adhibendi, ob improbitatem, insaniam, etc.

Sacer. Interdum, ut hoc in loco, idem valet atque execrandus, diris devotus. Sumptum à victimis, quæ cùm adhibebantur ad piacularia sacrificia, et Diis inferorum sacrabantur, tanquam funestæ censebantur, et populi totius criminibus oneratæ.

182. *Cicere.* Cicer, legumen est è pisorum genere, Lupinus item inter legumina recensetur. Ejusmodi edulia distribuebant viritim ac largiebantur populo candidati, ut ejus suffragia captarent: necnon Ædiles in ludis edendis, præsertim Floralibus.

183. *Latus.* Torrentius exponit hanc vocem de fastu et ostentatione hominis per loca publica incedentis: quemadmodum ingredi thrasones solent, erecti et ansati.

186. *Ingenuum.* Nobilem, generosum: ab omni fraude ac dolo disjunctum.

Vulpes. Quæ, ut est, opinor, apud Æsopum, vocem leonis pellemve assimulans, pro leone se gessit.

Ne quis humasse velit Ajacèm, Atrida, vetas cur?
Rex sum. Nil ultra quæro plebeius. Et æquam
Rem imperito; ac, si cui videor non justus, inulto
Dicere, quæ sentit, permitto. Maxime regum,
Dì tibi dent captâ classem reducere Trojâ!
Ergo consulere, et mox respondere licebit?
Consule. Cur Ajax, heros ab Achille secundus,
Putrescit, toties servatis clarus Achivis?
Gaudeat ut populus Priami, Priamusque inhumato,
Per quem tot juvenes patrio caruere sepulcro?
Mille ovium insanus morti dedit, inclytum Ulyssem,
Et Menelaum unà mecum se occidere clamans.

contra justitiam arbitratur, fas illi esse volo impune quod censet eloqui. O regum potentissime, faxint Superi ut Trojam expugnes, classemque incolumem in Patria reducas. Hanc igitur das mihi facultatem, ut interrogare te, ac vicissim respondere tibi possim? Do. Quare obsecro, Ajax, vir fortissimus, et uno Achille inferior, qui toties Græcos à gravissimis belli periculis tutos præstitit, insepultus jacet? Quare Priamum ac Trojanos lætari ac frui pateris ejus heroïs ignominiâ, qui tam multis juvenibus Trojanis vitam et tumuli honorem abstulit? Quia in furorem versus, oves mille Ulyssem mactavit, clamitans Ulyssem, Menelaüm, et me unà cum illis à se interfici. At tu, ô Rex, cùm loco vitulæ, filiam ipse tuam Aulide collocas ante aram, et molâ salsâ caput puellæ perfundis, facisne quod virum probum et sanum deceat? Quidni?

187. *Ne quis*, etc. Ambitiosos aggreditur et carpit: inducitque Græcum militem, aut quemvis è populo, expostulantem cum Agamemnone, quòd Ajacem insepultum jacere patiatur.

Atrida. O Agamemnon, Atrei fili.

192. *Consulere.* Significat hoc in loco, reverenter, et modestè interrogare. Sumptum à jurisconsultis, quos qui adibant consilii causâ, petebant interrogandi facultatem his verbis *Licet consulere?* Quibus jurisconsulti *Consule*, respondebant.

197. *Mille ovium*, etc. Ajax Achillis demortui petebat arma, petebat et Ulysses, eaque est consecutus, ut Ovid. narrat XIII. Metam. Repulsam adeo tulit acerbè Ajax, ut in furorem amentiamque inciderit, ovesque multas interfecerit, clamitans se Agamemnonem et Menelaüm ejus fratrem, ipsumque Ulyssem occidere.

Tu quum pro vitulâ statuis dulcem Aulide natam
Ante aras, spargisque molâ caput, improbe, salsâ,
Rectum animi servas? Quorsum? Insanus quid enim Ajax
Fecit, quum stravit ferro pecus? abstinuit vim
Uxore, et nato, mala multa precatus Atridis.
Non ille aut Teucrum, aut ipsum violavit Ulyssem.
Verùm ego, ut hærentes adverso littore naves
Eriperem, prudens placavi sanguine Divos.
Nempe tuo, furiose. Meo, sed non furiosus.
Qui species alias veris, scelerisque, tumultu
Permistas capiet, commotus habebitur; atque,

Certè Ajax furore correptus, et si mutas interfecit pecudes, filii tamen aut uxoris cruore dextram non infecit: diras quidem Agamemnoni et Menelao imprecatus est; attamen à Teucro et Ulysse ipso vim et ferrum abstinuit. Ego verò, ut Græcorum classi, quæ infesto in littore detenta consistebat, navigandi facultatem à Superis et secundos ventos impetrarem, humanâ hostiâ et sanguine sapienter ac piè litavi. At tuo ipsius sanguine, quod sine insigni furore facere non potuisti. Equidem meo sanguine, fateor, sed tamen furoris expers. Atqui nemo mentis compotem dixerit eum, qui scelerati animi concitatione ac perturbatione falsas opiniones, atque à veris alienas prorsus rerum ideas, fingit sibi: ac parum referet, utrùm ille per insanum errorem animi peccet, an per iracundiam. Contendis Ajacem insanire, quia oves nihil

199. *Tu quum*, etc. Cùm Paris Helenam rapuisset, Græci omnes de illa reposcenda, et bello Trojanis inferendo conjurarunt eorum classi condictus, quò tota conveniret, in Bœotia portus fuit, Aulis dictus. Ibi adversis ventis retenta hærebat. Agamemnon, ut secundum ventum exorare posset ab infensa Diana, sacrum enim ille cervam imprudens interfecerat, filiam suam Iphigeniam, jubente oraculo, Dianæ immolare constituit. Verùm cùm jam altari admoveretur, cervam in ejus locum supposuit Diana, et Iphigeniam in Tauricam regionem transtulit, suoque templo sacerdotem præfecit. Virgil. II. Æn. versu 116. et IV. 426.

200. *Mola salsa.* Mola, inquit Festus, est far tostum et sale sparsum, quod eo molito hostiæ aspergantur.

201. *Rectum animi.* Subàudi statum. An retines animi sanitatem et constantiam?

208. *Alias veris.* Alias à veris: à veris discrepantes, falsas.

Stultitiâne erret, nihilum distabit, an irâ.
Ajax immeritos dum occidit, desipit, agnos:
Quum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo? et purum est vitio, tibi quum tumidum est cor?
Si quis lecticâ nitidam gestare amet agnam,
Huic vestem, ut natæ, paret, ancillas paret, aurum;
Pusam, aut pusillam appellet; fortique marito
Destinet uxorem; interdicto huic omne adimat jus
Prætor, et ad sanos abeat tutela propinquos:
Quid? si quis natam pro muta devovet agna,
Integer est animi? ne dixeris. Ergo ubi prava
Stultitia, hîc summa est insania. Qui sceleratus,

tale meritas interficit; tu, cùm filiam certo consilio, ut ambitioni tuæ servias, vanisque titulis fruaris, per immane scelus jugulas, an sapiens sanusque es? aut integrum vitii pectus tibi est, dum superbia æstuat ac intumescit? Si quis in lectica vectare agnam amet, si stolidæ pecudi tanquam filiæ suæ, vestes, ancillas, gemmas, monilia, et mundum muliebrem adornet; si filiolam aut amiculam blandiendo, ut puellulas solemus, nominet; si etiam collocare illam in matrimonium meditetur; non dubium est quin Prætor huic homini, tanquam insano, adempturus sit rei familiaris administrationem, atque hanc ipsius propinquis demandaturus. Quid? si quis filiam aris destinat pro agna et pecude, hunc sapere putabimus? Id utique, pro tua sapientia, non dices. Ubicumque igitur inerit error, cupiditas mala, scelus, ibi quoque inesse insaniam rectè affirmabimus: quisquis erit obligatus scelere, idem furore correptus meritò censebitur: demum quisquis servit famæ, quâ nihil est pulchrius in speciem, nihil reipsa inconstantius et magis fragile; hic veluti attonitus et sideratus, ac Bellonæ, quæ cædes

212. *Ob titulos inanes.* Ut rex regum dicaris, ut Græcorum exercitûs ductor princepsque sis.

216. *Pusam, pusillam.* Pusus est, puer, filiolus: pusilla, puellula. Legit Lambinus, *Pupam aut pupillam*, est autem pupa, idem quod puella: pupus, puer.

217. *Interdicto.* Interdictum, est Prætoris edictum quodlibet, sive jubeat quidpiam, sive prohibeat.

218. *Tutela.* Est vis ac potestas in capite libero jure civili data, ad tuendum eum, qui se per ætatem defendere non potest. Hinc *tutores* dicti, qui rebus et fortunis impuberum consulerent. Qui verò puberibus, qui prodigis, qui mente captis, ac furiosis aliisque,

Et furiosus erit. Cepit quem vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc, age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum;
Vincet enim stultos ratio insanire nepotes.
Hic simul accepit patrimonî mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tusci turba impia vici,
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum,

et strages anhelat, œstro percitus de statu mentis dejicitur. Veniamus jam ad libidinosos, et Nomentani similes : illos excutiamus. Certè quin hi quoque insaniant dubitare nemo potest, qui modo rationis vocem audire velit. Illum aspice, ex isto grege, adolescentem dissolutum, qui ubi mille talentorum patrimonium sibi relictum videt, statim denuntiat palam, ut postridie manè ad se veniant piscatores, pomarii, aucupes, unguentarii, cæterique id genus homines improbi, qui Tuscum incolunt vicum; scurræ, fartores, qui officinas in Velabro, et in macello suas habent. Quid deinde? conveniunt illi domum adolescentis gregatim; primus omnium leno sic incipit ceterorum nomine :

quod res suas gerere non possent, administratores dabantur ex lege, hi propriè *curatores* dicebantur, atque eorum munus, *cura* seu *curatio*. Itaque Horatius hîc tutelam pro curatione posuit.

222. *Vitrea.* Vitro fragilior.

223. *Circumtonuit.* Attonitum reddit, *lui a fait tourner l'esprit.* Qui fulmine aut tonitru percelluntur, illi stupefiunt, ac de statu mentis ut plurimùm dejiciuntur.

Bellona. Dea belli, Martis soror; quæ furiosos efficit mortales, et cædis avidos. Ejus sacerdotes districtis gladiis cursitantes, proprio se sanguine, ut furiosi, cruentabant. Lucr. Lib. I.

225. *Nepotes.* Flagitiosos, prodigos, etc.

226. *Mille talenta.* Talentum Atticum respondet libris Francicis bis mille quadringentis.

227. *Pomarius.* Qui poma, qui fructus vendit, *un fruitier.*

228. *Unguentarius.* Quem Galli vocant, *un baigneur, un parfumeur.*

Turba Tusci vici. Erat Romæ vicus quidam in parte Velabri, Tuscus, ab Etruscis olim in ea regione urbis morantibus dictus : *La rue Toscane.* Ibi hominum improbissimorum fæx degebat.

229. *Scurris.* Scurra dicitur qui jocis illiberalibus risum captat, *un bouffon.*

Fartor. Qui farcimina et tuceta conficit, *un vendeur d'andouilles, de saucisses; un charcutier.*

Manè domum veniant. Quid tum? Venere frequentes.
Verba facit leno: Quidquid mihi, quidquid et horum
Cuique domi est, id crede tuum; et vel nunc pete, vel cras.
Accipe, quid contrà juvenis responderit æquus.
In nive Lucanâ dormis ocreatus, ut aprum
Cœnem ego; tu pisces hyberno ex æquore *vellis*;
Segnis ego, indignus qui tantum possideam. Aufer,
Sume tibi decies; tibi tantumdem; tibi triplex.
Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,

Quodcumque domi meæ est, quodcumque isti pariter domi suæ habent, id omne ad te pertinere puta, idque vel nunc, vel cras, si libuerit, accerse. Audi quid juvenis munificus benigne responderit: Tu inter Lucaniæ nives etiam cum ocreis pernoctas ut capias aprum quo vescar; tu scrutaris mare, ut ex eo per hyemem pisces magno labore extrahas; ego interim segnis domi meæ sum et otiosus, dum te meá causá defatigas: ne indignus sim, qui tam amplas possideam opes, nisi partem earum aliquam tibi largiar; hem, cape decies centena sestertiorum millia: tu totidem accipe, tu triplum sume. Æsopi filius præclarum unionem à Metella auricula dereptum, aceto adhibito liquavit, nimirum ut haustu uno integra decies centena millia sestertiûm

Velabro. Velabrum, *le Velabre*, planities fuit Romæ inter Capitolium, Palatinum et Aventinum, in quam olim effusæ Tiberis aquæ stagnabant instar paludis. Quibus exsiccatis, et extructis ibi ædificiis, nomen tamen loco mansit. Velabrum enim dictum est, quia vehebat naviculas lacunosa palus, et, ut ait Propertius: *Nauta per urbanas velificabat aquas.*

Macellum. Locus ubi venduntur opsonia, *boucherie, marché.*

231. *Leno.* Mancipiorum venditor, *un vendeur d'esclaves.*

235. *Vellis.* Legit Lambinus, *verris*, quam scripturam in quatuor libris calamo exaratis à se inventam narrat.

237. *Decies.* Subaudi centena sestertium millia: libras Gallicas centum millia.

238. *Æsopi.* Actoris nobilissimi, quem Cicero pluribus locis prædicat. Ejus filius Clodius Æsopus, de quo hîc agitur, patri cætera dissimillimus fuit, hac una in re illi par ac prope superior, quod in sumptibus et luxu modum nullum teneret. Cùm ipsi Metella quædam unionem dedisset centum millibus Francorum

Scilicet ut decies solidum exsorberet, aceto
Diluit insignem baccam : qui sanior ac si
Illud idem in rapidum flumen, jaceretve cloacam?
Quincti progenies Arrî, par nobile fratrum,
Nequitiâ et nugis, pravorum et amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coëmtas,
Quorsum abeant? sani? cretâ, an carbone notandi?
Ædificare casas, plaustello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia verset.
Si puerilius his ratio esse evincet amare:

sorberet : quonam modo saniorem fuisse putabimus, quàm si eamdem summum in profluentem, aut in cloacam projecisset? Similiter, an duos Quincti Arrii filios bonæ ac sanæ mentis compotes fuisse putabimus, ambo famosos ad libidinem, ob puerilia studia, et rerum pravarum amorem : qui adeo intemperantis erant ac dementis gulæ, ut luscinias ingenti emptas pretio apponi sibi juberent : utrùm candido lapillo, ac non potius nigro eorum amentiam luxumque notabimus? Si quis homo barbatus, et jam ætate provectior delectetur ædificandis è luto casulis, et jungendis exiguo plaustro muribus; si amet par impar ludere, et in oblongo baculo, tanquam in equo, hærere; amentem illum nemo non dixerit. Sin autem jam demonstraverit ratio, inhonestum amorem quiddam esse magis puerile, quàm istæc omnia, neque admodum distare, utrùm,

nummorum constantem, Æsopus cum aceto maceratum solvit et bibit.

239. *Solidum.* Integrum, plenum. Tota decies centena sestertiorum millia. Hæc adverbia Decies, centies, etc. ita construuntur, quasi essent nomina substantiva neutrius generis.

240. *Baccam.* Gemmam. Sic etiam appellantur minores pomo fructus, ut cerasa, corna, oleæ, etc.

241. *Illud idem.* Nempe, decies solidum.

243. *Nequitia.* Ea vox significat inertiam libidinosam, quòd nihil queat, nullique rei apta sit.

Gemellum. Simillimum, germanum.

244. *Impenso.* Subaudi, pretio. Impenso pretio, id est, magno : *impensè* enim significat, vehementer, sedulò, etc. Luscinias autem isti lurcones non idcirco expetebant, quòd sapore sint exquisitiori, quàm aves aliæ; sed quia rariores et cariores.

247. *Par impar.* Ludus est puerilis et notus, *jouer à pair ou non pair.*

Nec quidquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale priùs, ludas opus, an meretricis amore
Solicitus plores: quæro, faciasne quod olim
Mutatus Polemo? ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia; potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri.
Porrigis irato puero quum poma, recusat:

aliquem ludum qualem modò commemoravi, ludas tres duntaxat annos natus, an grandior lacrymeris turpi amore irretitus; si ratio, inquam, hoc tibi ostenderit, quæro num sis idem facturus, quod olim fecit Polemo, cùm se ad meliorem frugem recepit, an depositurus sis amatoriæ illius insaniæ notas, et crepundia, cubital, fasciolas, focalia: quemadmodum ille narratur sibi leniter è capite detraxisse floreas coronas, ubi à magistro, homine temperantiæ singularis, acerbioribus verbis castigatus fuit, cùm se illi fortè vino gravem obtulisset aliquando. Da irato puero poma, respuit; si blandis urgeas vo-

250. *In pulvere*, etc. Ut ludunt pueri, dum casulas ædificant, scrobes effodiunt, etc.

253. *Polemo.* Perditæ luxuriæ Athenis adolescens, inquit Valerius Maximus L. VI. cap. 9. cùm è convivio domum repetens, Xenocratis Philosophi januam patentem vidisset, vino gravis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, refertam turba doctorum hominum scholam ejus intravit. Orta omnium indignatione, Xenocrates, omissis de quibus disserebat, de modestia ac temperantia loqui cœpit. Cujus gravitate sermonis recipiscere coactus Polemo, primùm coronam capiti detractam projecit, paulò post brachium intra pallium reduxit, ad ultimum totam luxuriam exuit, uniusque orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus Philosophus evasit. Peregrinatus est hujus animus in nequitia, non habitavit.

Fasciolas. Fascias appellabant crurum et femorum integumenta, *des bas, des hauts de chausses.*

Cubital. Cubitorum, seu brachiorum ornatus et tegmen, ex auro, serico, etc. *une espece de manches, des volants.*

Focalia. Lintea faucibus et collo circumposita, qualia ferè jam à Gallis, quorum insignis et decantata est in vestibus mutandis levitas, novo et ante annos admodum viginti nato more, usurpantur, et appellantur *des cravates*, Fascias porro et ejusmodi focalia, nisi ægrotarent, non adhibebant Romani: unde ingeniosè Horatius amantium ornamenta vocat *morbi insignia.*

Sume, Catelle; negat: si non des, optat. Amator
Exclusus quì distat? agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arcessitus; et hæret
Invisis foribus? Nec nunc, quum me vocet ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit, revocat: redeam? non, si obsecret. Ecce
Servus, non paulò sapientior: O here, quæ res
Nec modum habet, neque consilium, ratione, modoque
Tractari non vult. In amore hæc sunt mala, bellum,
Pax rursum. Hæc si quis tempestatis prope ritu
Mobilia, et cæca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certâ ratione, modoque.
Quid? quum Picenis excerpens semina pomis,
Gaudes, si cameram percusti fortè, penes te es?

cibus, animule mi, cape: non sumet: si eadem illi non offeras, tunc expetit. Annon isti puero simillimus est amator, cùm deliberat utrùm adeat necne fœminam quæ ipsum expulit: ad quam ultro redditurus erat, si ab ea non revocaretur: anceps subsistit ad invisæ domûs limen, et, Egone, inquit, illuc non ibo, etiam tum, cùm sponte me vocat? an potiùs nuncium illius amicitiæ penitus remittam, et miseræ atque infelici vitæ, finem imponam? Exclusus ab ea fueram, nunc revocor: quid agam? redibo? Non faciam, quamvis oret me atque obtestetur. At videsis servulum hero suo longe sapientiorem. O here, inquit, frustra ratione regere ac certo consilio id velis, in quo nihil est rationi et consilio loci. Laborat his malis amor: nunc jactatur bello, nunc pace perfruitur. Quod si quis istas vices non minus incertas et mutationi obnoxias, quàm turbidi maris tempestates, certis legibus gubernare cogitet, nihilo plus proficiat, quàm si cum ratione stultus esse velit. Age, an mentis es compos, cùm detracta è pomis semina jacularis, et felix, fortunatumque putas omen, si cubiculi laquear illis ferire potuisti? an minor

258. *Catelle.* Vox blandientis, catulus, catellus, *un petit chien, un bichon.*

271. *Picenis.* Ager Picenus in Italia est; pomorum ferax: respicit superiorem Adriatici maris partem, nunc *la marche d'Ancone* appellatur. Semina, *les pepins.*

Feris palato. Illidis et quasi impingis decurtata verba palato resonanti.

Quid? quum balba feris annoso verba palato,
Ædificante casas, quì sanior? adde cruorem
Stultitiæ, atque ignem gladio scrutare. Modò, inquam,
Hellade percussâ, Marius quum præcipitat se,
Cerritus fuit? an commotæ crimine mentis
Absolves hominem, et sceleris damnabis eumdem,
Ex more imponens cognata vocābula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lotis manè senex manibus currebat: et, unum,
Quid tam magnum? addens, unum me surpite morti:
Dìs etenim facile est, orabat; sanus utrisque
Auribus, atque oculis: mentem, nisi litigiosus,

est tua, quàm pueri casulam è luto figentis, insania, cùm, licèt jam senior, balbutiente linguâ, et tremulâ voce, blandiris mulieri, et gratiam ejus captas? Adde huic dementiæ crudelitatem, et gladio, ut aiunt, ignem fode. Marius post Helladem interfectam, è saxo præcipitem se ipse dedit. Hic annon insanus fuerit, quæro: an verò insanum negabis, sed dumtaxat sceleratum illum dices? quo more nunc homines ista distingunt, ac diversis vocabulis nominant; quamvis nomina insani et scelerati sint cognata, et unum idemque significent. Quidam libertinus senex, singulis diebus, primâ luce, obibat urbis compita jejunus, manibus aquâ diligenter ablutis, et hunc in modum Deos precabatur. O Superi, me unum, leve est quod oro, me solum, inquam, à morte vindicate: hoc enim Superis difficile non est. Erat ille senex auribus et oculis sanus, capite et mente non item; ac si dominus eum venalem proposuisset, utique,

275. *Ignem*, etc. Proverbium est Pythagoreum: Μαχαίρα πῦρ μὴ σκαλεύειν, ignem gladio ne fodito. *Ne fouillez point dans le feu avec l'épée.*

276. *Hellade.* Hellas ista, Marii cujusdam eâ tempestate noti, amica, cum illo fortè rixans, ab eo est verberata, sive etiam interfecta. Marius, ubi se collegit, tanto dolore affectus est, ut se præcipitem è saxo dederit.

277. *Cerritus.* Quasi cereritus, id est, à Cerere percussus: hæc enim immittere insaniam hominibus credebatur.

Compita. In compitis enim visebantur Larium statuæ.

281. *Lotis manibus.* Ut eas videlicet puras ad Superos tenderet. Pertinebat hoc ad religionem.

282. *Surpite.* Pro, surripite. Sic *surpuit*, pro, surripuit, etc.

Exciperet dominus, quum venderet. Hoc quoque vulgus
Chrysippus ponit ſœcundâ in gente Meneni.
Jupiter, ingentes qui das, adimisque *dolores*,
Mater ait pueri menses jam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Manè die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi stabit. Casus, medicusve levarit
Ægrum ex præcipiti, mater delira necabit
In gelidâ ſixum ripâ, ſebrimque reducet.
Quone malo mentem concussâ? timore Deorum.

nisi lites amaret, admonere emptorem debuisset, illum cetero corpore præterquam cerebro, valere. Ejusmodi superstitiosorum et ſalsâ religione delusorum turbam Chrysippi schola in ampla Mennniorum familia reponit. Mater pueri quintum jam mensem ægrotantis ita Jovem orat: Jupiter qui morbos immittis mortalibus et eripis, si ab hoc puero quartana febris abierit, eum ego nudum sistam in ripa Tiberis, manè illius diei, quo tuum in honorem jejunium imperatur. Quod si quis repentinus interim casus, aut medici solertia, puerum è morbo recreaverit, mater insana mortem filio afferet, vel certè febrim revocabit, cùm eum in gelida Tiberis ripa nudum collocabit. Quid illi

285. *Exciperet*, etc. Qui servum vendebat, ejus vitia omnia quæ momenti alicujus forent, emeuti debebat aperire: ac ni faceret, in jus vocari poterat. *Excipere*, verbum juris est, usitatum in pactionibus cùm aliquid nolumus pacto comprehendi. *Son maître en le vendant, n'aurait pas voulu répondre de la tete de cet affranchi, et la garantir fort bonne.*

Vulgus. Stolidam multitudinem.

Meneni. Meneniorum familia pervetusta Romæ fuit. Anno urbis conditæ 261. plebem à patribus dissidentem revocavit eloquentia Menenii Agrippæ. Ejus deinde posteri obscuri admodum fuere: unus tum restabat, cùm hæc Horatius scriberet, isque amens, quo vitio non caruisse aliquos ex ejus majoribus credibile est. Gentem igitur seu familiam Meneniorum stultorum gregem ac turbam vocat, quæ in primis numerosa: *Stultorum est enim infinitus numerus*, ut ait sacra pagina, quæ stultorum nomine improbos omnes complectitur, à recta virtutis via et rationis aberrantes.

290. *Jejunia.* Dies festos jejunio etiam ethnici colebant. Indicebant autem hæc jejunia Sacerdotes aut Magistratus.

Hæc mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.
Dixerit insanum qui me, totidem audiet; atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.
Stoïce, post damnum sic vendas omnia pluris!
Quâ me sultitiâ, quoniam non est genus unum,
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.
Quid? caput abscissum demens quum portat Agave
Nati infelicis, sibi tum furiosa videtur?
Stultum me fateor, liceat concedere veris,
Atque etiam insanum: tantum hoc edissere, quo me
Ægrotare putes animi vitio. Accipe: primùm
Ædificas, hoc est, longos imitaris, ab imo

præposteram hanc mentem injecit? superstitio et inconsultus Numinum timor. Hæc sunt præcepta et effata, quibus Stertinius, qui septem Græciæ sapientibus, meritò sane octavus addatur, tanquam armis me instruxit ad vindictam de iis sumendam, à quibus contumeliosè fuerim appellatus. Quisquis me insanum nominabit, hoc idem illi nomen reponam, et caudam tergo appensam suo, quam gestare se nescit, ipsum respicere cogam. O Damasippe Stoïcorum lumen et ornamentum, post jacturam fortunarum tuarum, hoc à Superis bene tibi precor, ut merces deinceps tum possis pluris multò quàm anteà vendere. Sed quoniam non unius generis et modi est in omnibus stultitia, ecquâ me laborare putas? Nam sapere me quidem arbitror. Et sibi sana esse Agave videbatur, cùm amputatum filii caput gestaret. Fateor igitur id quod res est, do veritati manus, agnosco me stultum esse, imò, si ita vis, insanire: unum hoc modo narra, quo animi morbo, quo genere stultitiæ censeas me vexari. Dicam. Primùm, ædes magnificas extruis, hoc est, quamvis à

298. *Pendentia tergo.* Caudam appensam tergo, quam trahit. Vel respicit Horatius decantatum Æsopi apologum, fingentis homini cuique impositam humeris, pendere manticam, in cujus anteriori parte sint aliena vitia; in posteriori, quæ tergo incumbat, lateant vitia ipsius, qui fert manticam. Hinc fieri dicebat ut aliena pervideremus vitia, nostra ignoraremus.

302. *Agave.* Penthei mater, Cadmi filia, immisso sibi furore à Baccho, quem Pentheus læserat, filii caput amputavit, eumque dilaceravit, rata se aprum vel taurum discerpere.

Ad summum totus moduli bipedalis, et idem
Corpore majorem rides Turbonis in armis
Spiritum, et incessum. Quî Ridiculus minùs illo?
An quodcumque facit Mæcenas, te quoque verum est,
Tantum dissimilem, et tanto certare minorem?
Absentis ranæ pullis vituli pede pressis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos eliserit. Illa rogare,
Quanta ne? num tantum, sufflans se, magna fuisset?
Major. Dein: Num tantum? Major. Quum magis atque
Se magis inflaret; non, si te ruperis, inquit,
Par eris. Hæc à te non multum abludit imago.
Adde Poëmata nunc, hoc est, oleum adde camino,
Quæ si quis sanus fecit, sanus facis et tu.
Non dico horrendam rabiem... Jam desine. Cultum

capite ad calcem vix altus sis pedes duos, contendis exæquare te proceris et majore staturâ præditis; cùm tamen rideas superbiam et fastum Turbonis gladiatoris, quando armatus graditur, et angusto in corpore ingentes animos præ se fert. Tunc minus illo ridiculus? an æquum est eadem te facere, quæ Mæcenas facit? te inquam, cum illo contendere, tam longè illi dissimilem, tantò inferiorem? Vitulus absentis ranæ pullos pedibus obtriverat, ex iis unus sospes effugiens matri refert fratres ab ingenti bellua oppressos fuisse. Sciscitari mater cœpit, quanta esset hæc bellua, mox pellem suam distendens, an istius, inquit, molis, quam nunc in me cernis? Dein: Major est. Num tantò etiam major, quàm sum modò? Cùm magis ac magis se inflaret, etiamsi disrumparis, inquit pullus, nunquam illius magnitudinem assequere. Hæc fabella in te, Horati, bellè cadit. Huc adde quòd versus facis; hoc est, igni oleum adjice. Quòd si quis Poëta sanus unquam fuit, tum ego te quoque pro sano haberi patiar. Taceo iracundiam et efferatos impotentis animi motus. Ohe jam satis est, ni Damasippe. Taceo sumptus in victu, in ornatu corporis immodicos, et supra fortunarum captum. Ah, quæso, teipsum excute, tua ipsius vitia reprehende,

310. *Spiritum.* Verteres, *la fierté, la démarche.*

315. *Cognatos.* Secum natos, Vox enim est communis, eos omnes complectens qui sanguine se attingunt.

Majorem censu....Teneas, Damasippe, tuis te.
O major tandem parcas; insane, minori.

cùmque cæteros stultitiâ vincas, minoribus stultis, ipse major, parce.

Satyra IV.

Catius, Epicureus Philosophus, Horatio quædam artis coquinariæ præcepta tradit.

Unde, et quò Catius? Non est mihi tempus, aventi
Ponere signa novis præceptis: qualia vincant
Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona.
Peccatum fateor, quum te sic tempore lævo
Interpellarim; sed des veniam bonus, oro.
Quod si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox;
Sive est naturæ hoc, sive artis, mirus utroque.

Unde porro venit Catius noster? quò pergit? Omitte me, non vacat nunc mihi tecum colloqui; aveo enim, et in eo totus sum, ut certis notem signis, et mandem memoriæ nova et mira præcepta, quibus facilè cedunt omnia Pythagoræ, Socratis et Platonis effata. Non diffiteor peccatum esse à me graviter, qui te intempestivè fuerim allocutus,

1. *Catius.* Philosophus Epicureus qui eodem quo Tullius et Horatius, vivebat tempore. Meminit de illo Cicero Lib. XV. Epist. Famil. et Quinctilianus Lib. decimo.

2. *Ponere signa.* Philosophi et grammatici, cùm suas opiniones in commentario referrent, dicebantur Ἀποσημειοῦν, id est, *signa illis ponere.* Per signa intellige vel litteras exaratas in chárta; seu potiùs notas et compendia verborum: vel certas quasdam rerum imagines, et idæas animo digestas et compositas ad juvandam memoriam.

Anytique reum. Socratem, qui reus factus est, id est, accusatus ab Anyto cive Atheniensi.

Reum. Significat eum propriè, cujus res et causa agitur: sive sit nocens, sive innocens.

7. *Sive est, etc.* Memoria duplex: altera quæ à natura ingeneratur; altera quæ paratur aut juvatur arte. Hæc maximè consistit in imaginibus veris aut fictis quæ in certo collo-

Quin id erat curæ, quo pacto cuncta tenerem;
Utpote res tenues, tenui sermone peractas.
Ede hominis nomen; simul et, Romanus, an hospes?
Ipsa memor præcepta canam, celabitur auctor.
Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut succi melioris, et ut magis alba rotundis
Ponere; Namque marem cohibent callosa vitellum.
Caule suburbano, qui siccis crevit in agris,
Dulcior: irriguo nihil est elutius horto.
Si vespertinus subito te oppresserit hospes,
Ne gallina, malum, responset dura palato,
Doctus eris vivam musto mersare Falerno:
Hoc teneram faciet. Pratensibus optima fungis

sed ignosce, pro tua humanitate. Quòd si quid ex his egregiis placitis, tibi elapsum è memoria fuerit, ob meam interpellationem, tu illud brevi facilèque recoles; quippe qui, sive memoriæ vis et facultas naturale sit bonum, sive arte et industriâ constet, utroque bono mirum in modum excellas. Ego verò idipsum agebam, cùm mihi occurristi, ut artem et viam aliquam invenirem, quâ possem animo complecti omnia illa effata, utpote valde subtilia, et exili oratione mihi modò exposita. Cedo nomen istius præclari doctoris tui. Utrùm homo Romanus est, an externus et peregrinus? Illius quidem nomen tibi non edam, at ipsa præcepta, quæ recens infixa mihi sunt in memoria, exponam. Memineris apponere convivis ova quæ figuram habebunt oblongam; nam ea gratioris saporis sunt, et rotundis candidiora; durius habent putamen, et ex eorum vitello pullus masculus nascitur. Caules, qui proveniunt in campis arentibus, longè sunt suaviores iis, qui agris sub urbe positis nascuntur; nihil est magis insulsum illis oleribus, quæ giguntur in hortis assiduâ irrigatione madentibus. Cùm tibi insperato derepente sub vesperam aliquis hospes supervenerit, tum ne gallina, quam illi appones, durior sit, dentibusque obluctetur ac resistat, doceo te, illam vino Falerno, aquâ temperato, vivam esse mergendam: sic fiet tenerrima. Qui nascuntur in pratis fungi, salu-

cantur loco; et quibus res affiguntur quas memoriæ cupimus esse mandatas, ut illæ imagines oculis occurrentes aut phantasiæ, res ipsas sibi velut impositas creditasque repræsentent.

14. *Callosa.* De cute ipsa et ovi pelle accipi potest: vel de ipso albumine, quod spissius et densius.

18. *Malum.* Adverbii locum ea vox obtinet: indicat rem molestam: et ad increpandum vulgò adhibetur.

Natura est, aliis male creditur. Ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella Falerno,
Mendosè; quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet. Leni præcordia mulso
Prolueris meliùs. Si dura morabitur alvus,
Mytulus, et viles pellent obstantia conchæ,
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.
Lubrica nascentes implent conchylia Lunæ;
Sed non omne mare est generosæ fertile testæ.
Murice Baiano melior Lucrina peloris;

bres et innoxii sunt; aliis vesci periculosum est. Optima per integram æstatem valetudine utetur qui prandium claudet moris ex arbore decerptis antequam solis ardor ingravescat. Aufidius mulsum ex Falerno et melle conficiebat, eoque ad prima pocula utebatur: sed pravè, quia in vacuum stomachum nihil nisi lene dimittendum est. Itaque rectiùs feceris, si mulsum ex aliquo mitiori vino, potiùs quàm Falerno, componas. Si astrictior tibi alvus fuerit, eam ciebunt, ac solvent mytuli et pisciculi concha inclusi, facilè parabiles; itemque rumex et vinum album ex insula Co advectum. Porro, pisces illis conchis tecti, qui alvo movendæ serviunt, majores sunt cùm Luna crescere incipit: nec parum refert quonam in mari capiantur: non enim æque boni sunt

24. *Forti.* Austero, asperioris et durioris saporis.

Miscebat mella, etc. Vinum melle mixtum appellabant mulsum; eo, post leviores quosdam cibos, utebantur ad primam cœnæ potionem, eamque tunc propriè vocabant promulsidem, quo nomine primam quoque cœnæ partem vocitatam fuisse Torrentius observat. Mulsum ex Falerno confici eam ob rem vetat Catius, quia Falernum austerius est, etiam admixto melle.

28. *Mytulus.* Pisciculus, è concharum genere, *une moule.*

Obstantia. Fæces in alvo male constipatas.

30. *Lubrica.* Quia, ut sum interpretatus, alvum cient ac solvunt. Vocari etiam sic possunt, quia eorum testæ sunt leves et politæ, ac tractantibus facilè elabuntur. Sunt tamen qui *ostrea* propriè dici velint illos pisciculos, quibus testa scabra et aspera est, *conchas*, quibus levis, aut æquabiliter rugata: *conchylia*, quibus assurgit instar turbinis.

31. *Generosæ.* Nobilis, eximiæ.

32. *Murice.* Murex, peloris, sunt pisciculi ex ostreorum genere.

Ostrea

Ostrea Circæis, Miseno oriuntur echini;
Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.
Nec sibi cœnarum quivis temerè arroget artem,
Non prius exactâ tenui ratione saporum.
Nec satis est carâ pisces avertere mensâ,
Ignarum quibus est jus aptius, et quibus assis
Languidus in cubitum jam se conviva reponet.
Umber, et iligná nutritus glande, rotundas

ubique. Murex Baianus deterior est Lucriná peloride. Ostrea sunt optima circa Circeios; echini circa Misenum promontorium. Tarentum, urbs deliciis assueta, latos pectines suos meritò venditat. Nemo autem glorietur se callere artem cœnæ bene ac scienter instruendæ, nisi prius expenderit ac perspectum habuerit, quis ferculo cuique sapor sit: id quod tamen internoscere difficile admodum ac subtile est. Neque sufficit pisces magno pretio coëmptos è macello auferre, si quis ignoret quinam commodiùs conditi et jure mersi apponantur, quinam assi magis sint placituri convivis, adeo ut in cubitum erigant se denuo, et ad edendum, licèt jam saturi plenique, se componant. Qui carnem amant minimè mollem neque languidam, hi libenter

33. *Circæis.* Circæi, urbs Latii: sive Circei.

Miseno. Misenus, promontorium est Campaniæ Italicæ, non procul Cumis, à Miseno Æneæ tubicine hic sepulto nuncupatum. Virgil. VI. Æn. ver. 235.

Echini. Des hérissons de mer.

34. *Pectinibus.* Pectines, *petoncles*, pisces testis, sive conchis duabus inclusi, quarum oræ striatæ sunt et dentatæ instar pectinis. Illæ testæ fermè sunt rotundæ; et cùm aperiuntur, ingentem rictum ostendunt: hinc patulos pectines appellat.

37. *Carâ mensâ.* Mensam intellige, ubi venales pisces in macello proponuntur à cetariis et piscatoribus.

39. *In cubitum.* Sinistro cubito nixi, et reliquo in lectulis corpore strato accumbebant ad mensam, dextrâ cibos ori inferentes. Erant in lectulis terni ferè aut quaterni. Ejus, qui summus in lectulo accumbebat, pedes ponè secundum, ab ejus tergo porrigebantur; et secundi ponè tertium, et ita deinceps. Rursus, ejus, qui secundus accumberet, occipus ad umbilicum, seu pectus primi obversum erat: et occiput tertii ad pectus secundi, etc. Ubi cibum capere vel desierant, vel intermiserant, tum caput reclinabant in cervical, et supini jacebant, cùm antea jacerent in latus sinistrum molliter erecti.

40. *Umber.* Umbria, *l'Ombrie*, pars Italiæ; nunc vocatur *le Duché de Spolete.*

Curvet aper lances carnem vitantis inertem :
Nam Laurens malus est, ulvis, et arundine pinguis.
Vinea summittit capreas non semper edules.
Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos.
Piscibus, atque avibus quæ natura, et foret ætas,
Ante meum patuit nulli quæsita palatum.
Sunt quorum ingenium nova tantùm crustula promit,
Nequaquam satis in re unâ consumere curam :
Ut si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret,
Quali perfundat pisces securus olivo.
Massica si cœlo supponas vina sereno,
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.

vescuntur apris in Umbria pastis, et quernâ glande nutritis. Nam agri Laurentis pejores apri sunt, quippe herbis palustribus et arundinibus saginati. Quæ in locis crebra vite consitis pascuntur capreæ, non semper ad vescendum optimæ sunt. Cui palatum sapit, is eam leporis partem quæ circa humeros est, cæteris anteponet. Nulli cognita probè fuit et examinata piscium et avium natura, ætasque mensis idonea, prius quàm ego isthæc quærendo experiendoque didicissem. In quo longè illos superavi, qui in eo duntaxat ingenium et industriam expromunt suam. ut novum aliquod placentæ, aut ferculi dulciarii genus inveniant. Porro autem satis non est in una quadam cœnæ et opsoniorum parte procuranda elaborare : ut, verbi gratiâ, si quis id studeat unum, ut vinum optimæ notæ apponatur, parum sollicitus quonam oleo pisces condiat. Si vinum Massicum aëri sudo subjicias, quodcumque in eo crassum et limosum erit, ipsa noctis aura defæcabitur et expurgabitur, simulque odor ille diffugiet, qui potantium nervos lædit. Quod si quis illud idem vinum per lineum saccum transmittat, corrumpetur et nativum saporem penitus amittet. Si quis vina Surrentina solerter immittat

41. *Curvet.* Implet, onerat. Nam totos sæpè apros apponebant.

42. *Laurens.* Ager Laurens, seu Laurentinus, est in Latio, prope Ostiam.

44. *Armos.* Latiùs patet hoc vocabulum, et carnem illam, quæ circa spinam est, comprehendit : quod vernacule dicimus, *le rable.*

54. *Lino.* Adhibebatur lineus sacculus, quod colum vocabant, Galli appellant *la*

Surrentina vafer qui miscet fæce Falernâ
Vina, columbino limum bene colligit ovo:
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Tostis marcentem squillis recreabis, et Afrâ
Potorem cochleâ: nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho. Pernâ magis ac magis hillis.
Flagitat immorsus refici; quin omnia malit
Quæcunque immundis fervent allata popinis.

in dolium Falerni vini fæce imbutum, is ea rectè purgabit, ac reddet liquida, injecto in cadum ovo columbino: quoniam vitellus ovi, suâ sponte in fundum decidens, fæcem omnem, et sordes admixtas vino, secum trahet. Convivam potando jam fessum acues et eriges squillis assis, frictisve, et Africanis cochleis: non item lactucis; nam istæ àcescunt in stomacho vini pleno, et indigesta manent: commodiùs ad hoc utare pernis, lucanicis, et botellis, quibus orexis nova et appetentia cibi fiet. Quin ea tunc maximè placebunt, quæcumque calida plebeiis è popinis accersentur. Juvat duplex juris genus probè nosse. Alterum est simplex, et ex oleo mero conficitur:

chausse, ad purgandum vinum, et excernendum quicquid esset in eo crassius.

55. *Surrentina.* Est Surrentum Urbs Italiæ maritima, *Sorrento.* Ejus vina defundebantur in cados recenti Falerno vacuos, ut ejus odorem vimque, fæcis relictæ beneficio, contraherent.

57. *Aliena.* Res alienas à natura vini; fæces, etc.

Vitellus. Pars ovi flava et rotunda.

58. *Squillis.* Squilla, pisciculus, *squille.*

59. *Cochlea.* Est limax testâ inclusus.

Nam lactuca, etc. Lactuca, claudebat cœnas priscorum Romanorum: at cùm eorum posteri vino largiùs soliti essent indulgere, lactucam omitti jubet Catius ob eam rationem fortasse, quia lactuca minùs commode post vinum digereretur.

60. *Hillis.* Hilla, hillæ; sive, hilla, hillorum, intestinum est porcinum, fartum aliis intestinis, seu concisa carne, *boudin, andouille*, etc.

Orca. Piscis major, qui cum balæna gerere inimicitias fertur. Est item vas quoddam testaceum, angusto collo, lato ventre, instar orcæ piscis; in eo stipabantur pisces capti ad Byzantium, et Romam mittebantur, cum sua muria. Quo de vase locum hunc Torrentius accipit, quem si sequaris, jubebit Catius eam adhiberi muriam, quæ in orca Byzantina et vase putruerit: legitur enim in antiquis codicibus multis, *putuit*, hoc est, odorem graviorem longâ die contraxerit.

Est operæ pretium duplicis pernoscere juris
Naturam. Simplex è dulci constat olivo :
At pingui miscere mero, muriâque decebit,
Non aliâ quàm quâ Byzantia putuit orca.
Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis ,
Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes
Pressa Venafranæ quod bacca remisit olivæ.
Picenis cedunt pomis Tiburtia succo :
Nam facie præstant. Venucula convenit ollis.
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
Hanc ego cum malis, ego fæcem primus, et allec,
Primus et inventor piper album, cum sale nigro
Incretum, puris circumposuisse catillis.

alterum componitur ex oleo, ac pinguiori vino, et muria, non qualibet, sed ea tantùm, in qua Byzantini pisces majores fuerint macerati. Istud autem jus, ubi admixtum fuerit herbis minutatim concisis, et igni impositum, ac leviter aspersum croco, concrescet ac densabitur, tumque Venafranum olivum adjiciendum erit. Poma Tiburtini agri Picenis deteriora sunt, quod attinet ad succum et saporem : nam formâ et specie sunt potiora. Uva venucula melius in ollas vitreas abditur, in iisque servatur commodius : Albana rectius duratur fumo. Hanc ego primus omnium mundis in patinulis unicuique convivarum apposui, necnon poma, fæcem, alec, atque album piper, cum nigro sale permixtum et comminutum. Mirum quantum peccant illi, qui tria millia sestertiûm impendunt in comparandam

67. *Inferbuit.* Ebulliit, incaluit.

68. *Corycio.* Corycus, mons Ciliciæ in Asia minori, ubi frequens crocus, *du saffran.*

Stetit. Potest explicari, quievit, bullire ac fervere desiit.

73. *Fæcem.* Fæx, cujuscumque rei excrementum est. Videtur hîc esse liquamen aliquod, sive embamma, ex vini fæce expressum, *de la lie de vin.*

Allec. Muriæ fæx et sedimentum est, ut indicat Plinius Lib. XXXI. cap. 8. Significat etiam liquamem è pisciculis colliquefactis et tabefactis, aut ex eorumdem intestinis, confectum, quod *garum* vulgò nuncupabant: *une espèce de saumur de poissons.*

74. *Piper album.* est enim piper aliud album, aliud nigrum : hoc illo suavius esse tradit Dioscorides.

75. *Incretum.* Incerniculo, quod est cribri genus, purgatum : *passé;* vel, immixtum et confusum.

Immane est vitium, dare millia terna macello,
Angustoque vagos pisces urgere catino.
Magna movent stomacho fastidia, seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit;
Sive gravis veteri crateræ limus adhæsit.
Vilibus in scopis, in mappis, in scobe, quantus
Consistit sumtus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' lapides varios lutulentâ radere palmâ,
Et Tyrias dare circum illota toralia vestes?
Oblitum, quanto curam, sumtumque minorem
Hæc habeant, tanto reprehendi justius illis,
Quæ nisi divitibus nequeunt contingere mensis.
Docte Cati, per amicitiam, Divosque rogatus,

ciborum copiam ingentem, ac præsertim piscium : quique hos nullo ordine stipant, et alios aliis aggerunt in exigua lance. Ingentem quoque nauseam epulantibus ea faciunt, quæ peccantur contra munditiam ; si servus post aliquid dapis furtim devoratum, pinguibus digitis scyphum attrectans, eum adipe oblevit ; si patera dudum squalida et illota ponitur. Quàm exiguo parari sumptu possunt scopæ, mappæ, scops? hæc tamen si negligantur, nemo graviter peccari non videt. Adeone te sordidum et illiberalem esse, ut pavimentum superbum è discolore stratum marmore, jubeas everri scopis luto inquinatis, quæ non tam abstergant sordes, quàm augeant? ut lectorum tuorum toralibus et culcitis immundis atque olentibus imponas vestem stragulam è pretiosa confectam purpura? neque id cogitas eò justius incuriam hanc redargui, quòd ista leviore impendio curâque possunt parari, quàm alia quæ divitum in mensis duntaxat visuntur, et quæ à te omitti nemo vitio tibi vertat. Oro te atque

81. *Mappis.* Olim ita dicebantur lintea, quibus manus abstergebantur : mantilia verò, lintea quæ mensis insternebantur.

Scobe. Scobs significat particulas et ramenta ligni, quæ lima vel sera deradi solent, *de la siure.* Ea scobs pavimento inspergebatur ante cœnam, ut vinum et aquam à convivis aut ministris, ut fit, humi projectam combiberet, ne ipsum pavimentum inquinaretur.

83. *Radere.* Subaudi, decet, convenit.

Palmâ. Scopis è ramulis palmæ confectis.

84. *Dare circum.* Pro, circumdare.

Toralia. Toral, est pannus vilior, quo culcita et torus tegitur. Huic vestem stragulam elegantiorem imponebant, et circumdabant, si quem lautiùs acceptum vellent.

Ducere me auditum, perges quocunque, memento.
Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta;
Non tamen interpres tantumdem juveris. Adde
Vultum, habitumque hominis, quem tu vidisse beatus,
Non magni pendis, quia contigit; at mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos,
Atque haurire queam vitæ præcepta beatæ.

obtestor, Cati doctissime, per eam quæ inter nos intercedit amicitiam, per Superos omnes, ut me ad illum doctorem tuum audiendum ducere ne graveris, quandocumque ad illum adibis. Etsi enim cuncta mihi memoriter exponas; non tamen eamdem habent vim, cùm à te velut ab interprete narrantur, ac si ab ipso magistro eadem percipiam. Fac ut illius vultum intueri quoque, et oris, totiusque corporis conformationem possim. Tu istud parvi facis, quia tanto frui bono tibi datum est; at ego mirâ incendor cupiditate, ut illum ipsum conveniam, à quo, tanquam ex fonte, bene ac beate vivendi præcepta hauriam.

95. *Vitæ beatæ.* Sic Epicureos ridet, qui beatam vitam in voluptate ponebant, et gulâ.

SATYRA V.

Hereditatum captores hâc Satyrâ insectatur. Fingit Tiresiam Ulyssi ad inferos ingresso, et ipsum consulenti, unam hanc brevi ditescendi artem proponere.

HOC quoque, Tiresia, præter narrata, petenti

QUæso te, ô Tiresia, præter illa quæ hactenus ex te audivi, hoc etiam narra, et doce, quo nimirum pacto, qui-

1. *Hoc quoque*, etc. Fingitur Tiresias multum jam ac diu cum Ulysse collocutus, hæc illi ad extremum præcipere quæ narrantur in hac Satyra.

Tiresia. Tiresias vates fuit Thebanus, quem oculis à Junone orbatum ut solaretur Jupiter, facultatem divinandi concessisse illi dicitur. Hujus animam evocat Ulysses, cùm apud Circen esset, Lib. XI, Odysseæ: eamdem videtur hic evocare domum jam reversus.

Responde : quibus amissas reparare queam res
Artibus atque modis...? Quid rides? Jamne, dolose,
Non satis est Ithacam revehi, patriosque Penates
Aspicere? O nulli quidquam mentite, vides ut
Nudus, inopsque domum redeam, te vate ; neque illic
Aut apotheca procis intacta est, aut pecus. Atqui
Et genus, et virtus, nisi cum re, vilior algâ est.
Quando pauperiem, missis ambagibus, horres,
Accipe, quâ ratione queas ditescere. Turdus,
Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc
Res ubi magna nitet, domino sene : dulcia poma,
Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives.

busve artibus, gravissima quæ feci rerum omnium damna sarcire possim. Jocaris, Ulysse ; quasi verò tibi satis non sit, quòd Ithacam et domum tuam revisas. O vatum omnium verissime, cernis ut domum rebus omnibus destitutus repetam, quemadmodum mihi prædixisti ; ut apothecas omnes proci scelestissimi compilarint, ut armenta jugularint, neque illorum avidas manus quidquam effugerit. Neque hoc te quoque latet, nobilitatem et virtutem, nisi adsint opes, pro nihilo pendi. Omitte ambages, video quid velis, paupertatem vehementissimè reformidas : audi igitur quânam arte magnas opes colligere brevi possis. Si turdus tibi, aut aliquid aliud privati muneris et eximii dabitur, fac illud continuò deferatur domum alicujus senis opulenti : fructus, flores, et alia ruris beati ac villæ tuæ munera locuples ille senex delibet, antequam ea Diis domesticis offeras ; quippe unus omnibus Laribus carior tibi debet esse et sanctior. Quantumvis ille improbus homo sit

2. *Amissas res.* Naufragiis, procorum dolis et rapinis.

3. *Quid rides?* Quippe ridiculum erat Ulyssem, hominem vaferrimum, ab alio exquirere artes ac modos rei faciendæ.

4. *Ithacam.* Est insula in mari Ionio, contra Epirum, Ulyssis patria.

7. *Apotheca.* Ἀποθήκη horreum; loculus, cella vinaria, olearia, etc. *un cellier.*

10. *Turdus.* Avis nota, *une grive.*

11. *Privum.* Privatum, tibi privatim dono datum.

14. *Larem.* Lares et Penates Dii, qui à quoque domi colebantur, quibus è cœna libare, et fructuum primitias consecrare mos erat.

Qui quamvis perjurus erit, sine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus, ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.
Ut ne tegam spurco Damæ latus? haud ita Trojæ
Me gessi, certans semper melioribus. Ergo
Pauper eris. Fortem hoc animum tolerare jubebo;
Et quondam majora tuli. Tu protinus, unde
Divitias, ærisque ruam, dic augur, acervos.

ac perfidiosus, obscurus et ignobilis, fratricida, vile mancipium, nihilominus ne dubita, si cum eo ambules, et ita poscat, ad illius sinistram, aut certè, loco minus honorato, incedere. Mene homini impuro, et ignobili servo sic locum dare et cedere, mene honoris causâ, claudere ipsius latus? Non ita vixi, cùm bellum ad Trojam gererem: immo ibi cum optimis et nobilissimis quibusque de honoris gradu solebam contendere. Atqui hoc quod dixi faciendum tibi est, aut paupertas toleranda. Ego verò illam et lubens tolerabo; longè sum graviora passus. Verumtamen age porro, augur peritissime, cedo aliquam artem aliam, si quam habes, quâ possim

15. *Sine gente.* Gens pro familia sæpè usurpatur. Gens una plures familias complectebatur; familia, varias domos privatas. Æmilia gens, v. g. septem continebat familias præcipuas. Mamercos, Regillos, Paulos, Scauros, Lepidos, etc. magnum erat nobilitatis argumentum, in aliqua ejusmodi gente censeri.

16. *Fugitivus.* Sic appellabantur servi nequam. Solebant enim illi heros deserere.

17. *Comes exterior.* A pariete, seu vici parte summâ remotior, *en prenant le bas du pavé.*

18. *Spurco.* Impuro et fœdido.

Damæ. Dama nomen commune servis, aut libertis.

Tegam latus. Tegere, seu claudere latus alicui, est eum comitari honoris causâ et auxilii: astare illi ab ea corporis ejus parte, sive dextrâ, sive lævâ, quæ magis obnoxia periculo et injuriæ sit, qualis est pars inferior, et rivo proprior, in vico; pontis crepidini, etc. vicinior. Quod si omne solum æquale sit ut in patente campo, tunc læva pars censetur exterior esse, ac infirmior, quæ proinde comitis auxilio tegi et muniri debeat.

22. *Æris.* Pecunia primùm, è corio pecudum certâ notâ insignito, et in particulas secto; postea ex ære, demum ex aliis metallis, conflata est.

Ruam. Congeram in cumulum: proruam et inferam in aliquod conclave: vel, effodiam, eruam è vena telluris divite.

Dixi equidem, et dico: captes astutus ubique
Testamenta senum; neu, si vafer unus et alter
Insidiatorem præroso fugerit hamo,
Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.
Magna minorve foro si res certabitur olim,
Vivet uter locuples sine natis, improbus, ultro
Qui meliorem audax vocet in jus, illius esto
Defensor; famâ civem causâque priorem
Sperne, domi si natus erit, fœcundave conjux.
Quinte, puta, aut Publi, gaudent prænomine molles
Auriculæ, tibi me virtus tua fecit amicum.

ditescere. Habeo equidem nullam præter hanc singularem et eximiam, quam commendavi modò, iterumque commendo: ut videlicet quicquid est in te sagacitatis et industriæ conferas ad conciliandos tibi senes, efficiendumque ut te in testamento suo hæredem scribant. Quod si unus fortasse illorum aut alter callidè tuas insidias, tanquam piscis hamum jam admorsum, effugerit, noli propterea abjicere spem, aut à proposito, deceptus semel, desistere. Si lis aliqua, majoris vel minoris momenti, aliquando disceptabitur in foro inter divites duos, illum è disceptantibus defende, qui liberis carebit, licèt homo sit nequam, licèt nullâ injuriâ lacessitus adversarium in jus vocaverit, ab eoque vincatur jure et bonitate causæ: alterum autem et famâ probitatis et æquitate superiorem desere, atque oppugna, si is filium habeat vel conjugem ex qua suscipere liberos adhuc possit. Priorem illum alloquere: O Quinte, ô

32. *Prænomine.* Romani cives tria vulgò habebant nomina: ut Publius Cornelius Scipio. Ex iis primum vocabatur *prænomen*, alterum *nomen*, tertium *cognomen*. Nomina designabant gentem, cognomina familiam, prænomina ipsam personam: sic *Publius* distinguebat Scipionem à fratre suo, qui Lucius, v. g. dicebatur. *Cornelius* Corneliam gentem notabat; *Scipio* familiam sub Cornelia comprehensam gente, quæ familias quindecim fermè complectebatur nempe; Scipionum, Lentulorum, Cethegorum, Cinnarum, etc. qui omnes Cornelii vocabantur. Servi uno quodam et obsoleto nomine appellabantur, ut Dama, Davus, etc. manumissi verò et libertate donati, statim prænomen sibi adsciscebant. Itaque prænomen indicium erat hominis ingenui: quocirca dicuntur hîc homines delectari prænominibus.

33. *Molles oriculæ.* Quæ nimirum compellatione honorificâ dalectantur.

Jus anceps novi, causas defendere possum.
Eripiet quivis oculos citiùs mihi, quàm te
Contemtum cassâ nuce pauperet. Hæc mea cura est,
Ne quid tu perdas, neu sis jocus. Ire domum, atque
Pelliculam curare jube; si cognitor ipse.
Persta, atque obdura, seu rubra canicula findet
Infantes statuas, seu pingui tentus omaso
Furius hybernas canâ nive conspuet Alpes.

Publi, nam hujusmodi prœnomina suavissimè titillant aures, tibi sum addictissimus; et, ut essem, probitas tua effecit : varias fori artes et juris anfractus omnes calleo : patronus sum non imperitus : oculos avelli mihi priùs patiar, quàm tibi vel vitiosam nucem eripi : hoc in me recipio, daboque operam diligenter ne quid jacturæ facias, aut à quoquam contemnaris. Ubi sic eum fueris allocutus, roga ut se domum recipiat, ibique otiosus valetudini serviat. Tu interim ejus negotia gere et administra ; lites, si quas habet, procura et instrue : neque te difficultas ulla aut periculum ab incœpto deterreat ; sive calor æstivus sæviat, ac marmorea etiam simulacra diffringat ; sive nivibus hibernis inhorrescant Alpes, quæ, ut Furius Poëta, ingenti abdomine prægravis, canit, à Jove cons-

34. *Jus anceps.*. Varium, et controversum, quod in utramque partem disceptatur.

36. *Cassâ nuce.* Inani : quæ caret medullâ.

Pauperet. Pauperare verbum vetus : pauperem efficere, spoliare aliquem aliquâ re.

38. *Cognitor.* Is qui litem et causam adornat, expendit, tuetur ut suam : *un homme d'affaire, un procureur*, actor, et procurator. Apud Romanos tamen procurator absentes ferè in judicio defendebat ; cognitor præsentes.

39. *Canicula.* Sidus æstivum.

Findet. Calore vehementi æra dissilire dicuntur, et marmora.

40. *Infantes.* Mutas, fari non valentes.

Omaso. Omasum, *la pance*, est pingue intestinum. *Tentus omaso*, exponi potest, qui abdomen et ventrem distentum et obesum habet : vel, qui omaso intestinisque pecudum vescitur, iisque distenditur, et saginatur, ut ille Mænius, qui *patinas cœnabat omasi.*

41. *Furius.* Marcus Furius Bibaculus, Poëta, qui tunc scribebat, in quodam suo carmine, dum hyemem describeret, hunc versum ediderat : *Jupiter hybernas canâ nive conspuit Alpes* : quem, ut ampullatum, et ineptâ translatione vitiosum, carpit hîc Horatius eadem verba Furio tribuens, quæ Furius de Jove dixerat.

Nonne vides (aliquis cubito stantem prope tangens
Inquiet) ut patiens? ut amicis aptus? ut acer?
Plures annabunt thynni, et cetaria crescent.
Si cui præterea validus malè filius in re
Præclara sublatus aletur, ne manifestum
Cœlibis obsequium nudet te, leniter in spem
Adrepe officiosus; ut et scribare secundus
Heres, et si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias. Perrarò hæc alea fallit.
Qui testamentum tradet tibi cunque legendum,

putatæ sic albicant. Tunc audies aliquem ita de te cum vicino suo colloquentem : hem! ut Ulysses hic laboriosus, ut amicitiæ cultor egregius, ut strenuus ac diligens est! spargetur hæc de te fama; sic tibi plures conciliabis, et ad retia tua, frequentiores adnatabunt thynni, qui vivaria tua referciant. Præterea si quis dives et uxore carens filium incommodâ valetudine utentem habeat, obsequere homini et adulare, sed sic, ut artem occultes : itaque astu rem tracta, et officiis mollibus eum demulce, ut demum secundus hæres in testamenti, quod condet, tabulis ab eo scribaris; et, si quo casu puer extinctus fuerit, tu in ejus succedas locum, et hæreditatem suo hærede destitutam adeas. Raró admodum evenit, ut hujus ludi non sit felix eventus. Quicumque orabit te ut suum testamentum legas, vide ut recuses, et testamenti tabulas rejicere

44. *Thynni.* Thynnus, sive thunnus, picsis nobilis, *un thon.* Ita dicitur â θύω, *ruo, præceps feror :* est enim piscis admodum concitatus et celer. Per thynnos autem, senes divites et orbos liberis, indicat, quos in captatoris insidias et retia perducendos ait.

Cetaria. Stagna, seu receptacula, servandis piscibus opportuna : *des viviers, des étangs.*

46. *Sublatus.* Educatus, reservatus in familiæ propagandæ spem. Liberos, cùm primum erant nati, humi deponebant; ac siquidem eos vellent vivere, attolebant ab humo; sin minus, interficiebant aut exponebant. Itaque sublatus esse puer dicebatur, quem parentes vivere et servari decrevissent.

Nudet te. Te prodat, aperiatque; ostendat captatorem te hereditatis esse.

48. *Secundus heres.* Substituendus in locum primi, si quo casu extinguatur. *L'héritier substitué.*

49. *Egerit Orco.* Ad inferos detruserit. Orcus pro Plutone accipitur, et pro inferis, per quos jurabant Superi. Ὅρκος, jusjurandum.

Abnuere, et tabulas à te removere memento;
Sic tamen ut limis rapias quid prima secundo
Cera velit versu: solus, multisne coheres,
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.
Num furis, an prudens ludis me, obscura canendo?
O Laërtiade, quidquid dicam, aut erit, aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.

memineris, ita tamen ut obliquis oculis raptim inspicias, quid in primæ paginæ secunda linea sit exaratum; an solus heres in ea sis scriptus, an multis aliis adjunctus, quibuscum hereditatem partiaris; hæc leviter, inquam, et veluti aliud agens perlege. Accidit persæpe ut scriba veterator et callidus, qui olim quinquevir fuerit, deludat ac frustretur suum captatorem, quemadmodum vulpes Æsopica corvum decepit, qui caseo jam imminebat. Sic etiam Nasica deludetur à Corano, eique ludibrio erit. Num quis te subitus corripit furor, Tiresia? an me sciens, volensque istis ambagibus et enigmatis deludis? O Ulysse, quidquid demùm dixero, vel erit, vel non erit, sicut ego futurum affirmavero aut negavero; artem quippe

52. *Tabulas.* Scribebant in tabellis ligneis, cerâ obductis; quæ instar foliorum erant. Itaque prima cera, primum ejusmodi folium est, secunda, secundum.

53. *Limis.* Obliquis, transversis.

54. *Secundo versu.* In prima primæ paginæ linea scriptum erat ejus nomen, qui testamentum condebat; in secunda linea, nomen heredis et coheredum: in postremis versiculis appellabantur heredes substituendi in primorum locum.

55. *Recoctus.* Propriè in coctum et recoctum dicitur ferrum, quod sæpius igni admotum et incudi redditum est. Transfertur eadem vox ad significandos homines, qui longo rerum usu et diuturnâ experientiâ addocti, calent ad artes veteratorias, et alios in fraudem ac periculum facilè inducunt.

56. *Scriba.* Honoratiores erant scribæ quinqueviris, et stabilem obtinebant Magistratum, cùm quinqueviri, pro ratione muneris ibi commissi, abrogarentur, aut mutarentur.

Quinqueviro. Erant Quinqueviri, certi homines delecti ex omni populo ad publicum aliquod munus gerendum, sive Romæ, sive in municipiis. Sic in antiquis inscriptionibus appellantur Quinqueviri mensarii; Quiuqueviri muris turribusque reficiendis, etc. ita dicti quia numerus eorum ferme quinarius erat.

Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.
Tempore quo juvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Æneâ, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano
Filia Nasicæ, metuentis reddere soldum.
Tum gener hoc faciet, tabulas socero dabit, atque
Ut legat orabit: multùm Nasica negatas
Accipiet tandem, et tacitus leget, invenietque
Nil sibi legatum, præter plorare, suisque.
Illud ad hæc jubeo: mulier si fortè dolosa,
Libertusve senem delirum temperet, illis
Accedas socius; laudes, lauderis ut absens.
Me sene, quod dicam, factum est. Anus improba Thebis

divinandi, et futura prænoscendi acceptam ab ipso Apolline habeo. Expone mihi tamen, Tiresia, si fas est, qui significet tandem, et in quos cadat, hæc Æsopicæ vulpis, et corvi, quam modò attulisti, fabella. Dicam quo tempore juvenis oriundus à magno Ænea, Parthis armorum suorum terrorem incutiet, ac imperium terrâ marique obtinebit, Nasica ære alieno grandi obrutus, quod dissolvere avarus homo nolet, filiam suam in matrimonium collocabit Corano diviti: at Coranus Nasicam socerum suum ita ludet, testamentum ipsi legendum dabit, recusabit Nasica, denique diu multumque cunctatus, illud voce summissâ leget, ac reperiet nihil sibi ac suis præter lacrymas, et frustratæ spei dolorem, à Corano relictum testamento esse. Præterea id præcipio, moneoque, ut, si qua mulier astuta, aut solers libertus, senem jam delirantem regat, habeatque in potestate; iis te socium addas, eos tibi concilies, laudibus benignè prosequaris, ut illi vicissim te absentem dilaudent. Narrabo tibi quod Thebis accidit, cùm jam essem ætate provectior. Quædam vetula non inepta, tes-

65. *Soldum.* Solidum; integrum æs alienum. Sic loquitur M. Tullius pro C. Rabirio Posthumo: *Ita bona veneant, ut solidum suum cuique solvatur.* Sperabat ille Nasica se à Corano heredem instituendum; vel condonandum sibi et remittendum ab eodem Corano moriente æs omne alienum, quod ipsi debebat: idque sperabat in gratiam filiæ, quam uxorem, aut pellicem, Coranus accepisset.

73. *Improba.* Vafra, astuta. *Thebis.* Thebæ, nunc *Stives*, urbs ampla Græciæ veteris in Bœotia.

Ex testamento sic est elata : cadaver,
Unctum oleo largo, nudis humeris tulit heres :
Scilicet elabi si posset mortua; credo
Quòd nimiùm institerat viventi. Cautus adito.
Neu desis operæ, neve immoderatus abundes.
Difficilem et morosum offendes garrulus, ultro
Non etiam sileas. Davus sis comicus, atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.
Obsequio grassare; mone, si increbuit aura,
Cautus uti velet carum caput; extrahe turbâ,
Oppositis humeris; aurem substringe loquaci.
Importunus amat laudari? donec, Ohe, jam
Ad cœlum manibus sublatis, dixerit, urge, et

tamento cavit, ut suum cadaver, oleo multo inunctum, heres ipsius, impositum humeris nudis efferret ad rogum : id, opinor, eo facto indicare volens, se molestis officiis ab illo herede olim fuisse diu fatigatam, ac velle saltem post mortem ipsi elabi, quæ, dum viveret, ejus artes ac insidias effugere non potuerat. Tu esto prudentior in colendis ac invisendis iis quorum bona captabis : ac da operam, ut nec tua desideretur diligentia, nec tamen vehementiore studio et præposterá sedulitate pecces. Homini tetrico atque aspero displicebis, si loquax sis et festivus; at non silebis tamen, cùm te interrogabit ac loqui jubebit. Talis esto, qualis inducitur Davus in comœdiis, sta capite in alterum humerum reflexo, formidinem ac reverentiam vultu ipso præ te ferens : adrepe in ejus animum et benevolentiam omni officiorum genere; si ventus paulò vehementior ingruit, admone ut caveat sibi, caputque dilectum objecto velo defendat ac protegat : viam illi per urbem incedenti, patentem præsta submovendo humeris ambobus prementem hinc inde turbam; cùm garrire amabit, aurem quidlibet effutienti præbe. Si laudibus immodicis delectatur, laudes ingere affatim, et hunc quasi utrem paulatim intumescentem

81. *Obstipo.* Quidam exponunt, qui capite depresso inter humeros, ita ut simul porrectum in anteriorem partem sit collum; ut solent qui metuunt, qui reverenter auscultant.

82. *Grassare.* Grassor, à gradior, est, furtim et per insidias obeo; circumvenio, invado.

84. *Substringe aurem.* Arrige aurem subjectâ manu, et quasi collige. Qui aures alicui præbent, manum supponunt auriculæ, eamque veluti substringunt, ne sonus diffluat, elabaturque.

Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
Quum te servitio longo, curâque levarit,
Et certum vigilans, *quartæ esto partis Ulysses*,
Audieris, *heres :* Ergo nunc Dama sodalis
Nusquam est! unde mihi tam fortem, tamque fidelem ?
Sparge subinde; et, si paulum potes, illacrymare. Est
Gaudia prudentum vultu celare. Sepulcrum
Commissum arbitrio, sine sordibus extrue, funus
Egregiè factum laudet vicinia : si quis
Fortè coheredum senior malè tussiet, huic tu
Dic, ex parte tua, seu fundi, sive domûs sit
Emtor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
Imperiosa trahit Proserpina : vive, valeque.

perge implere verbis inanibus, donec, manus ad cælum tollens, ipse te desinere jubeat. Cùm semel et istis servilibus obsequiis mors ejus diu expectata liberaverit, ac voces illas vigilans ac certò audieris ; volo ut Ulysses sit quartæ partis meorum bonorum heres, tunc erumpe in hæc verba, eaque identidem repete ac velut dissemina : ergo periit Dama, sodalis mihi carissimus ? ubi parem illi fortitudine, fide cæterisque dotibus inveniam ? Funde, si quas potes, præterea lacrymulas : scitum est enim tunc temporis vultu mærorem simulare, lætitiam sinu premere. Si cura tumuli componendi demandata tibi fuerit ; splendidè ac liberaliter eum extrue : fac ut vicini omnes funeris pompam et apparatum prædicent, tibique de sumptu prolixè facto gratulantur. Si quis è tuis coheredibus ætate jam gravis, et malâ tussi vexatus, non diu superstes fore videatur, illi significa, si emere à te velit prædium aliquod, vel domum sitam, in ea parte hereditatis, quæ tibi obtigit, te libenter hanc domum, hoc prædium, illi venditurum vili admodum pretio. At at Proserpina, quæ mortuis imperitat, abire me, et ad inferos reverti cogit. Vale, ac rem bene gere.

87. *Utrem.* Uter, utris, est pellis hircina; *une outre*, quæ vino, oleo, interdum vento, impletur.

98. *Nummo.* Nummo sestertio : respondet ille duobus fere assibus nostratibus. Pro vili quolibet pretio hîc ponitur.

Addicere. Propriè est mercem alicui tradere in manus, *délivrer une marchandise.*

SATYRA VI.

Otii rusticani commoda cum incommodis urbanæ vitæ comparat.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquæ fons,
Et paulùm sylvæ super his foret. Auctius atque
Dì melius fecêre. Bene est. Nihil ampliùs oro,
Maiâ nate, nisi ut propria hæc mihi munera faxis.
Si neque majorem feci ratione malâ rem,
Nec sum facturus vitio culpâve minorem.
Si veneror stultus nil horum: O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
O si urnam argenti fors quæ mihi monstret! ut illi,
Thesoro invento qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule: si, quod adest, gratum juvat: hâc prece te oro,

ID unum precatus eram à Superis, ut modicam haberem villam, in qua esset hortus, et prope domum fons perennis, præterea nonnihil sylvæ. Hæc omnia mihi ampliora et ornatiora quàm expetieram Superi concesserunt. His sanè contentus sum. Nihil præterea flagito, Mercuri, nisi ut stabilia et perpetua esse mihi hæc tua dona jubeas. Siquidem neque fortunas et opes meas auxi malis artibus, nec easdem sum imminuturus per luxum aut negligentiam: neque hujusmodi vota Superis facio, quæ dementes et avari concipiunt: O si particula hæc vicini prædii adderetur agro meo, quem nunc illa deformat, dum impedit ne sit æqualiter ab omni parte dimensus! O si quâ ratione fieret, ut prospera Fortuna ostenderet mihi urnam nummorum plenam, ut illi monstravit colono, qui cùm in agro thesaurum reperisset, continuò eumdem

5. *Maiâ.* Mercurii mater erat: is Poëtarum præses Deus.

8. *Si veneror*, etc. Si non sum tam stultus, ut aliquid horum admirer et cupiam, etc.

10. *Fors quæ.* Fors quæ, aliqua fortuna. Erat propriè, *Fors*, Fortuna felix.

13. *Hercule.* Credebatur Hercules favere lucris inexpectatis: ut Mercurius industriâ quæsitis.

Pingue pecus domino facias, et cætera, præter
Ingenium; utque soles, custos mihi maximus adsis.
Ergo ubi me montes, et in arcem ex Urbe removi,
Quid priùs illustrem Satyris, Musâque pedestri?
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster,
Autumnusque gravis, Libitinæ quæstus acerbæ.
Matutine pater, seu Jane libentiùs audis,
Unde homines operum primos vitæque labores

agrum emit, repentè locuples Herculis beneficio factus, et postea tanquam suum aravit, quem priùs, ut alienum, conductus pretio, colebat. Si ea quæ mihi suppetunt, ita delectant, ut in iis animus acquiescat, nec plura desiderem: oro te atque obtestor, Mercuri, ut pecora mea, necnon alia omnia, tu pinguia mihi præstes, uno ingenio excepto; meque singulari, ut fecisti hactenus, patrocinio tuearis. Igitur postea quam recepi me ex urbanis negotiis in villam meam montibus cinctam, ubi videor mihi velut in arce versari à negotiorum molestiis tutus, æquam eligere possum eruditionis partem ornandam colendamque potiùs quàm Satiras, et carminum illud genus orationi solutæ simillimum? non illic me ambitio districtum anxiumque tenet, non metuo graves corporibus et insalubres Notos, non Autumnum morbis infestum, et Libitinariis quæstuosum. At in Urbe quot curis, quàm molestiis

15. *Præter ingenium.* Ingenium enim pingue, idem est ac obtusum et tardum.

17. *Musâ pedestri.* Satyrarum versus humiliores sunt, negligentiùs fusi, et prosæ similes, quæ oratio pedestris appellatur.

18. *Plumbeus.* Gravis, insalubris: qui tarda corpora, et lenta efficit.

19. *Libitinæ.* Dea funerum præses erat; eadem, ut docti censent, ac Venus, sive Proserpina. In ejus templo vendebatur supellex funebris, mortuorum catalogus servabatur, etc. Ab ea dicti Libitinarii, qui funera procurabant, ut designatores, polinctores, ustores, sandapilarii, vespillones, etc. ac plurimùm faciebant lucri Austro flante, videlicet compluribus in morbum incidentibus et obeuntibus.

20. *Jane.* Janus, Italiæ Rex fuit prudentissimus, qui, quòd meminisset præterita, futura prospiceret, geminum habere vultum dictus est. Pro Sole aut Tempore usurpabatur, et Matutinus pater dicebatur, à Matuta, quæ eadem erat ac Aurora. Ab Jani invocatione annum, imò dies singulos ordiebantur. Porro cùm Deos precabantur, dabant operam ut eo nomine illos vocarent, quod censerent ipsis esse gratissimum: id verò resciri commodè si non poterat, multa congerebant nomina.

Instituunt, sic Dîs placitum, tu carminis esto
Principium. Romæ sponsorem me rapis : eia,
Ne prior officio quisquam respondeat, urge.
Sive Aquilo radit terras, seu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
Postmodo, quod mì obsit, clarè certumque loquuto,
Luctandum in turba, facienda injuria tardis,

premor ! Cùm ibi versor, ô Jane, sive Pater Matutine, appellari mavis, hoc enim carmen et hanc urbanæ vitæ seriem ordiri à te placet, à quo solent homines auspicari diem et diurnas occupationes, quippe sic visum Superis est. Cùm Romæ, inquam, sum, manè exire me domo celeriter cogis, ut pro aliquo cive amico meo sim sponsor : Ehodum, inquis, festina, ne quis te prior officio isto urbanitatis et amicitiæ fungatur : eundum est, sive Aquilo sæviat, ac terras inclementi aurâ verrat, sive hyems nive deformis angusto spatio diem claudat. Postquam ante Prætorem spopondi pro amico, et clarè atque apertè fidem meam interposui, prædemque me pro illo dedi, non sine gravi periculo, ne ista sponsio et fidejussio mihi damnosa sit ; revertor domum, at ægrè ; nam laborandum est, ut me expediam è turba pulsandi et impellendi qui antecedunt, ac lentiùs ingrediuntur : è quibus interdum aliquis pervicax et cerebrosus excandescit, ac mihi malè pre-

22. *Tu carminis*, etc. Dixerat se nihil posse in villula facere libentius, et utilius, quàm Satyras scribere. Hoc ipsum præstare incipit, et pro argumento sumit ipsius vitæ rusticæ commendationem : eamque ducit ab insectatione vitæ urbanæ, cujus molestas occupationes singillatim recenset.

23. *Sponsorem.* Fidejussorem, *une caution, un répondant.*

Me rapis. Rapi se in forum à Jano matutino ait, id est, actio diei prima hæc est : cogor exire et spondere pro aliquo.

24. *Urge.* Videlicet accelera ; moras abrumpe.

25. *Radit.* Ventus frigidus laniare et radere videtur terras.

26. *Interiore gyro.* Breviore ac propiore terris circulo. Dies enim hyberni sunt æstivis breviores, quia videtur Sol ad nos propiùs accedens hyeme, breviorem circulum describere circa terras, quàm æstate : licet revera circulum semper æqualem describat : sed cujus pars minor supra Horizontem nostrum extat hyeme. Porro in circulis centrum ambientibus, qui propior est centro, est itidem brevior et interior.

27. *Quod mí obsit.* Vades et prædes, qui pro alio spondent, plurimùm adeunt periculi, quippe qui alterius, pro quo spoponderunt, loco, solvere cogantur, si nequeat ille solvere vel nolit.

Quid tibi vis, quas res agis, insane? Improbus urget
Iratis precibus. Tu pulses omne quod obstat,
Ad Mæcenatem memori si mente recurras.
Hoc juvat, et melli est, non mentiar. At simul atras
Ventum est Esquilias, aliena negotia centum
Per caput, et circa saliunt latus. Ante secundam
Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras.
De re communi scribæ, magnâ atque novâ, te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti.
Imprimat his, cura, Mæcenas signa tabellis.
Dixeris, experiar: Si vis, potes, addit, et instat.

tatus, Quò tantùm ait, properas, homo improbissime? tunc fas tibi putas esse obvios quosque ac festinanti obstantes ultro citroque pulsare, et urgere, ac nihil pensi quidquam habere, modò ad tuum Mæcenatem redeas propere, quem unum cogitas, unum memori mente, cæterorum oblitus, versas. Ita vivam, ut mihi hæc audire volupe est. Ubi autem ad Esquilinum collem perveni, continuò sexcenta hominum ignotorum et alienorum negotia circumveniunt me atque adoriuntur. Horati, memineris te oratum fuisse à Rosio, ut suam causam præsentiâ tuâ vel testimonio adjuvares cras, et adesses ad Prætoris tribunal prope Puteal, ante horam à sole orto secundam. Scribæ, inquit alter quispiam, te rogaverunt, ut redires ab Esquiliis, acturus cum ipsis de negotio majoris momenti, quod ad vestrum collegium et communem Scribarum utilitatem spectat. Da operam, inquit alius, ut Mæcenas subscribat supplicem hunc libellum. Si dixero, equidem conabor,

32. *Melli est.* Instar mellis dulce est, permihi gratum est.

33. *Atras Esquilias.* Atras vocat ob ignes et fumum bustorum, quæ ibi frequentia. Earum partem Mœcenatis domus occupabat.

35. *Sibi adesses.* Qui oratione reum defendebant et causam agebant, Patroni Actoresque dicebantur; qui muti ac taciti aderant, suâque præsentiâ cohonestabant ac sublevabant reum, appellabantur Advocati, et adesse reo dicebantur.

Puteal. Ea vox operculum seu tectum putei significat. Ita vocabatur etiam locus quidam Romæ prope Fornicem sive arcum Fabianum, juxta Regiam, in Sacra via; in quo fuit Tribunal Prætoris, vel ædificium, ubi jus dicebat Prætor, à Scribonio Libone extructum, dictumque Puteal à vicino puteo.

36. *Scribæ.* Erat enim Horatius in Scribarum numerum et collegium cooptatus, *Greffier, ou secrétaire des Trésoriers.*

Septimus octavo propior jam fugerit annus,
Ex quo Mæcenas me cœpit habere suorum
In numero; duntaxat ad hoc, quem tollere rhedâ
Vellet, iter faciens, et cui concredere nugas
Hoc genus : Hora quota est ? Thraxan Gallina
Syro par ?
Matutina parum cautos jam frigora mordent :
Et quæ rimosâ bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus subjectior in diem et horam
Invidiæ. Noster ludos spectaverit unà,

ac tentabo , num id impetrare à Mæcenate possim ; subjicit statim ille ; Potes, modò velis , mihique instat etiam atque etiam. Anni sunt ferme octo , ex quo Mæcenas me inter suos familiares cooptavit , eo tantùm consilio , ut haberet qui se iter facientem in rheda comitaretur, et quicum de rebus leviculis colloqueretur ; velut , quota est hora ? an gladiator ille qui Gallina dicitur , et qui partes Thracis contra Sirum agit , adversario par est ? aura matutina incipit esse frigidior , et incautis morbos importat : et alia id genus quæ nihil arcani requirunt , ac impunè et sine periculo committuntur homini etiam loquaciori. Per hos septem annos magisque in dies fui expositus invidiæ et obtrectationi. Hic noster Horatius , inquiunt omnes passim , homo nostri loci et ordinis , unus è multis ; nunc beatulus est, neque alium plus amat Fortuna.

40. *Septimus* , etc. Id est , parum abest , quin septimus annus elapsus sit ; exit annus septimus , octavus instat.

44. *Thrax*. Gladiatores duo inter se compositi pugnabant : alter vocabatur Mirmillo , sive Gallus , quia Gallicis armis erat instructus. Alter dicebatur Thrax, quia Threiciis armis utebatur , quæ Threcidica vocat absolutè M. Tullius Philipp. VII. nempe parmâ , quod est Thracii scuti genus , et falcato gladio. Opponebatur interdum Mirmilloni Retiarius ; quem eumdem atque Thracem fuisse quidam censent : gerebat ille in manu dextra fuscinam seu tridentem ; et in sinistra , rete , quo involvere caput Mirmillonis tentabat.

46. *Rimosâ*. Metaphora ducitur à vasis aquam infusam non servantibus , et hac illac perfluentibus.

48. *Noster*, etc. Iis verbis potest hæc sententia quoque subjici : noster ille Horatius , nostrî simillimus , nunc fortunatissimus , olim unà nobiscum ludos spectabat , plebi scilicet permixtus , et omnes ludos ludebat in campo Martio , nunc nobilium est amicus , et nos contemnit.

Luserit in campo, Fortunæ filius, omnes.
Frigidus è Rostris manat per compita rumor:
Quicumque obvius est, me consulit: O bone, nam te
Scire, Deos quoniam propius contingis, oportet,
Numquid de Dacis audisti? Nil equidem. Ut tu
Semper eris derisor! At omnes Di exagitent me,
Si quidquam. Quid? militibus promissa Triquetrâ
Prædia Cæsar, an est Italâ tellure daturus?
Jurantem me scire nihil, mirantur, ut unum
Scilicet egregii mortalem altique silenti.

Scin' illum unà cum suo Mæcenate ludos spectavisse? unà cum illo exercitationi ludicræ in campo Martio indulsisse? si quis nuncius tristior è rostris primùm ortus, in urbem et populum spargitur, extemplo ut quisque mihi fit obvius, ex me quærit; Horati optime, id enim ignorare te, qui principum familiaritate et colloquio fruaris, credibile non est, nihilne de Dacis audivisti? Nihil profectò. Itane semper jocaberis, ac nos illudes? Ego verò dispeream, si quidquam audivi. Quid? agros, quos veteranis promisit Augustus num assignabit in Sicilia, an vero in Italia ipsa? Si juro me id penitus ignorare, demirantur, ac tanquam unum post homines natos arcani servantissimum suscipiunt. In his nugis et molestissimis occupationibus dies consumitur, suspirante me, et in hæc

50. *Frigidus rumor.* Qui timorem et horrorem audientibus afferat.

E Rostris. Per Rostra intelligitur suggestum in Romano foro, unde ad plebem fieri verba consueverant. *La Tribune aux harangues, les Rostres.* Ejus loci pars infima ornata fuerat Rostris, *éperons d'airains*, seu proris navium quæ in prælio navali contra Antiates gesto, captæ fuerant ex hostibus. Livius Lib. VIII. atque hæc quidem Rostra vetera vocabantur. Extructa sunt deinde alia, quæ nova sunt appellata, et ornata rostris navium in Actiaca pugna captarum ab Augusto.

55. *Triquetra.* Triquetrum idem sonat, ac triangulare. Habet Sicilia tres veluti angulos, tria promontoria, Pachynum, Pelorum, et Lilybæum; hinc à Latinis Triquetra, à Græcis Trinacria, est appellata, τρεῖς, τρία, *tres, tria*, ἄκρον, *promontorium.*

56. *Prædia,* etc. Post Philippense prælium, victis Bruto et Cassio, Augustus emeritis millibus agros mercedis loco dedit; aliis verò qui nondum justa stipendia confecerant, videtur hoc tempore, cùm isthæc Satyra scripta est, agros quoque promisisse, nimirum circa annum ab urbe condita 720. Lege Virgilii primam Eclogam.

Perditur hæc inter misero lux, non sine votis :
O rus, quando ego te aspiciam ? quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc somno, et inertibus horis
Ducere solicitæ jucunda oblivia vitæ ?
O quando faba Pythagoræ cognata, simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo ?
O noctes, cœnæque Deûm ? quibus ipse, meique,
Ante Larem proprium vescor ; vernasque procaces
Pasco libatis dapibus. Prout cuique libido est,
Siccat inequales calices conviva, solutus
Legibus insanis ; seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis uvescit lætiùs. Ergo
Sermo oritur, non de villis, domibusve alienis ;

identidem erumpente vota : O rus, ô amica villula, ecquando te invisam ! quando mihi dabitur nunc antiquorum lectitandis voluminibus, nunc otio et somno tempus fallere, ac urbanarum molestiarum oblivisci ! O quando fabæ, quas quidem suas cognatas esse Pythagoras affirmabat, et olera larido non nimis pingui condita, in cœnam mihi apponentur ! O tranquillæ noctes ! ô epulæ ab ipsis expetendæ Superis, quibus ipse me familiamque pasco in conspectu meorum Penatium, quibus postquam ciborum primitias obtuli, tum iisdem cibis ego servique mei vescimur. Qui sunt invitati à me convivæ, ii cyatos majores, minoresve, arbitratu suô, ebibunt, legesque urbanis in conviviis servari solitas impunè contemnunt ; sive quispiam largioribus poculis madescere amet, iis ferendis par ; seu modicis libentius utatur. Seruntur inter vina sermones varii, non de aliorum villis, domibusve, neque, rectè an secus Lepos saltet ; sed de iis rebus disserimus, quæ nos

63. *Cognata.* Censebat Pythagoras hominum animas in animalium, imò et leguminum, corpora transmigrare. Poterat igitur fabas appellare cognatas, in quas videlicet humanæ animæ, ac fortasse suorum propinquorum, transmigrassent. Animas enim omnes, quocumque demum transmigrarent, cognatas et affinitate inter se devinctas esse statuebat.

67. *Libatis.* Libare, est primitias ciborum, frugum, etc. Diis offerre.

69. *Legibus insanis.* Quibus, verbi gratiâ, tot cyathos haurire jubebantur, quot erant litteræ et elementa in ejus nomine, cujus in honorem et gratiam bibebant.

Nec malè necne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos
Pertinet, et nescire malum est, agitamus: utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati;
Quidve ad amicitias, usus rectumne trahat nos;
Et quæ sit natura boni, summumque quid ejus.
Cervius, hæc inter, vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. Nam si quis laudat Arellî
Solicitas ignarus opes, sic incipit: Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum;
Asper, et attentus quæsitis, ut tamen arctum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque ille
Sepositi ciceris, nec longæ invidit avenæ:
Aridum et ore ferens acinum, semesaque lardi
Frustra dedit, cupiens variâ fastidia cœnâ
Vincere tangentis malè singula dente superbo:
Quum pater ipse domûs, paleâ porrectus in hornâ,

propiùs spectant, et quarum ignoratio damnosa sit: quid efficere beatos homines queat, virtus, an divitiæ: quænam res conciliare amicitias debeat, honestas an utilitas, in quo positum sit summum bonum. Interim Cervius vicinus noster, pueriles fabellas appositè comiterque denarrat: si quis enim Arellium felicem eo nomine, quod affluit divitiis, fortè prædicet, ignarus nimirum quantis illæ molestiarum curarumque spinis obsitæ sint, hanc fabulam continuo subjungit. Aiunt urbanum murem à rustico mure veteri amico adhibitum fuisse ad convivium, in angusto et exili tecto. Erat ille quidem agrestis mus antiquæ parcimoniæ, nec solitus profundere temerè, ac prodigè quæ multo labore collegerat; ita tamen ut, cùm acciperet hospites, non parum de illa sua frugalitate ac morum asperitate remitteret. Uno verbo, nec ciceri, quod servatum in reconditiori cavo habebat, nec avenæ pepercit, ut amicos gratificaretur: quin, uvas siccas, et laridi corrosa frustula rostro afferebat, id maximè laborans, ut ferculorum varietate fastidium levaret hospitis delicati ac superbi, qui dapes singulas summis dentibus vix attingebat. Cùm interim ipse do-

72. *Lepos.* Saltator eâ tempestate celebris.

75. *Usus* Id est, utilitas. Bellè Ovidius. *Vulgus amicitias utilitate probat.*

85. *Acinum.* Acinus, acina, vel acinum, *un grain de raisin.*

88. *Hornâ.* Præsentis anni.

Esset ador, loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc: Quid te juvat, inquit, amice,
Prærupti nemoris patientem vivere dorso?
Vis tu homines, urbemque feris præponere sylvis?
Carpe viam, mihi crede, comes; terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita, neque ulla est
Aut magno, aut parvo, lethi fuga. Quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus;
Vive memor quàm sis ævi brevis. Hæc ubi dicta
Agrestem pepulere, domo levis exilit; inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Mœnia nocturni subrepere. Jamque tenebat
Nox medium cœli spatium, quum ponit uterque
In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos,

munculæ illius herus, in recenti stramine jacens, comederet frumenti grana, loliumque, cibos exquisitiores suo relinquens hospiti. Demum urbanus mus hunc sermonem cum illo habuit: O bone, quorsum infelicem vitam in hoc montis clivo tandiu vivis? nonne videtur tibi satiùs homines feris, urbem nemori, anteferre? audi me, quæso, et mecum perge; siquidem quæcumque nascuntur in terris animalia mortalem animum acceperunt à Natura, nec mortem sive summis, sive infimis licet effugere. Quocirca, dum fas est, amice, genio indulge, et ita vive, ut semper memineris breve tibi vivendi spatium esse concessum. Hac oratione permotus est mus agrestis, erumpit domo: ambo dant se in viam, urbemque noctu clam subire meditantur. Jam nox dimidium cœli spatium confecerat, cùm ineunt amplam et locupletem domum, ubi lecti ex ebore purissimo elaborat coccineis nitebant stragulis, et

89. *Ador.* Frumenti genus, ab edendo appellatum; vel quòd aduratur, ut è tosto fiat mola falsa ad sacrificia utilis. *Festus.* Alii aliter.

Lolium. Herba quædam est innascens segetibus, easque corrumpens. *De l'ivraie.*

102. *Cocco.* Coccum, granum arbusculæ, aquâ maceratum, adhibetur ad purpuram ardenti roseo colore, quem Galli vocant *écarlate*, tingendam.

103. *Canderet.* Non tantùm usurpatur id verbi ad significandum colorem album, sed quemlibet alium splendidum et vividum: sicut purpureus color, de candido interdum dicitur.

Vestis. Stragulam intellige, quâ lecti sternuntur.

Multaque

Multaque de magnâ superessent fercula cœnâ,
Quæ procul extructis inerant hesterna canistris.
Ergo, ubi purpureâ porrectum in veste locavit
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatque dapes; necnon verniliter ipsis
Fungitur officiis, prælibans omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutatâ sorte, bonisque
Rebus agit lætum convivam: quum subitò ingens
Valvarum strepitus lectis exclusit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave, magisque
Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
Personuit canibus. Tum rusticus: Haud mihi vitâ
Est opus hac, ait, et valeas; me sylva, cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo

multæ dapes ex ingenti cœna relictæ servabantur, in varias corbes pridie congestæ. Igitur mus urbanus postquam rusticum murem in purpureo torali, toto stratum corpore collocavit, huc illuc ipse concursat instar servi ad ministrandum præcincti, et alios ex aliis, nullâ interpositâ morâ, cibos apponit; partes omnes et numeros vernarum ministrantium implet, atque ut nihil nisi lautum apponat hospiti, singula prægustat, delibatque. Agrestis mus tam optimæ accumbens mensæ, triumphat gaudio, conditionem suam in melius mutatam sibi gratulatur, ac felici fortunâ fruens, vultu ipso lætitiam et hilaritatem quam boni convivæ solent, præfert. At ecce tibi aperti magno cum strepitu fores; exilit uterque lecto, ac per totum cubiculum trepidus discurrit: auctus majorem in modum est pavor, ubi canes latratu multo amplam domum implevere. Tum vero mus agrestis urbanum ita compellare cœpit: Valeas cum ista tua vita, nihil habet illa quod me juvet; placet mihi mea sylva, meus cavus: ibi oleribus quidem parcè ac duriter vivam, ac facilè me consolabitur animi tranquillitas, quam nullæ insidiæ, nulli metus perturbabunt.

108. *Verniliter.* Hoc est, vernarum in morem.

112. *Lectis.* In quibus accumbebant ad mensam: discubitoriis.

114. *Molossis.* Molossia Epiri pars, in Græcia, ubi generosi canes.

117. *Ervo.* Ervum, genus leguminis, *ers.*

SATYRA VII.

Servus, post acceptam ab hero facultatem loquendi, facetè illum et acriter objurgat describitque.

JAMDUDUM ausculto, et cupiens tibi dicere servus
Pauca, reformido. Davusne? Ita, Davus, amicum
Mancipium domino, et frugi, quod sit satis: hoc est,
Ut vitale putes. Age, libertate Decembri,
Quando ita majores voluerunt, utere; narra.
Pars hominum vitiis gaudet constanter, et urget
Propositum; pars multa natat, modò recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Sæpe notatus
Cum tribus annellis, modò lævà Priscus inani.

JAm pridem aures tibi dicenti præbeo, mi here, impediorque metu ac reverentiâ ne te paucis alloquar, licèt id maximè cupiam. Quis hîc loquitur? an Davus? Is ipse, servus tuus, tibique non ingratus, ac eâ probitate præditus, quâ majorem in mancipio non requiras, ad hoc nempe, ut eum vitâ dignum et servandum esse putes. Loquere sanè, et, siquidem agitantur modò Saturnalia, utere libertate quam nostri majores concessam servis hoc Decembri mense voluerunt: Incipe. Alii constantes sunt in suis vitiis et quam instituere primùm viam, in ea hærent: alii plerique huc illuc fluctuant, nunc virtutem

1. *Ausculto.* Quasi aure subrectâ capto loquendi occasionem. Auscultare propriè dicuntur, qui timidè et reverenter audiunt, qui morem alicui gerunt.

4. *Vitale.* Licebat dominis servos impunè occidere: ait igitur servus se satis probum esse, ut vivere ab hero sinatur.

Libertate Decembri. Saturni festa mense Decembri celebrabantur; per hos dies servis licebat loqui et vivere liberiùs; imò quoddam in suos heros imperium exercebant, eorum induebant vestes, etc. Domini verè servilibus muneribus fungebantur. Quod quidem à Romanis idcirco erat institutum ut cogitarent domini se à servis non naturâ sed conditione et casu distare, ac proinde moderatiùs imperarent.

7. *Natat.* Qui adverso natant flumine, illi sæpe abripiuntur à profluente, interdum obluctantur, etc.

9. *Tribus annellis.* Annulos plures gestare pars luxûs et os-

Vixit inæqualis, clavum ut mutaret in horas:
Ædibus ex magnis subitò se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honestè.
Jam mœchus Romæ, jam mallet doctus Athenis
Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, postquam illi justa chiragra
Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque
Mitteret in pyrgum talos, mercede diurnà
Conductum pavit. Quantò constantior idem
In vitiis, tantò leviùs miser ac prior illo,

amplectuntur, nunc vitio se dedunt. Talis ille Priscus fuit, quem cernere erat aliquando tres annulos gestantem; aliquando nullum, adeo parum sibi constabat. Latumclavum sæpius eodem sumebat die, ac deponebat, aut aliis mutabat vestibus: ex ampla domo in tugurium vile commigrabat, in quo libertinus paulò honestior non sine pudore habitasset. Nunc Romæ vitam vivebat voluptatibus fœdissimis inquinatam: nunc Athenas recipere se gestiebat, ut ibi litteris operam ac sapientiæ daret. Diceres illum iratis omnibus Vertumnis natum fuisse. Cùm Volanerio percelebri scurræ, libidinum ultrix chiragra digitos contorsisset, ac mancos inutilesque reddidisset, servum ille domi aluit, ac certum ipsi pretium in singulos dies constituit, ut pro ipso talos ex alveolo et lusoria tabula sumeret, atque in fritillum immitteret. Laudo constantiam hominis,

tentationis erat. Plinius omnes ferè digitos onerari annullis ætate suà solitos docet: imò uni digito plures aliquando insertos.

Læva. Annulus vulgò sinistræ manûs digitis inditur.

14. *Vertumnis.* Vertumnus, veterum Deus, idem fortasse ac Proteus, vertebat se in omnes formas: prudenter tamen decenterque, ut ait Propertius Lib. IV. Eleg. 2. quod nequaquam faciebat Priscus, qui eam ob rem iniquis, id est, iratis infensisque omnibus Vertumnis natus dicitur; in quo scilicet inconstantiam Vertumni cerneres, prudentiam Vertumni et modum desiderares. Vertumnos porrò dicit vates numero multitudinis, quia licèt unus esset Vertumnus, multiplex tamen dici poterat, tam multas induebat formas.

17. *In pyrgum.* Pyrgus, Græcè ϖύργος, est turris seu turricula, quo nomine Latini appellant illud vasculum, in quod tali conjecti agitantur, ut inde effundantur in tabulam lusoriam: fritillum etiam vocant et orcam: Galli, *un cornet.* Habent vetusti codices aliquot, *in phimum.* Est autem Græcis φιμὸς idem quod fritillus Latinis.

Qui jam contento, jam laxo fune laborat.
Non dices hodie, quorsum hæc tam putida tendant,
Furcifer? Ad te, inquam. Quo pacto, pessime? Laudas
Fortunam, et mores antiquæ plebis; et idem,
Si quis ad illa Deus subitò te agat, usque recuses:
Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse;
Aut quia non firmus rectum defendis, et hæres,
Nequicquam cœno cupiens evellere plantam.
Romæ rus optas, absentem rusticus Urbem
Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus
Ad cœnam, laudas securum olus, ac, velut usquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis, amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum. Jusserit ad se

nunquam à seipso, neque ab improbitate et nequitia semel arrepta dissidentis, atque hunc idcirco reor minus miserum, iis, qui modò laxant habenas vitiis, modò contrahunt easdem ac reducunt. Semperne ita perplexè loqueris, furcifer? nunquamne dices clarè quid tibi velis, et quisnam ille sit, in quem tam gravia probra jactas? Ego verò, de te ipso, here, loquor. De me, nebulo? quomodo tandem? Nempe veterum Romanorum conditionem vitæ, ac frugalitatem magnis effers laudibus: atqui, si quis te Deus ad eam sortem adigat, si moribus istis antiquis vivere te compellat, nolis profectò: vel quia persuasum non habes, quamvis id maximè dicas, eam vivendi rationem esse optimam et pulcherrimam: vel quia partes priscæ illius virtutis ac severitatis non tueris constanter, ideoque in cœno vitiorum immersus manes, nequicquam hinc emergere laborans, Romæ cùm degis, rusticam vitam prædicas, et in votis habes: cùm es ruri, laudas urbanam: tanta est animi levitas. Si fortè nemo ad cœnam te invitavit, tunc profiteris contentum te frugali mensâ, ubi nullus à venenis et morbis metus, atque ita sortem tuam laudas, quod foris cœnare non

20. *Qui jam contento*, etc. Metaphora ducitur à canibus aut belluis, quæ vinctæ loro, latiùs et liberiùs exspatiantur, si laxetur funis, si reducatur, arctiùs et ægriùs se movent.

21. *Putida.* Molesta, odiosa, inepta.

22. *Furcifer.* Furciferi vocabantur servi nequam: illi enim cogebantur à dominis ignominiæ magis quàm supplicii causâ, circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus.

31. *Amasque.* Vel, te amas, tuâ tibi sorte places. Vel, gaudes, quòd nempe cœnare debeas domi.

Mæcenas serum sub lumina prima venire
Convivam: Nemon' oleum feret ocyus? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, fugisque.
Milvius et scurræ, tibi non referenda precati,
Discedunt. Etenim fateor me, dixerit ille,
Duci ventre levem; nasum nidore supinor;
Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino.
Tu, quum sis quod ego, et fortassis nequior, ultro
Insectere velut melior? verbisque decoris
Obvolvas vitium? quid, si me stultior ipso
Quingentis emto drachmis deprenderis? aufer
Me vultu terrere, manum, stomachumque teneto,

cogaris, quasi quoties ad cœnam te invitant amici, valde invitus annueres, eoque velut injectis vinculis trahendus esses. Attamen si Mæcenas sub noctem te ad cibum domi suæ sumendum adesse jusserit, protinus servos inclamas, Hem! nemo ne unguenta et oleum mihi afferet? Quis vestrûm huc adest? teque statim domo proripis. Milvius parasitus, et scurræ, precati mala tibi multa, quæ recitare nihil attinet, abire coguntur. Equidem satis sentio fore qui mihi objiciant me lautis ferculis capi, et nasum subrigere, ubi exquisitarum dapum odor nares afflavit; sum invalidus, segnis ad obeunda mandata; adde etiam, si lubet, ganeo et popinarum amator, sed tu, cùm iisdem, quibus ego, vitiis labores, et fortasse gravioribus, quid est quod me reprehendas quasi probitate præstares? cur tua flagitia, verbis honestis, et speciosæ orationis dignitate prætexis? Quid, si etiam probaris esse nequior, quàm ego sim, quem tu quingentis drachmis emisti? noli terrorem mihi vultu minaci intentare, manus et iram comprime, dum tibi aperio, quæ à Crispini janitore accepi. . . . . Video quid sis ad tuam

33. *Sub lumina prima.* Sub vesperam, cùm astra lucere primùm occipiunt, et faces domi accenduntur. Mæcenas, utpote districtus gravissimis negotiis, serius cœnebat.

34. *Oleum.* Odoratum scilicet, quo delibuti accumbebant.

35. *Blateras.* Clamitas; temerè ac petulanter vociferaris.

36. *Milvius.* Parasitus, aut cœnipeta, qui Horatium convenerat.

38. *Supinor.* Erigor sursum versus.

39. *Popino.* Popino, popinonis; est, helluo, ganeo.

43. *Drachmis.* Drachma, monetæ genus Græcis usitatæ: respondet denario Romano; assibus verò Gallicis admodum octo.

Dum quæ Crispini docuit me janitor edo.
. . . .
Non sum mœchus, ais. Neque ego, hercule, fur, ubi vasa
Prætereo sapiens argentea. Tolle periclum,
Jam vaga prosiliet frænis natura remotis.
Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
Tot tantisque minor, quem ter vindicta quaterque
Imposita haud unquam miserâ formidine privet?
Adde super dictis, quod non levius valeat. Nam
Sive vicarius est, qui servo paret (uti mos
Vester ait) seu conservus, tibi quid sum ego? nempe

defensionem dicturus : Ego, inquies, non sum adulter. At, si hæc defensio valet, possum ego pariter eâdem uti : Fur non sum, quando supplicii metu, et pœnam sapienter cavens, vasa argentea non surripio : sed fac nullum esse periculum, continuò natura indocilis frænari, jamque timore nullo cohibita, prorumpet ad scelus. Tune dominum te meum esse gloriaris, qui me deterior, ac jure potiori, quàm ego, servus sis? cùm nempe tibi tot ac tanta res atque homines imperitent, cùm nunquam à perturbatione et metu, quem tibi libidines tuæ incutiunt, liber sis futurus, etiamsi Prætoris virga sæpius caput tuum pulsaret. Adde his quæ jam dixi, unum, quod nihilo cæteris levius est ad tuam servitutem demonstrandam : si servus qui servo alteri obedit, quem vos vicarium soletis appellare, est revera æquè servus, atque ille cui paret, ejusque conservus

45. *Crispini.* Erat ille Philosophus, homo putidè ac illiberaliter eruditus : cujus proinde servi aliquid eruditionis haurire à domino potuerant. Ex eorum familiari usu et consuetudine, Horatii servulus, multa quæ captum vulgarem servorum superant, didicerat, ut modò profitetur.

50. *Vindicta.* Bacillus erat quo lictor feriebat caput servi libertate donandi, coram Prætore. Sic dictam volunt à quodam Vindice Publii Poplicolæ servo, qui propter detectam filiorum Bruti conjurationem primus omnium publicè manumissus, et libertate donatus est. Vide Persium Sat. V.

53. *Vicarius.* Proprie dicebatur apud Romanos servus inferioris ordinis, qui servo alteri honestiori parebat, ejusque obibat vices.

54. *Quid sum*, etc. Nempe tuus conservus : tu servus paulò nobilior, at servus tamen, itidem ut ego.

Tu mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque
Duceris ut nervis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? sapiens, sibique imperiosus;
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent:
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, et in seipso totus teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari;
In quem manca ruit semper fortuna. Potesne
Ex his ut proprium quid noscere? quinque talenta
Poscit te mulier, vexat, foribusque repulsum
Perfundit gelidâ; rursus vocat; Eripe turpi

dici debet : quis ego tibi sum? nonne te conservum appellare meum jure possum? quandoquidem tu, qui me habes in tua potestate, servus aliorum es, et ab iis perinde traheris, agerisque, ut illæ machinæ ac simulacra lignea, quæ latentibus intus organis ac fidiculis moventur. Quem igitur censes, ô Dave, liberum? Eum qui sapiens est, qui sibi imperat, qui neque paupertatis, neque mortis aut carceris metu percellitur; qui sat forti est animo, ut cupiditates coërceat, ut despiciat honores; qui nihil habet inæquale, qui totus in se collectus, seque uno est contentus, instar globi ad amussim et unguem perfecti et rotundi, adeo ut nulla res extra ipsum posita, ejus virtuti moras, obicemque ponat; qui nullam ansam fortunæ præbeat quâ ipse teneatur, et illius telis pateat. In iis dotibus num aliquam agnoscis tuam? Petit à te mulier summam talentorum quinque, indignum in morem te tractat, domo expellit, aquâ gelidâ conspergit : iterum te ad se vocat; age, jugum probrosum excute, liberum te esse prædica palàm et clamita. Non potes. Amor enim improbus, instar impotentis domini, te vexat, et calcaribus

56. *Nervis*, etc. Ea quæ ab organis intus latentibus et fidiculis moventur, Græci vocant *αὐτόματα*, id est, *per se incitata; suâ sponte mobilia item : νευρόσπαστα, nervis tracta et agitata*. Tales illæ ferè sunt statuæ loquaces, quas Galli vocant, *des marionettes*, quæ sigilla automata rectè vocaveris.

Lignum. Quidam legunt *signum*.

61. *Per leve*. Per extimam superficiem ita politam, ut nihil adhærescat, quo cursus retardetur.

63. *Talenta*. Talentum aliud Atticum, libris Turonensibus bis mille quadringentis respondens: aliud Ægyptium, valens bis mille sexcentas octoginta octo.

Colla jugo : Liber , liber sum , dic age. Non quis :
Urget enim mentem dominus non lenis , et acres
Subjectat lasso stimulos , versatque negantem.
Vel quum Pausiacâ torpes , insane , tabellâ ,
Quì peccas minùs atq; ego? quum Fulvì, Rutubæque
Aut Placideiani contento poplite miror
Prælia , rubricâ picta aut carbone : velut si
Re verâ pugnent , feriant , vitentque moventes
Arma viri : nequam et cessator Davus ; at ipse
Subtilis veterum judex et callidus audis.
Nil ego , si ductor libo fumante : tibi ingens
Virtus , atque animus cœnis responsat opimis.
Obsequium ventris mihi perniciosius est , cur ?
Tergo plector enim. Quî tu impunitior , illa
Quæ parvo sumi nequeunt opsonia captas?
Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ ,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant

admotis cogit , quamvis defatigatum , ire , ac reluctantem subigit , in omnemque partem vertit. Rursus, cùm tu stupore defixus admiraris pictam aliquam à Pausia tabulam , minusque peccas quàm ego , cùm admirans specto delineatas rubricâ aut carbone pugnas Fulvii , Rutubæ , et Placideiani , qui poplite extenso et obfirmato , ita inter se digladiantur , ac si verum inirent certamen armati , plagas imponerent adversario , intentatas declinarent : ego tamen dicor Davus improbus , desidi sus ac malè cessans ; tu antiquarum tabularum æstimator solers et intelligens prædicaris. Ego si recentis et adhuc fumantis placentæ nidorem avidis haurio naribus , homo nequam et nullius pretii sum : tu autem singulari virtute ac temperantiâ præditus , utpote qui pœnas opiparas nullo negotio possis contemnere. Equidem cùm ventri obsequor , et gulæ indulgeo , plus longè quàm tu ; damni facio ; nam loris uror , et vapulo probè : veruntamen , num tu minori , quàm ego , pœnâ plecteris , cùm illis vesceris dapis , quæ nisi magno pretio comparari nequeunt ? nequaquam profectò ; nam illæ dapes præter modum sumptæ , fiunt in stomacho acidæ , indigestæ et amaræ : dubii vacillantesque pedes , ferendo corpori per crapulam debi-

69. *Pausiacâ.* Pausias nobilis Pictor Græcus, Appellis æqualis.

71. *Contento poplite.* Cùm certant gladiatores , alterum proferunt pedem extenduntque , alterum paulisper inflectunt.

Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtivâ mutat strigili? qui prædia vendit,
Nil servile, gulæ parens, habet? adde, quod idem
Non horam tecum esse potes, non otia recte
Ponere; teque ipsum vitas fugitivus et erro,
Jam vino quærens, jam somno fallere curam;
Frustra: nam comes atra premit, sequiturque fugacem.
Unde mihi lapidem? Quorsum est opus? Unde sagittas?
Aut insanit homo, aut versus facit. Ocius hinc te
Nì rapis, accedes opera agro nona Sabino.

litato, pares non sunt. Flagitium admittit, opinor, servus, qui sub vesperam emit racemum, data strigili quam furto subduxit; qui verò fundos vendit, ut hanc pecuniam impendat in intemperantes epulas, et gulam expleat, is non est animo servili, ac nihil non dignum homine libero facit? His accedat, quod tu non potes vel una hora solus esse, tecumque habitare, ac tempus utili occupatione consumere: tu te ipsum fugis, instar fugitivi servi, et huc illuc temerè discurrens, nunc epulis, nunc somno curas lenire expetis, at incassum; nam funestæ illæ comites te nunquam deserunt, ac fugientem ubique insequuntur. Quis mihi lapidem? . . . . . Quid opus est tibi lapide? Quis sagittas dabit? Nam iste insaniâ laborat, aut condit carmina. Nisi te quamprimùm hinc amoves, furcifer dabis loquacitatis tuæ pœnas, et in agrum meum Sabinum amandaberis, ubi cum octo servis, qui jam illic opus faciunt, terram exerceas.

84. *Strigilem.* Strigilis, est ferreum instrumentum quo scabuntur equi, *une étrille.*

87. *Erro.* Planus, errabundus. Hoc discrimen est inter servos fugitivos et errones, quod fugitivi dominos ita deserebant, ut redituri ad eosdem non essent; errones herilem domum, postquam pertæsum erroris foret, reveniebant.

92. *Opera nona.* Servi rustici erant deterioris, quàm urbani, conditionis; et vulgò vincti faciebant opus in agro, arabant, humum comportabant, etc.

Satyra VIII.

Nasidieni Rufi cœnam et putidas lautitias salsè depingit.

Ut Nasidieni juvit te cœna beati?
Nam mihi convivam quærenti, dictus heri illic
De medio potare die. Sic ut mihi nunquam
In vitâ fuerit melius. Da, si grave non est,
Quæ prima iratum ventrem placaverit esca.
In primis Lucanus aper; leni fuit Austro
Captus, ut aiebat cœnæ pater: acria circum
Rapula, lactucæ, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum: siser, allec, fæcula Coa.

Narra, sodes, Fundani, quàm tibi placuerit cœna, quâ te Nasidienus nuper accepit, homo locuples, scio, ac lautus. Cùm enim aliquem heri, qui mecum cœnaret, quærerem, renunciatum est mihi, te apud eum incepisse à meridie ipso epulari. Ego verò, Horati, nunquam sum epulatus jucundiùs. Narra, quæso, nisi molestum est, quod primum vobis ferculum fuerit appositum. Primum igitur allatus fuit aper, isque captus in Lucania ut Nasidienus affirmabat, austro leniter flante. Circa illum in extrema undique patina sparsæ erant exiguæ rapæ, lactucæ, radices et alia id genus, quæ appetentiam cibi ciere solent: necnon siser, alec, et vini Coi fæx

1. *Nasidieni.* Erat iste Nasidienus, Eques Romanus, homo avarus, qui tamen videri lautus vellet.

3. *De medio die.* Cœnabant Romani vulgò sub vesperam, convivia lautiora maturiùs inchoabant. Comessationes et intemperantes epulæ ab ipso meridie ducebantur.

6. *Lucanus.* Lucania, pars Italiæ prope Calabriam.

Leni austro. Jam putere incipiebat aper iste; ut vitium excusaret Nasidienus, aiebat austro leniter flante captum esse, atque adeo esse teneriorem non rancidum, qualis fuisset, captus flante graviter austro, qui ventus à meridie oritur, et carnes humido calore corrumpit.

9. *Siser.* Herba quædam: Gallis *du céleri*: vel ut alii malunt *des chéruis.*

Allec. Vel *Alec. De la saumure d'anchois.*

Fæcula Coa. Cos insula Græciæ. *De la lie du vin de Cos.*

His ubi sublatis, puer altè cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, et alter
Sublegit quodcumque jaceret inutile, quodque
Posset cœnantes offendere: ut Attica virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes,
Cæcuba vina ferans, Alcon, Chium maris expers.
Hìc herus, Albanum, Mæcenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat, habemus utrumque:
Divitias miseras. Sed queis cœnantibus unà,

delicatior. Postquam autem amotæ fuerunt primæ illæ dapes, ac servus præcinctam altiùs vestem habens, mensam acernam villoso panno abstersit, aliusque servus ea quæ ceciderant humi, quæque nauseam parere convivis possent, collegit; ecce tibi subit Hydaspes, facie subnigrâ, composito gradu, instar puellæ, quæ sacra Cereris gestaret: hic vinum ferebat Cæcubum, Alcon verò vinum, ex insula Chio, ut ciebant, advectum, licèt, opinor, mare nunquam vidisset. Tum Nasidienus, Si vina hæc, inquit, quæ modò allata sunt, tibi, Mæcenas, minùs arrident, si Albanum vel Falernum vinum magis placet, utrumque dare possumus: nam hæc quoque vina nobis suppetunt affatim. Hominem miserè divitem, qui, cùm habeat domi vina optima, iis non utatur, eaque convivis non apponat! Sed scire pervelim, Fundani, quinam alii tecum fuerint

10. *Acernam.* Acer, arbor quædam, vulgò *de l'érable:* ex ea fiebant elegantes mensæ, viliores tamen quam citreæ.

11. *Gausape.* Linteum quoddam est, seu pannus villosus.

13. *Attica.* Atheniensis. Ceres præcipuè colebatur in Attica: festo ejus die Virgines lectæ canistra capiti imposita, sive cistellas, in quibus erant Cereris sacra, gestabant per urbem, vultu et incessu ad insignem modestiam composito.

15. *Maris expers.* Minimè transmarinum: Italum re, Græcum, sive Chium, nomine et verbo tenus. Ita exposui. Docet Plinius moris fuisse, ut vina Græca temperarentur et condirentur infusa leviter aquâ marinâ. Quam in sententiam ita exponi locus iste potest, ut dicatur Nasidienus omisisse hanc deliciarum partem, et vinum Græcum aquæ marinæ non admixtum convivis apposuisse.

16. *Albanum.* Vinum quod in agris ad Albam urbem Latii positis legebatur.

18. *Divitias miseras.* Hæc verba quidam tribuunt Nasidieno, extenuanti suam copiam, quasi diceret: Habemus vinum Albanum et Falernum, sed hæc vina modò sunt adeo vulgaria, ut iis abundare non sit hominis valdè opulenti, imò egentis et miseri. Eodem ironico sensu, tribui possunt

Fundani, pulchrè fuerit tibi, nosse laboro.
Summus ego, et prope me Viscus Thurinus, et infra,
Si memini, Varius: cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Mæcenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
Ridiculus totas simul absorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, si quid fortè lateret,
Indice monstraret digito. Nam cetera turba,

in hac jucundissima cœna convivæ. Accumbebam ego in summa primi lecti parte. in media Viscus Thurinus, et in infima, si bene commemini, Varius. In secundi lecti summâ parte Servilius Balatro: in ima Vibidius, in media Mæcenas, qui hos duos, etsi à Nasidieno minimè invitatos, secum adduxerat. In tertio lecto supra ipsum Nasidienum summus erat Nomentanus, infra Porcius, qui risum nobis omnibus ciebat, dum integras placentas uno haustu deglutiebat. Nomentanus verò adesse videbatur, ut si quid exquisitæ dapis convivas fortasse fugeret, hoc ipsis digito indicaret. Nam cæteri, quibus, perindè ac mihi, palatum non adeo subtile ac eruditum est, Nos, inquam, in lautioribus conviviis apposita nonnunquam habemus conchylla, pisces, aves, saporis multò exqui-

Horatio et Fundanio, sic: Magnas enimverò et egregias opes! Erant enim hæc vina quasi domestica, laudabantur græca et foris advecta.

19. *Fundani.* Erat ille Comœdiarum scriptor, insigniter dicax et malè salsus.

20. *Summus*, etc. Tres vulgò in triclinio lecti erant strati: medius honoratissimus erat; et in singulis, medius locus aliis nobilior.

Viscus Thurinus. Addidit, Thurinus, opinor, ut eum à fratre ipsius Visco distingueret. Erat autem Thurium, oppidum Calabriæ in Italia, in ora sinûs Tarentini, nunc dirutum.

22. *Umbras.* Umbræ dicebantur illi convivæ, qui non ipsi erant vocati, sed alios vocatos, viros nobiles, aut amicos, honoris vel cœnæ causâ comitabantur, ut umbra corpus assectatur.

Simul. Quidam legunt *semel.*

26. *Cetera turba*, etc. Præter eum quem habes in interpretatione, sensum, et explanationem, potest itiam ita exponi locus iste difficilis, quem pro more suo interpretes leviter delibant. Nomentanus commendabat convivis dapes appositas, licèt essent parum exquisitæ, adeo ut persuadere nobis conaretur inesse illis succum et saporem penitùs ab eo diversum quem noscebamus et sentiebamus. Quod adeo sum expertus, cùm mihi porrexerit ilia passeris et rhombi, tanquam rem suavissimam, quæ

Nos, inquam, cœnamus aves, conchylia, pisces,
Longè dissimilem noto celantia succum;
Ut vel continuo patuit, quum passeris assi, at-
que ingustata mihi porrexerit ilia rhombi.
Post hoc me docuit melimela rubere minorem
Ad Lunam delecta. Quid hoc intersit, ab ipso
Audieris meliùs. Tum Vibidius Balatroni,
Nos, nisi damnosè bibimus, moriemur inulti;
Et calices poscit majores. Vertere pallor
Tum parochi faciem, nil sic metuentis ut acres
Potores, vel quod maledicunt liberius, vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.

sitioris, quàm qui vulgò iis inesse creditur: itaque aliquo indigemus qui nobis ea commonstret fercula. Quod equidem ita esse statim comperi, siquidem obtulit mihi ille ventrem passeris et rhombi, quæ nemo nostrûm attigerat, quod ignoraremus quantum in iis lateret boni. Ex eodem subinde cognovi, poma, quæ melimela nuncupantur, rubei coloris haud paulò vividioris esse, si tunc legantur ex arbore, cùm Luna crescere incipit. Quid momenti hoc habeat ad ruborem hunc pomis illis conciliandum, ipse te meliùs et rectiùs, quàm ego, docuerit. Interea Vibidius Balatronem compellans: Hem, inquit, nisi cum ingenti hospitis nostri damno bibimus, ille nos odiosis suis sermonibus et molestis enecabit impunè. Haud mora, capaciora flagitant à ministris pocula. Expalluit perculsus hac denunciatione Nasidienus, qui nihil æquè pertimescebat ac validos illos potores, sive quia sunt ad convicia licentiamque maledicendi liberiores; sive quòd vinum haustum largius, palatum

tamen à me relicta sunt ingustata, et quæ insulsa penitùs esse deprehendi.

29. *Passeris.* Passer hoc loco piscis est; quem Galli vocant *plie* aut *carrelet.*

30. *Rhombi.* Rhombus, un *turbot.*

31. *Melimela. Poma exigua,* mellei saporis, μελίμηλα, μέλι, mel, μῆλον, pomum; *des pommes de paradis.* Mustea quoque dicebantur, à celeritate mitescendi.

Minorem. Crescentem an decrescentem: utrobique enim minor est, magis tamen cùm decrescit, ac velut evanescit.

36. *Parochi.* Hîc convivatorem significat, eum qui præbet convivium, à παρέχω, *præbeo.*

38. *Exsurdant palatum.* Surdum reddunt, id est, hebes, et obtusum: traducta scilicet ab auribus, ad os et gustum, metaphora.

Invertunt Alliphanis vinaria tota
Vibidius, Balatroque, sequutis omnibus: imi
Convivæ lecti nihilum nocuêre lagenis.
Affertur squillas inter muræna natantes
In patinâ porrecta. Sub hoc herus; Hæc gravida, inquit,
Capta est, deterior post partum carne futura.
His mistum jus est oleo, quod prima Venafri
Pressit cella; garo de succis piscis Iberi,

hebetat, obtunditque saporem ciborum. Vibidius et Balatro nihilo secius amphoras integras repetitis cyathis exhauriunt, quos ceteri præclarè sunt imitati, qui in infimo lecto accumbebant: præcipui tamen convivæ perparum damni lagenis intulerunt. Aliquantò post, expositam et jacentem in ingenti lance murænam afferunt servi, quam stipabant in patinæ orâ squillæ, multo jusculo immersæ. Ibi Nasidienus, quam videtis, ait, murænam, ea gravida capta fuit, pejor foret post partum: at condimentum in quo squillas natantes cernitis, ex his rebus mixtum et temperatum est; videlicet oleo Venafrano, quod primum fuit ex olivis expressum; garo, ex pisciculis Hispaniensibus maceratis confecto; tum vino

39. *Alliphanis.* Subaudi poculis. Alipha, *Alife.* Samnii oppidum inter Venafrum et Beneventum ubi scyphi celebres fiebant.

40. *Secutis omnibus imis.* Vulgò sic legitur: hoc sensu; omnes, imis in lectis accubantes, imitati bellè sunt Balatronem et Vibidium; at se lecti et primores convivæ, ut Mæcenas, Viscus, etc. ne rem ingratam Parocho facerent, lagenis pepercerunt. Aliis interpungere sic placet: *secutis omnibus: imi convivæ lecti*, Porrò hanc afferunt causam, cur imi lecti convivæ Nomentanus et Porcius, lagenis parciùs indulserint, quia scilicet erant parasiti Nasidieni, quem ista parcimonia mirificè delectabat.

42. *Squillas.* Pisculi sunt marini, *des squilles.*

Muræna. Piscis nobilis, *une lamproie.*

45. *Prima cella.* Optima apotheca, primum torcular. Cella propriè non premit olivas nec oleum ex iis exprimit, sed pressum in torculari, servat, conditque. Est autem oleum præstantissimum, quod primò, et quasi suâ sponte ex olivis ejicitur.

46. *Garo.* Garum liquamen quoddam erat, sive succus confectus ex intestinis maceratorum in muria pisciculorum maximè scombrorum, qui frequentes capiebantur in Hispanore littore ad Carthaginem novam.

Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur; (cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud) pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnæam vitio mutaverit uvam.
Erucas virides, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere: illotos Curtillus echinos,
Ut meliùs muriâ, quàm testa marina remittit.
Interea suspensa graves aulæa ruinas
In patinam fecêre, trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos majus veriti, postquam nihil esse pericli

Italo, à quinque annis lecto; quod quidem inditum est dum jus coqueretur, nam postquam est remotum ab igne et coctum, tunc affundendum est vinum Græcum ex insula Chio, quod huic juri unum omnium maximum congruit: additum est piper album, nec omissum fuit acetum ex vino Lesbio factum. Ego primus omnium docui in eo jure incoquendas esse erucas et inulas; Curtillus autem echinos non ablutos fluviali aquâ in eodem coquere monstravit, idque melius esse et ad saporem opportunius, nimirum si coquantur cum muria et salsugine, quæ remanere solet in vase, ubi pisces aquâ marinâ macerantur. Dum hæc Nasidienus edissereret, vela quæ supra

47. *Citra mare.* Dividitur Italia à Græcia, interjecto mari Mediterraneo, nempe extrema sinûs Adriatici parte, sinu Ionio, etc.

50. *Methymnæam.* Methymna, urbs est primaria Insulæ Lesbi, in mari Ægeo, *Metelin.*

Vitio. Acetum est aliud nihil, quàm vinum vitiosum, et arte corruptum.

Mutaverit uvam. Id est, aceto, per quod acidum, è leni et nativo, erat factum vinum uva Lesbia olim contentum, ex uva eductum.

51. *Erucas*, etc. Eruca, herba est amarior, quæ variis modis condiebatur, et mitescere docebatur: *de la roquette.*

Inulas. Inula, *de l'aunée.*

Curtillus. Epicureus nescio quis; et ganeo tunc notus.

53. *Quam testa*, etc. Potest accipi testa, pro ipsa concha pisciculorum, quæ succo salso, instar muriæ, vulgò est referta. Marinam testam, interpretes multi exponunt, Græcam ollam et peregrinam, Byzantiam.

54. *Aulæa.* Umbellæ quædam et panni pensiles, mensæ imminentes sublimè, *un dais.*

56. *Campanis.* Campania pars Italiæ, ubi Roma.

57. *Nos majus veriti.* Ne scilicet rueret ipsum lacunar.

Sensimus, erigimur. Rufus, posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere. Quis esset
Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret? Heu, Fortuna, quis est crudelior in nos
Te, Deus? ut semper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappa compescere risum
Vix poterat. Balatro, suspendens omnia naso,
Hæ est conditio vivendi, aiebat; eoque
Responsura tuo nunquam est par fama labori.
Teue, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum; ne panis adustus,
Ne malè conditum jus apponatur; ut omnes
Præcincti rectè pueri, comtique ministrent?
Adde hos præterea casus: aulæa ruant si,

mensam sublimè incumbebant, subitò in hanc, ubi erat murœna porrecta, lancem, corruunt nigro cum pulvere, quantus excitari solet in agris Campaniæ, cùm eos Aquilo converrit. Omnes perculit metus, ne quid exitii majoris immineret: ubi compertum fuit nihil periculi esse, collegimus nos à pavore et respiravimus. Nasidienus demisso capite cœpit lacrymis non aliter se dedere, quàm si filium immatura mors ipsi eripuisset: neque verò lugendi fecisset finem, nisi Nomentanus pro sua sapientia his verbis amicum erexisset. Eheu Fortuna! Quis Deorum omnium te sævior est erga nos Deus! Itane semper gaudebis res humanas perturbare, ac voluptatem tibi è nostris malis comparare? Varius opposita ori mappa vix tenebat risum. Balatro jocos ex re qualibet captare, et ubique ridere amans, Hac conditione, inquiebat, nati sumus, ut multis et variis casibus exposita sit vita nostra: eam ob rem vix quempiam reperias, cujus laboribus eventus æquè felix et hominum par approbatio respondeat. Æquumne tandem est, sic cruciari te, ut epuler hîc ego splendidè; teque anxium interim ac miserè sollicitum esse, ne panis adustus apponatur, ne jus inscitè sit confectum, ut omnes servi collectis eleganter vestibus, et bene pexi cultique, officiis fungantur? His adjice tristes et acerbos casus, si, verbi gratiâ, aulœa trahant ruinam in patinas, ut modò contigit; si fallente vestigio ro-

58. *Rufus.* Cognomen est Nasidieni.

60. *Sapiens.* Ironicè.

63. *Mappa.* Romani mappam vocabant quam nos mantile nunc dicimus, *une serviette.* Mantile verò mensæ insternebant.

Ut modo; si patinam pede lapsus frangat agaso.
Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adversæ nudare solent, celare secundæ.
Nasidienus ad hæc: Tibi Di quæcumque preceris,
Commoda dent! ita vir bonus es, convivaque comis;
Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres
Stridere secreta divisos aure susurros.
Nullos his mallem ludos spectasse. Sed illa
Redde, age, quæ deinceps risisti. Vibidius dum
Quærit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dentur pocula; dumque
Ridetur fictis rerum, Balatrone secundo:

labens servus ineptus et agrestis catinum rumpat. Sed hominis lauti et elegantis in apparando convivio indoles et industria, non secus ac ducis in exercitu gubernando, tum præsertim elucet, cùm quid sinistri accidit; eadem verò latet cùm omnia succedunt è sententia. Demulsit hæc Nasidienum oratio: Næ tu, inquit, conviva festivus et humanus es; Superos omnes vicissim precor, ut propitii tibi sint, et omnia quæ vis, jubeant evenire. Mox crepidas postulat. Hîc omnes in aurem garrire unoquoque in lecto, et leni murmure jocari vidisses. Mihi quidem nulla Comœdia, ludi nulli jucundiores acciderunt: perge porro, narra quæ deinceps risum tibi moverunt. Dum Vibidius à servis sciscitatur num amphoræ quoque fracta sit, quòd nemo sibi postulanti misceret, dum omnes pro se quisque dicta dicunt, et jocis indulgent, incendente risum Balatrone et suas in hac scena partes insigniter agente, revertitur Nasidienus, vultu ab tristitia traducto ad hilaritatem, quasi

72. *Agaso.* Propriè is est, qui equos curat, *un palefrenier*, vel; qui mulos agit, quique vulgò dicitur, mulio, *un Meunier*, *un Muletier.* Tales fortasse erant ministri Nasidieni, incompti videlicet, ineptique ad ministrandum.

77. *Soleas.* Cœnaturi calceos deponebant, induebant soleas, quas, lectos discubitorios conscensuri, demebant, et ad lectorum pedes collocabant. Solea porrò sic dicta est, quod pedis solo subjiciatur; et infimas plantarum calces tegat: *une pantoufle.*

83. *Fictis rerum.* Rebus ad jocum et risum fictis re et tempore.

Secundo. Vel, applaudente: vel secundas quasi partes agente, et aliis naviter subserviente.

Nasidiene, redis mutatæ frontis, ut arte
Emendaturus fortunam. Deinde sequuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo, non sine farre,
Pinguibus et ficis pastum jecur anseris albi,
Et leporum avulsos, ut multò suavius, armos,
Quàm si cum lumbis quis edit. Tum pectore adusto
Vidimus et merulas poni, et sine clune palumbes;
Suaves res, si non causas narraret earum, et
Naturas dominus: quem nos sic fugimus ulti,
Ut nihil omnino gustaremus: velut illis
Canidia adflasset, pejor serpentibus Afris.

qui Fortunæ injuriam sarcire industriâ et virtute meditaretur: hunc proximè sequebantur ministri duo gestantes in ingenti patina gruem articulatim concerptam, et multo sale ac tritico inspersam: ferebant iidem jecur albi anseris, ficis saginatum et dereptos leporibus humeros, tamquam partem ipsorum multò suaviorem, quàm si essent lumbis adjuncti. Simul appositæ sunt merulæ semiustæ et palumbes clunibus spoliatæ. Opipara sane et exquisita fercula, quæ nobis etiam accidissent suaviora, nisi domus et cœnæ pater, multus fuisset in explicandis earum rerum causis, naturis et dotibus; cujus nos garrulitatem et præposteram sapientiam merita pœna scilicet affecimus. Fugam enim arripuimus, ejusque dapes ingustatas reliquimus, quasi omnibus Africæ anguibus tetrior Canidia flatu suo et ore pestifero, venenum ipsis præsentissimum inhalasset.

86. *Mazonomo.* Mazonomum, genus est lancis escariæ.

89. *Avulsos armos.* Videtur hoc meritò ridere et reprehendere Horatius. Laudantur enim magis lumbi leporum quàm armi.

91. *Sine clune.* Quæ pars tamen in columbis, pectori, et armis præfertur: in quo Nasidieni inscitiam carpit.

95. *Canidia.* Venefica versibus Horatianis abundè nota.

FINIS SATYRARUM.

INDEX

Rerum quæ in Notis hujus partis explicantur, secundùm litterarum seriem digestus.

A

Metellus

EXPLICIT INDEX.

EPISTOLARUM
LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.

AD C. CLINIUM MÆCENATEM.

Se, omissis versibus ludicris, totum esse in philosophia perdiscenda, quæ frænare cupiditates, et omnia virtuti posthabere, docet.

PRIMA dicte mihi, summâ dicende camœnâ,
Spectatum satis, et donatum jam rude, quæris,

O Mæcenas quem primis meis versibus laudavi, quem ultimis meritò celebrare debeo, cupis reducere me in veterem

Epistolarum. Quædam Satyræ, ex iis quas prioribus duobus libris scripsit Horatius, dici Epistolæ possunt; inscribuntur enim et mittuntur Mæcenati, Trebatio, etc. Satyras tamen appellare maluit, quia in illis vitia graviori et acriori stylo reprehendi: Epistolas verò istas nuncupavit, tum quia reipsâ omnes principibus viris aut amicis inscriptæ, tum quia in iis non tam carpit vitia, quàm virtutes commendat, idque leniori et amœniori stylo. Continent igitur isti quatuor Satyrarum et Epistolarum libri perfectam rectè vivendi artem, quæ in pernoscendis fugiendisque vitiis, et in colendis virtutibus unicè consistit.

1. *Primâ camœnâ.* Prima pars carminum Horatii, Odæ sunt, in quibus multus de Mæcenate sermo. Altera pars Satyras et Epistolas continet, quam itidem Mæcenati suo consecrat dedicatque.

2. *Spectatum me.* Satis populo cognitum è meis scriptis.

Donatum rude. Rudis, erat bacillus, seu virga impolita, et rudis; aut, ut quidam volunt, ensis ligneus, dari solitus gladiatoribus, qui vacationem et quasi missionem ab arte gladiatoria obtinuerant post certos annos in ea transactos, vel ob egregium aliquod facinus. Vulgò tres annos depugnabant in arena, priusquam rude donarentur. Illud autem insigne palam gestabant

Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem est ætas, non mens. Veianius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extremâ toties exoret arenâ.
Est mihi purgatam crebrò qui personet aurem:
Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat.

arenam, licèt, populo spectante et probante, satis jam in ea sim versatus, imò et rudem acceperim. Non sum eàdem, quâ eram olim, ætate; non eodem animo. Vejanius, insignis ille haud ita pridem gladiator, postquam arma suspendit ad Herculei templi valvas, secessit in villam, ubi senectutem in otio tranquillam et ignotam degit, ne sæpius cogatur missionem à populo, post certamen peractum ut aliàs factitavit, exposcere. Audire aliquem videor, qui mihi hæc in aurem dicat, docilemque et attentum sic admoneat, Si sapis, equum senio fractum

honoris ergo, et velut emeriti habebantur, ac proprio vocabulo *rudiarii* appellabantur.

3. *Ludo.* Ea vox hoc in loco significat, palestram, et arenam in qua depugnabant gladiatores, aut in qua gladiatoriam artem perdiscebant. Metaphoricè hîc sumitur pro palestra poëtica, pro lyrica poësi.

5. *Herculis ad postem.* Qui desinebant ac deponebant artem aliquam, ejus instrumenta Deo illius artis præsidi et patrono, consecrabant, eaque in ipsius templo suspendebant. Colebant autem gladiatores Herculem olim, ob fortitudinem, et vires corporis, inclytum. Per postem janua tota intelligitur; per januam, templum ipsum.

6. *Ne populum*, etc. Gladiatores, quamvis donati rude, tamen aliquando descendebant in arenam, ab aliquo nobili cive, aut à populo postulati; interdum præmiorum illecti spe. Vejanius igitur à populo sæpè postulatus, et ad pugnam repetitus, ab eodem sæpe missionem petierat, sive laboris tædio, sive senio fractus. Neque enim gladiatoribus in ludum et arenam semel ingressis, aut in eam revocatis licebat injussu populi discedere.

Extremâ arenâ. Arena dicebatur locus vacuus et instar oblongi circuli patens, circa quem undique assurgebat amphitheatrum. Porro gladiatores petituri missionem à populo, ex media arena se ad extremam ejus partem, ubi ferò sedebat populus, conferebant, ut propriùs supplicarent.

7. *Purgatam.* Docilem, attentam; minùs aptæ ad audiendum sunt aures collectis sordibus plenæ.

Personet aurem. Pro, per aurem sonet.

9. *Ilia.* Ima pars viscerum, quæ trahi et tendi solet ab anhelantibus.

Nunc itaque et versus, et cetera ludicra pono :
Quid verum, atque decens, curo et rogo, et omnis in hoc sum :
Condo, et compono quæ mox depromere possim.
Ac ne fortè roges, quo me duce, quo lare tuter,
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes.
Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis,

maturè à curru disjunge, ne demum fatiscens, ac spiritum ægrè ducens, det risum spectatoribus, ac turpiter explodatur. Quamobrem decrevi à lyricis versibus, et cæteris id genus nugis omnino abstinere. Ea me verò cura nunc sollicitum habet, ut sciam quid veritati et æquitati deceat : idipsum ab iis qui me docere possunt, percontor, id unum studeo et cogito. Recondo in animo, et mecum ea meditor, quibus tempestivè utar. Ac ne fortasse quæras ex me, quem bene vivendi ac recte sentiendi ducem, quam Philosophorum scholam sequar; equidem nulli certo doctori addictus et obstrictus, ad eos accedo, et eorum amplector sectam, ad quos me occasio, ut nautam ad littus aliquod tempestas detulit : nec tanquam domesticus et in certam ascriptus familiam, sed tanquam hospes et externus

11. *Quid verum.* Ea vox *verum* sæpe sumitur pro æquo, et consentaneo.

13. *Lare.* Lar, Deus erat, cujusque familiæ proprius. Pro ipsa domo et familia sæpe usurpatur. Erant variæ Philosophorum sectæ primariæ et quasi familiæ : ut Academici ex Platone; Peripatetici ex Aristotele; Stoïci ex Zenone; Cyrenaïci ex Aristippo prognati, etc.

14. *Addictus jurare.* Græca locutio, pro, addictus ad jurandum; obligatus, obstrictus.

Jurare in verba. Jurabant milites in verba imperatoris, cum sacramento militari se obligabant. Hoc vates à militia traducit ad litteras, et Philosophorum sectas.

15. *Tempestas.* Occasio, libido.

16. *Agilis.* Vernaculè diceres, *agissant, entreprenant, intrigant.*

Mersor, etc. Inter Philosophos veteres, alii, ut Epicurei, negabant sapientem debere ad Rempublicam administrandam accedere, et in negotiorum tumultu versari, sed omnia suâ causâ facere; de se uno, de vita pacatè, ac tranquillè suaviterque degendâ sollicitum esse, ita ut res omnes ad suam unius voluptatem commodumque revocaret, nunquam verò ullis rebus revocaretur ab otio illo suo et tranquillitate, ita, ut negotiis quasi subjiceretur ac serviret. Alii, ut Stoïci et Peripatetici, sapientem à Reipublicæ administratione non amovebant.

Virtutis veræ custos, rigidusque satelles;
Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus submittere conor.
Ut nox longa, quibus somni est pars nulla diesque,
Lenta videtur opus debentibus; ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora, quæ spem,
Consiliumque morantur agendi gnaviter id quod

huc illucque commigro. Modò me actuosæ vitæ totum dedo, tanquam in medios negotiorum fluctus me conjicio, ac Stoïcorum more rigidus honesti rectique vindex sum et defensor. Modò ad Aristippi disciplinam et præscripta me paulatim refero, ac pro viribus operam do, ut eventus varii ac negotia mihi meisque commodis serviant, potiùs quàm ego negotiis serviam ac memet accommodem. Quemadmodum noctem esse longam queruntur ii qui obdormiscere aut tranquillo somno frui nequeunt: ac dies contra longior videtur iis, qui ad certum opus faciendum conducti sunt: quemadmodum anni lentiùs fluere ac labi videntur pupillis, qui adhuc severâ matrum in potestate ac tutela sunt: sic omnis mihi mora longa pariter et injucunda est, quæ impedit quominus strenuè incumbam, ut volo, ac vehementer expeto, in studium ejus rei, quæ summam utilitatem divitibus pariter ac pauperibus affert; quæ, si negligatur, ma-

Civilibus undis. Comparat Rempub. procelloso mari; negotia fluctibus, etc.

17. *Virtutis*, etc. Stoïci summum bonum in virtute ponebant, voluptates repudiabant, etc.

Satelles. Un zélé partisan de la vertu.

18. *Aristippi.* Summum bonum in voluptatibus reponebat; eas tamen non nimis anxiè sectabatur, sed in præsentibus acquiescebat, commodum suum ex iis rebus quæ aderant captans, et nihil ægritudinis aut negotii sibi adsciscens è quolibet eventu. Qui Aristippum secuti sunt Philosophi, ab ejus Patria Cyrene, urbe Libyæ, Cyrenaïci fuerunt appellati.

Relabor. Primùm enim Epicureis addictus fuit, à quibus nunquam planè descivit: itaque se velut incogitantem et furtim ad eos relabi profitetur, studio videlicet ac propensione abreptum.

22. *Pupillis.* Pupillus dicitur, qui orbatus est patre: orphanus, qui patre et matre. Porro pupilli sunt in tutorum fide et cura, aut etiam matrum, quæ illos sæpè duriùs, quàm ipsi tutores, habent.

Æque pauperibus prodest, locupletibus æque,
Æque neglectum, pueris senibusque nocebit.
Restat ut his ego me ipse regam, solerque elementis.
Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi;
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosâ corpus nolis prohibere chiragrâ.
Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritiâ, miseroque cupidine pectus?
Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem

ximum senibus puerisque detrimentum importabit. Hoc unum mihi superest, ut rudibus saltem et obviis philosophiæ præceptis mores meos componam, et ærumnas vitæ leniam. Et verò licèt aliquis tam acrem et vividam habere aciem oculorum, quàm Lynceus, non possit, is nihilominus medicinam adhibere oculis lippientibus, et illinere collyria curabit: neque spernet alius quispiam ab articulis chiragram depellere, tametsi non speret se unquam Glyconis robur insuperabile adepturum. Si non licet id assequi, quod summum ac perfectum est, saltem licet ad certum quempiam gradum pervenire. Æstuat fortasse animus tuus avaritiâ, aut aliâ cupiditate immoderatâ miserabilem in modum jactatur? reperies apud Philosophos præcepta et arcanas voces magicis omnibus cantionibus potentiores, quibus hanc ægri-

27. *Restat*, etc. Nempe, quia jam ad senium ætas mea vergit: vix aliud reliquum est, quàm ut aliquid de philosophiæ elementis degustem.

Elementis. Sic appellantur scientiarum quædam primordia et placita faciliora: talia sunt in hoc loco effata philosophiæ, et præcepta, quæ pertinent ad mores regendos, quæ docent, quid sit justum, decens, honestum: quæ divitibus æquè ac pauperibus, pueris senibusque prosunt; quibus contentum se esse Horatius profitetur, omissis subtilioribus quæstionibus.

28. *Lynceus*. Unus Argonautarum, tam perspicaci oculorum acie præditus, ut trans parietem perspicere diceretur, et ad passuum triginta millia, (decem sunt et amplius leucæ) clarè prospiceret, teste Varrone, imò, si Superis placet, quæ apud inferos gererentur cerneret.

30. *Glyconis*. Glyco, athleta celebris, idemque Philosophus, et Rhetor summus.

31. *Chiragra*. Est articulorum dolor in manibus, à χεὶρ, *manus*, et ἄγρα, *præda*, *captura*. Si pedes vexet, podagra nuncupatur, à ποδὸς, *pes*, et ἄγρα.

34. *Verba et voces*, etc. Respicit ad verba magica, et cantiones, quibus persanari

Possis, et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator;
Nemo adeo ferus est ut non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.
Virtus est, vitium fugere; et sapientia prima,
Stultitia caruisse. Vides, quæ maxima credis
Esse mala, exiguum censum, turpemque repulsam,
Quanto divites animi, capitisque labore.
Impiger extremos curris mercator ad Indos,

tudinem levare possis, atque à magnâ morbi parte recreari. Te inanis et ventosa gloriæ cupiditas inflat? Sunt in quibusdam libris certa medicamenta, quæ depellere valeant hoc malum, si libros illos castâ et attentâ mente perlegeris. Demum sive invidiâ laborat aliquis, sive iracundiâ, inertiâ, ebrietate, malis amoribus; nemo est adeo asperis et incultis moribus, quin illam naturæ ac morum feritatem possit exuere, modò præceptis Philosophiæ, quibus excolatur, aures accommodare velit. Prima pars virtutis et primus quasi gradus, est vitii fuga; et initium sapientiæ, carere stultitiâ. Cernis quantâ corporis et animi contentione fugias ea duo, quæ in maximis numeras malis, nempe exiguas et curtas opes, ac plenam ignominiæ repulsam. Ad extremam usque Indiam impigrè navigas mercator, paupertatem per medias irati maris tempestates, per tonantis cœli fulmina, per scopulos fugiens: non vis autem magistrum sapientem et multo te meliorem audire, eique fidem adjungere, à quo disceres ea contemnere ac nihili pendere, quæ per imprudentiam et errorem magni facis, et vehementer

morbos putabant faciliùs et certiùs quam aliis medicamentis, verba. *des discours*, voces, *des chants, des charmes.*

37. *Ter.* Pertinet hic numerus ad religionem quamdam.

Purè. Animo puro et casto, qui jam vitia illa oderit, à quibus sanari cupit. Libri philosophici, sacri quodammodo sunt: sacra autem nisi à puris tractari non debent.

39. *Ferus.* Sumpta metaphora videtur ab arboribus feris et agrestibus, quæ culturâ, insitione, etc. mitescunt. Virg. II. Georgic. *Fructusque feros mollite colendo.*

43. *Censum.* Fortunas, rem familiarem: *un petit revenu.*

Repulsam. Repulsam dicebatur aliquis accipere, cùm magistratum, quem ambiebat, non consequebatur.

45. *Indos.* India est regio Asiæ inter Persidem ab occasu,

Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes:
Ne cures ea quæ stultè miraris, et optas,
Discere, et audire, et meliori credere non vis?
Quis circum pagos, et circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
Cui sit conditio dulcis sine pulvere palmæ?
Vilius est auro argentum, virtutibus aurum.
O cives, cives, quærenda pecunia primùm est,
Virtus post nummos. Hæc Janus summus ab imo
Prodocet; hæc recinunt juvenes dictata, senesque,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto.
Si quadringentis sex septem millia desunt,

concupiscis. Quisquamne pugil adeo stolidus est, ut postquam in pagis sæpè, et in compitis cum laude depugnaverit, non ambiat in amplissimo et nobilissimo ludorum Olympicorum consessu donari coronâ, et præmio, præsertim si speret eâ se conditione ibi dimicaturum, ut dulcem palmam victoriamque, sine labore et negotio, consequatur? quemadmodum aurum argento præstat, ita virtus auro. Docet hoc in primis Philosophia: vulgi alia vox est, nempe ista: O Quirites, inquit, Quirites, nihil vobis priùs quàm pecunia, quærendum est: hanc ubi copiosam eritis consecuti, tum sane dabitis operam virtuti comparandæ. Hoc omnes qui versantur in vico, cui Jani nomen est, assiduè dictitant: hæc effata, cantilenam hanc, usque repetunt et sibi invicem aggerunt non senes modò, sed juvenes etiam ac pueri, dum ludum litterarium petunt gestantes suspensum è brachio sinistro sacculum calculis plenum, et abacum, in quo rationes subducant. Si sex aut septem millia sestertiûm tibi desunt, quominus habeas quadraginta millia sestertiûm: quamvis animi fortitudine, morum probitate, eloquentiâ, fide, non careas, jacebis tamen semper in infimâ plebe. Quod quàm sit iniquum, docet puerorum ipsa consuetudo, qui sociis suis inter ludum dicere solent: Rex eris, *et primas*

Tartariam à Septentrione, Sinas ab Oriente: alluitur fluviis Indo et Gange.

51. *Sine pulvere.* Reddidit Græcum ἀκονιτί. De facili et incruenta victoria dicitur; cùm ne in arenam quidem et campum pulverulentum, dimicandi causâ descenditur.

54. *Janus summus.* Summa sive prior pars vici argentariorum.

55. *Prodocet.* Id est, palam et apertè docet.

Dictata. Propriè sic appellantur ea quæ magistri discipulis tradunt scribenda.

57. *Quadringentis.* Census

Est animus tibi, sunt mores, et lingua, fidesque,
Plebs eris. At pueri ludentes, *Rex eris*, aiunt,
Si rectè facies. Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.
Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
Nenia, quæ regnum rectè facientibus offert,
Et maribus Curiis et decantata Camillis?
Isne tibi melius suadet, qui rem facias, rem,
Si possis, rectè; si non, quocunque modo rem:
Ut propriùs spectes lacrymosa poëmata Pupî:

obtinebis, si strenuè fungaris officio, *si omnium optimè luseris. Nos verò pueros sane imitemur, fungamur officio viri probi, nullius flagitii conscientiâ obstricti teneamur, quæ nos erubescere et pallere cogat; utamur hoc quasi muro firmissimo et propugnaculo contra omnes fortunæ impetus, et vulgi ludibria. Et verò num tibi videtur lex à Lucio Roscio Othone lata, sapientior, quàm illa puerorum ludentium vox, Reges appellantium eos, qui rem in ludo bene gesserint? quum profectò vocem usurpabant olim viri fortissimi, Curii, Camillique, cùm dignitates et imperia optimis civibus deferebant. Uter illorum tibi consulit rectiùs, is qui te hortatur ut opes colligas, honestâ, si possis, et legitimâ ratione; si non possis, quâcumque demum viâ: ut eques ac senator tandem factus, sedeas in theatri primis ordinibus, unde propiùs spectes egregias, et ad ciendos fletus idoneas Pupii Tragœdias? an contra qui*

equitum Romanorum erat quadringenta sestertia majora, seu quadringenta millia minorum sestertiorum: ita ut hanc pecuniæ summam deberent quotannis è prædiorum suorum fructibus habere collectam. Respondent hæc sestertia libris Gallicis quadraginta millibus.

59. *Rex eris.* Ludi cujusdam meminit Hesychius, item Eustathius ad Odyssea Lib. VIII. in quo pueri jactabant in altum pilam. Qui eam sæpius exceperat, priusquam humum contingeret, nomen regis ferebat, et aliis præerat; qui autem victus fuerat appellabatur asinus, et regis jussa facere cogebatur.

62. *Roscia lex.* Quâ sancivit Otho, ut quicumque censum equestrem haberet, is ludos publicos spectaret in sedilibus primis.

63. *Nenia.* Puerilis cantilena, carmen leve.

64. *Maribus.* Generosis, fortibus.

67. *Ut propriùs,* etc. Ludos theatrales proximi proscenio spectabant Senatores ex orchestra; inde equites, in quatuordecim sequentibus ordinibus: postremo plebeii, ex cavea.

An qui Fortunæ te responsare superbæ
Liberum, et erectum præsens hortatur, et aptat?
Quod si me populus Romanus fortè roget, cur
Non, ut porticibus, sic judiciis fruar iisdem;
Nec sequar, aut fugiam, quæ diligit ipse, vel odit:
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam: *Quia me vestigia terrent,*
Omnia te adversùm spectantia, nulla retrorsum.
Bellua multorum est capitum. Nam quid sequar, aut quem?
Pars hominum gestit conducere publica: sunt qui

tibi sapienter Auctor est, cupitque ut Fortunæ repugnes acriter, ejus superbos fastus et arbitria contemnas, teque in libertatem vindices? A me verò si quærat populus Romanus, cur non eodem atque ille, modo judicium feram de rebus, licèt in iisdem ac ille porticibus soleam deambulare; cur non ea diligam vel habeam odio, quæ ipse amat vel aversatur: respondebo illi quod olim astuta vulpes leoni ægrotanti retulit: Quia metum incutiunt mihi ferarum vestigia in humo exarata, omnia ad te euntium, nulla à te redeuntium. *Simillimus es belluæ multis constanti capitibus: quem enim è tanto civium numero mihi proponam imitandum? quodnam vitæ institutum et viam potissimum sequar? Sunt qui publica opera facienda, aut vectigalia exigenda, certæ mercedis ac pretii pactione suscipiant: alios videas fructibus aut placentis, et aliis id genus, vilibus munusculis hereditatem viduarum captare, vel senibus brevi mori-*

Lacrymosa. Apta ad ciendam commiserationem et fletum.

Pupi. Tragicum Poëtam fuisse hunc Pupium apparet.

69. *Præsens.* Dexter, opportunus. Qui præsens, hortatur alterum, magis commovet, quàm qui absens per nuntium, aut litteras.

73. *Quod vulpes*, etc. Leo jam annis gravis, cùm ex antro prodire ad prædas rapiendas non posset, morbum simulavit, et feras ad se officii causâ adeuntes devorare cœpit. Adfuit etiam vulpes, sed consistebat longiùs, regem salutans, et, quî valeret ille, rogitans: causam quæsivit leo; cui vulpes, Feras quidem ad te multas ingressas esse conjicio ex earum vestigiis humi exaratis, at nullam rediisse conspicio. Ita populus opum et honorum cupiditate illectus, in voluptatis, in ambitionis, quasi angues, antrum se conjicit: sed ibi tot ærumnis, tot erroribus obruitur, ut numquam ad sanitatem et bonam mentem redeat.

77. *Conducere.* Redimere,

Crustis, et pomis viduas venentur avaras,
Excipiantque senes, quos in vivaria mittant.
Multis occulto crescit res fœnore. Verùm
Esto aliis alios rebus, studiisque teneri:
Iidem eadem possunt horam durare probantes?
Nullus in orbe sinus Baiis prælucet amœnis,
Si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
Festinantis heri. Cui si vitiosa libido

turis insidiari, eâdem solertiâ quâ piscatores excipiunt pisces, quos in sua vivaria conjiciant. Multi opes suas sensim amplificant, ingentem pro mutuis nummis usuram exigendo. Esto tamen, liceat aliis alias artes exercere, sit fas suo quemque more vivere: sed quis ferat eosdem homines ne in horam quidem durare posse in uno eodemque studio, et sententiâ? mutari quolibet puncto temporis, et modò hoc, modò illud amplecti? Dixerit, verbi gratiâ, dives aliquis, nullus uspiam locus Baiis est amœnior: statim eò properat, et ad extruendas ædes omnia comportari jubet: adeo ut Lucrinus lacus et vicinum mare exilire gaudio videantur ob spem ædificandæ brevi magnificæ domûs. At si dives idem cæco repentinoque impetu animi ac temerariâ levitate concitatus, et ad mutandum consilium, ut auspicio quodam impulsus fuerit, postridie architectos jubebit ferramenta et cetera quæ sunt opus ad ædificandum instrumenta Teanum deportare. Uxorem duxit, et lectum genio consecratum in aula sua stravit? nihil esse fortunatius illis clamat, qui nunquam uxorem duxerint. Non duxit? unos illos beatos prædicat, qui matrimonio sint conjuncti. Quibus vinculis ejusmodi Proteum

faciendum recipere. *Prendre les fermes, les partis.*

Publica. Ea vox cùm sola ponitur, et, ut aiunt, absolutè, idem significat ac vectigalia. Hinc dicti sunt publicani, qui vectigalia colligebant.

79. *Excipiant.* Verbum est insidiis accomodatum, et aptissimum ad exprimendam heredipetarum calliditatem atque solertiam in ambiendis et colendis senibus orbis.

Vivaria. Sunt loca clausa, et septa quædam, in quibus captæ feræ servantur: item stagna, in quibus vivi pisces ita continentur, ut elabi non possint.

83. *Baiis.* Baiæ, urbs Campaniæ in Italia, inter Cumas et Neapolim: locus amœnissimus.

84. *Lacus.* Lucrinus, prope Baias.

Sentit, etc. Exponi etiam id potest, contrahitur et submovetur mare jactis in littore fundamentis domus.

85. *Libido.* Morositas; cupiditas aliunde orta quàm ex ratione et judicio: *caprice, fantaisie.*

Fecerit auspicium, cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri. Lectus genialis in aula est?
Nil ait esse prius, melius nil cœlibe vitâ.
Si non est, jurat bene solis esse maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
Quid pauper? ride: mutat cœnacula, lectos,
Balnea, tonsores; conducto navigio æquè
Nauseat ad locuples, ducit quem priva triremis.
Si curatus inæquali tonsore capillos

in tam varias abeuntem formas possum constringere? Age verò num tenuioris conditionis ac fortunæ homines divitibus constantiores sunt? Sed quis istorum quoque levitatem non rideat: ex uno cœnaculo commigrant in aliud, lectos, balnea, tonsores mutant; nec minori fastidio mutant cymbas à se conductas, quàm divites, qui privatis ac suis triremibus vehuntur. Si tibi me obtulerim aliquando, Mæcenas, cum capillis inæqualiter attonsis, irrides: si vetus ac detritum indusium fortasse habeam, cui tunica recens ac villosa imposita sit; si toga non sedeat æqualiter in humeris; tunc etiam rides. Quid? cùm mea ipsius mens secum pugnat; cùm adversatur quod expetebat; amplectitur quod modò abjecerat; huc se et illuc ver-

86. *Auspicium fecerit.* Instar auspicii fuerit. *S'il prend son caprice pour un augure : s'il se fait un augure d'un desir bizarre et fantasque.*

Teanum. Urbs Italiæ in Campania. Dives igitur, mare fastidiens ac Baias, in urbem mediterraneam se, domumque suam transfert.

87. *Lectus genialis.* Nuptialis, sacer Genio, qui natalibus puerorum præerat.

Aula. In anteriori domûs parte, quæ atrium dicebatur, sterni solebat ille ornatior lectus ad specimen et pompam. Illum proprio nomine *adversum* appellabant, quia sternebatur in atrio, è regione januæ. Aula, atrium *une salle qui étoit à l'entrée de la maison.*

88. *Cœlibe.* Cælebs, qui uxorem non duxit.

90. *Protea:* Proteus Neptuni pastor, omnes formas induebat. Virgil. IV. Georg. versu 390.

91. *Cœnacula.* Ita vocabantur partes ædium supremæ et contignationes, quas vulgò pauperes conducebant à divitibus, qui sibi partes inferiores ædium reservabant, ut commodiores.

93. *Nauseat.* Exponi quoque potest, ad vomitum provocatur, ut interdum iis evenit qui navigant.

94. *Inæquali tonsore.* Sic tonsorem vocat, qui capillos inæqualiter et undatim detondet.

Occurri, rides; si fortè subucula pexæ
Trita subest tunicæ, vel si toga dissidet impar,
Rides: quid, mea quum pugnat sententia secum?
Quod petiit, spernit; repetit quod nuper omisit?
Æstuat, et vitæ disconvenit ordine toto?
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis?
Insanire putas solennia me; neque rides,
Nec medici credis, nec curatoris egere
A Prætore dati: rerum tutela mearum
Quum sis, et pravè sectum stomacheris ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici.
Ad summam, sapiens uno minor est Jove: dives,

sans fluctuat, neque unquam sibi ipsa constat in tota vitæ ratione; destruit, extruit; rotunda quadratis mutat; non rides: quia nimirum intellegis insaniam hanc omnibus esse hominibus communem et solemnem: nec me egere medico putas aut curatore, quem Prætor mihi assignet; cùm tu interim tam insignem mei curam in omnibus geras, tanquam amici à te uno pendentis, et oculos ad te ut patronum et parentem suum referentis; cùmque succenseas mihi, si ungues meos perperam sectos videas. Ego verò ut huic sermoni finem imponam, non tantùm istis hominum vitiis adducor ut Philosophiæ studium amplectar, verùm etiam eo maximè quòd sapiens uni Jovi cedat, quod idem sit locuples, liber, honoris veri compos, formosus, omnibus

95. *Pexæ.* Vestes dicuntur, in quibus villosa pili lanugo adhuc manet, ita ut fila quibus constant panni, non appareant. Hinc pexatus, qui togam recentem et villosam gerit.

96. *Tunicæ.* Prima et intima pars vestium erat subucula, *une chemise;* sic dicta, quia subtus gestabatur: illi imponebatur tunica, tunicæ toga, chlamys, stola, *etc.*

Impar. In unam non æquè ac in alteram partem pendens.

99. *Æstuat.* Huc illucque jactatur ut æstus maris.

101. *Solennia.* Solenniter. Vulgò significat rem usitatam.

102. *Curatoris.* Curator, *un curateur*, dabatur à Prætore furiosis, et mente captis, ut eorum administraret bona, si deessent propinqui et agnati, qui eo munere fungerentur.

Sanus. Stoïci dicebant sapientem in gravissimis morbis, imò acerbissimis cruciatibus, sanum ac valentem esse: negat hoc Horatius jocando, idque ex eorum doctrina velut excipit: et sapientem, sanum animo quidem semper, non item corpore, esse concedit.

Pituita. Est humor frigidus.

Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Præcipuè sanus, nisi quum pituita molesta est.

regibus præstantior, et præ cæteris sanus, nisi fortè vitiosi humoris, putà pituitæ, redundantia, interdum ægrotet.

EPISTOLA II.

AD LOLLIUM.

Homerum philosophis omnibus anteponit. Hortatur ad studium sapientiæ, cui dandam à teneris unguiculis operam esse monet.

TROJANI belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi;
Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.

DUm Romæ tempus declamando, et carmina vel orationes tuas amicis recitando insumis, Lolli, interim ego Præneste sum versatus, ibique Homerum iterum evolvi, qui meliùs et uberiùs quàm Chrysippus, quàm Crantor, docet quid honestum aut turpe, quid utile sit, vel non sit. Quod equidem quare mihi persuaserim, nisi te graviter aliqua moratur occupatio, sanè dicam. Homeri poëma, quo bellum atrox ac diu-

1. *Lolli.* De Lollio jam meminit Ode 8. Libri IV. Erat ejusdem atque Horatius ætatis, aut provectioris, siquidem consulatum gessit anno Horatii 44.

2. *Declamas.* Convocatis amicis solebant carmina aut elucubratas ficto argumento orationes recitare, memoriæ aut eloquentiæ excolendæ causâ. Tales sunt Quintiliani declamationes; Senecæ controversiæ, etc.

Præneste. Est urbs Latii: nunc vocatur *Palestrina.*

4. *Chrysippo.* Tantæ fuit inter Stoïcos auctoritatis, ut porticum fulcire diceretur.

Crantore. Crantor, insignis Philosophus inter Academicos. Scripsit non magnum, at aureum, ut Cicero vocat, librum de luctu, seu mœroris consolatione.

Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.
Fabula, quâ Paridis propter narratur amorem
Græcia Barbariæ lento collisa duello,
Stultorum regum, et populorum continet æstus.
Antenor censet belli præcidere causam;
Quod Paris, ut salvus regnet, vivatque beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat et inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

turnum ob insanos Paridis amores commissum inter Græcos et Phrygas, ac utrisque damnosum describitur, exhibet varios motus, et perturbationes, quibus tanquam fluctibus, vesani reges ac populi jactati sunt. Antenor putat amputandam esse belli causam, restitutâ Græcis Helenâ. Quod contra Paris censet: ille verò ait se ad illam reddendam cogi non posse, nimirum, ut dulcem ac tranquillam in deliciis ac voluptatibus vitam degat. Nestor in eo vehementer laborat, ut Agamemnonem et Achillem dissidentes conciliet. Amore Agamemnon incenditur; nec minus ipse iracundiâ quàm Achilles, æstuat. Quicquid peccant insani

6. *Fabula.* Ea vox apud poëtas, poëma dramaticum, ac præcipuè structuram ejus et actionum quibus constat, coagmentationem significat.

7. *Barbariæ.* Phrygiæ Barbari, inquit Festus, dicebantur antiquitùs omnes gentes, exceptis Græcis. Præcipuè verò Phryges Barbari vocabantur.

Duello. Bello: eoque propriè quod inter duos fit, inter duas partes, acies, gentes oppositas. Syllabam *du* mutaverunt Romani subinde in litteram *b*: sic primùm dixerunt *duis;* postea, *bis;* pro, *duonum*, dixere *bonum;* pro, *duellum*, *bellum*, etc. Lentum autem vocat bellum Trojanum, quippe quòd in annum usque decimum prorogatum fuerit.

9. *Antenor.* Unus è Priami filiis, idemque prudentissimus, Lib. Iliadis VII.

10. *Ut salvus*, etc. Potest his verbis hæc quoque subjici sententia. Negat se cogi posse ut reddat Helenam; quod si fecisset, salvus regnasset, ac beatus vixisset. *Regnare* usurpatur aliquando, pro feliciter agere, votis potiri.

11. *Nestor.* Græcus senex, longè sapientissimus.

12. *Peliden.* Achillem, filium Pelei et Thetidis.

Atriden. Filium Atrei, Agamemnonem.

13. *Amor.* Briseidis, quam bello captam eripuerat Achilli Agamemnon: hinc magna inter eos orta dissentio, et ira utriusque graviter exarsit.

Seditione, dolis, scelere, atque libidine, et irâ,
Iliacos intra muros peccatur et extra.
Rursum, quid virtus, et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem;
Qui domitor Trojæ, multorum providus urbes,
Et mores hominum inspexit; latumque per æquor,
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces, et Circæ pocula nosti:
Quæ si cum sociis stultus, cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis, et excors;
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.
Nos numerus sumus, et fruges consumere nati,

reges, eorum stultitiæ pœnas Græci infelices dependunt. Apud Trojanos, in eorum urbe; apud Græcos, in ipsorum castris, plena sunt, omnia seditionibus, fraudibus, flagitiis, libidine, irâ. Jam verò idem Homerus in poëmate altero egregium nobis exemplum ostendit ac tanquam speculum, in quo possemus, quam vim habeat vera virtus et sapientia, intueri; Ulyssem dico, qui post expugnatam Trojam longis diuturnisque itineribus, multas adiit urbes, multorum populorum mores et instituta cognovit, ac difficili navigatione vexatus, graves ærumnas toleravit, invictoque animo superavit, ut se sociosque in patriam restitueret. Non te fugit quomodo Sirenes argutis vocibus et doloso cantu prætereuntes delinirent: quemadmodum Circe medicatis arte magicâ potionibus homines in belluas transformaret: quæ quidem pocula si Ulysses, socios imitatus pari et ipse stultitiâ et cupiditate hausisset, haud dubiè indecorem postea vitam duxisset infamis ac vecors, impurè mulieris voluntati tanquam vile mancipium addictus, aut in canem porcumve mutatus foret. Quàm sumus autem nos Ulyssi dissimiles! turba videlicet inutilis et solo nu-

22. *Immersabilis*, etc. Qui nunquam rebus adversis succubuit: qui emersit ex omnibus periculis et ærumnis.

24. *Cum sociis*, *etc.* Bibit quidem Ulysses poculum ipsi à Circe porrectum; at non, ut sui socii, cupidè stultèque, sed accepto priùs antidoto, nempe herba *moly*, quam ipsi Mercurius dederat. Odyss. L. X. versu 318.

27. *Numerus summus.* Id est, mera turba, et ut canit Maro, *sine nomine vulgus*: homines nullius loci, ordinis, aut dignitatis, eo tantum quòd sumus, hoc est, ipso numero, censendi. Tales capite, censos Romani appellabant. *Nous*

Sponsi Penelopæ, nebulones, Alcinoïque,
In cute curandâ plus æquo operata juventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et
Ad strepitum citharæ cessatum ducere somnum.
Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones;
Ut te ipsum serves, non expergisceris? atqui
Si nolis sanus, curres hydropicus; et nî
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis, ac rebus honestis,
Invidiâ vel amore vigil torquebere. Nam cur,

mero æstimanda; qui vivere idcirco videmur, ut edamus ac bibamus: simillimi procorum Penelopes, ganeones, et inter illos Alcinoï juvenes aulicos recensendi, quibus unicum erat studium, ut cuticulam curarent, ac voluptatibus operam darent; qui pulchros se ac beatos putabant, cùm in meridiem usque somno indulsissent, curasque omnes blando lyræ sonitu et dulcibus modulis sopivissent. Latrones è cubili se proripiunt intempestâ nocte, ut homines incautos opprimant ac trucident: tu verò ut animum tuum à vitiosis cupiditatibus salvum et incolumem prestes, evigilare dubitabis? Atenim si, dum adhuc vales, crebrâ exercitatione sanitatem tueri et hydropem arcere negligis, eumdem morbum depellere laborioso cursu cogeris, cùm te, desidiâ tuâ velut arcessitus, invaserit; ac nisi ante solis ortum libros tibi et lumen afferri postulas, nisi honestâ occupatione mentem otiumque tuum exerces; invidia, vel amor malè sanus animum tuum occupabit, ac dirè cruciabit, teque diu ac noctu vigilare coget, nec ullam quietis partem tibi relinquet. Age verò cur tanto studio properas depellere atque amovere longiùs ea, quibus oculi læduntur; quæ

ne sommes bons qu'à faire nombre.

Sponsi. Proci, qui ejus nuptias ambiebant.

Alcinoï. Phæacum rex fuit, in Corcyra, nunc *Corfou*, insula maris Ionii, Contra Epirum: ipse, ac Phæaces omnes, voluptatum mancipia. Homer. Lib. VIII. Odyss.

29. *Plus æquo.* Plusquam ratio, et cura valetudinis virtutisque patiatur.

32. *Cessatum.* Amabant sopire curas et quasi componere in lectulo, ad citharam.

Hydropicus. Est autem sententia: si operam sapientiæ dare non curas, dum id facilè potes, dum animum sanum, et à vitiis purum habes: vitia contrahes quibus ut medicinam adhibeas sudandum tibi et currendum erit. Quidam explicant illud *curres*, ad medicum curres. Porrò hydropicós ambulando currendoque sanari testis est Celsus Lib. III.

Quæ lædunt oculum, festinas demere: si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui cœpit, habet; sapere aude,
Incipe. Qui rectè vivendi prorogat horam,
Rusticus exspectat dum defluat amnis; at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis ævum.
Quæritur argentum, puerisque beata creandis
Uxor, et incultæ pacantur vomere sylvæ.
Quod satis est, cui contigit, hic nihil amplius optet.
Non domus, et fundus, non æris acervus, et auri,
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas. Valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit, aut metuit, juvat illum sic domus, aut res,
Ut lippum pictæ tabulæ, fomenta podagrum,

autem animum vitiant et exedunt, illa tollere, et idoneis remediis sanare tandiu moraris, neque in diem modo, sed in annum integrum curam hanc rejicis? Jam nunc accinge te strenuè ad sapientiam et virtutem consectandam; initium, dimidia quasi pars operis est. Incipe, inquam: qui enim differt in dies tempus rectè vivendi, similiter facit, atque ille rusticus, qui cùm in itinere, ad flumen constitisset, expectabat donec amnis totus defluxisset; ille verò fluere pergit, ac in perpetuum porro fluet. Laborant homines in colligenda pecunia, in quærenda uxore divite, ex quâ suscipere liberos possint, in sylvis exscendendis, et incultâ horridâque humo excolendâ. Quorsum tot labores? Qui habet quod ad vitam tolerandam sufficit, modum ponere his curis debet, neque aliud præterea quidpiam appetere. Non domus lauta, non dives fundus, non æs aurumve magno congestum pondere, poterunt ægrotantem dominum acutâ febri liberare, aut curis animam ejus expedire. Qui multa possidet bona, si frui placidè illis cupit, non corpore solùm, sed et animo sanus esse studeat. Qui enim metu aut cupiditate laborat, huic non majorem domus splendida, aut opes amplissimæ voluptatem ac jucunditatem afferent, quàm lippo pictæ tabellæ, aut fomenta podagrico, aut

39. *Est animum.* Ab edo: es, est; pro. edis, edit.

44. *Beata.* Beatus ferè apud Horatium accipitur pro locuplete, et splendido,

45. *Pacantur.* Pacare sylvam, *défricher une forêt.*

52. *Fomenta.* Per hanc vocem intelliguntur ea remedia quibus mitigatur quidem po-

Auriculas citharæ collectâ sorde dolentes.
Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, accessit.
Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.
Semper avarus eget; certum voto pete finem.
Invidus alterius macrescit rebus opimis.
Invidiâ Siculi non invenêre tyranni
Majus tormentum. Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit, et mens,
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.

denique symphoniacorum concentus illi, qui auribus laborat ob sordes inhærent. Si purum et mundum non est poculum, quicquid in illud immittes, acidum fiet. Voluptatem contemne, ut damnosam, et noxiam; pretium enim quo illa comparatur, et quasi merces certissima, est dolor. Fuge avaritiam, quippe avarus semper est inops; itaque habendi cupiditatem certos intra limites coërce, ac tuis desideriis modum statue. Habet hoc invidia ut qui eâ laborat macer fiat et tabescat ob res secundas aliorum: neque ullum supplicii genus, à Siciliæ tyrannis repertum est, quod possit cum eo tormento conferri, quo invidia homines miserè discruciat. Jam, qui non imperabit iracundiæ, qui eam acriter non frænabit, vix quidquam aget, cujus postea non pœniteat, ac sæpe id cupiet irritum esse, ad quod eum dolor ulciscendi avidus, et odii impotentia, impulerit. Ira enimverò est brevis quædam insania. Fac igitur ut efferatus animi motus compescas, nisi enim serviant, et rationi obtemperent, durissimam in te tyrannidem exercebunt, ac importunissimo jugo prement. Quocirca illos quibusdam quasi frænis rege, et vinculis constringe: idque maturè, dum ætas est disciplinæ opportuna. Nonne cernis quemadmodum homo equitandi peritus, equum molli adhuc

dagræ dolor, ac fovetur, *des fomentations :* non tamen tollitur omnino, quia manet ejus causa, et altiùs insidet.

58. *Siculi tyranni.* Phalaris, Dionysius, etc. Phalaris homines includebat æneo tauro, cui deinde ignem jubebat subjici : sic vivos et miserabiliter ejulantes exurebat.

60. *Infectum.* Non factum. Volet non accidisse ; eum facti pœnitebit.

Dolor et mens. Mens dolore incensa. Mens videtur hîc sumi pro ira. Sanè mens fit à Græco μένος quæ vox impetum animi et ardorem sonat.

61. *Dum*, etc. Dum odium suum inultum esse dolens, festinat pœnas acceptæ injuriæ per vim et nefas repetere ab inimico. Illæ porro voces, *odio inulto*, sunt in auferendi casu.

Ira furor brevis est. Animum rege : qui nisi paret,
Imperat, hunc frænis, hunc tu compesce catenâ.
Fingit equum tenerâ docilem cervice magister
Ire viam quâ monstrat eques. Venaticus, ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in sylvis catulus. Nunc adhibe puro
Pectore verba, puer; nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. Quòd si cessas, aut strenuus anteis,
Nec tardum operior, nec præcedentibus insto.

ætate, atque ad domandum facili, format flectitque in omnem partem? Canis venaticus, postquam servi simulacrum et pellem tomento fartam intra domesticos parietes latratu cursuque sæpius lacessivit, sylvas exinde petit, ubi vera contra cervos et apros prælia strenuè gerit. Nunc philosophorum verba et præcepta purum in pectus demitte, nunc te sapientioribus docendum informandumque trade. Vas fictile diu retinet odorem liquoris qui primùm in illud est infusus. Quòd si es tardior in capessendis præclaris ejusmodi præceptis, aut diligentior in iis animo percipiendis, neque te segniùs euntem expectabo, nec citiùs festinantem conabor antevertere.

64. *Fingit equum.* Galli dicunt, *dresser un cheval.*

67. *Adhibe.* Quasi succum felicem et rorem imbibe.

Puro. Nondum vitiis inquinato, qualis puerorum animus est.

68. *Puer.* Non Lollium eâ voce compellat, sed pueros quoslibet adhortatur.

71. *Insto.* Ducta similitudo à ludis Circensibus, in quibus *Instat equis auriga suis vincentibus.* Virgil. Sensus est : Non invideo illis qui me antecedunt studio sapientiæ et virtutis ; nec remissior sum eorum exemplo, qui me sequuntur, et tardiùs currunt.

EPISTOLA III.

AD JULIUM FLORUM.

A Julio Floro quædam percontatur de Tiberio, et suis ipsius amicis. Eumdem Florum ad virtutis studium cohortatur.

Juli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius, Augusti privignus, scire laboro.
Thracane vos, Hebrusque nivali compede vinctus,
An freta vicinas inter currentia terras,
An pingues Asiæ campi, collesque morantur?
Quid studiosa cohors operum struit? hæc quoque curo,

Rescire velim, Juli Flore, ubi locorum nunc bellum gerat Claudius Tiberius Nero, quem comitaris. An vos tenet Thracia, ubi Hebrus semper glacie constrictus? an Hellespontus inter duas arces exiguo freto disjunctas interjectus? an demum in fertilibus et amœnis Asiæ campis versamini? Quid agunt viri eruditi qui sunt in principis comitatu? quidnam operis meditantur? Ista etiam doceri cupio? Quis illorum hanc sibi provin-

1. *Juli Flore.* Erat iste Julius Florus, amicus Horatii, et in præcipuâ apud Tiberium, quem comitabatur, gratiâ.

2. *Claudius.* Cl. Tiberius Nero ab Augusto missus fuerat in Armeniam, ut Tigranem in regnum restitueret.

Privignus. Est filius mariti, ux alia videlicet uxore susceptus: vel uxoris, ex alio marito. Erat autem Tiberius Liviæ quidem filius, quæ Augusti postea uxor, sed patre Tiberio Nerone genitus.

3. *Thraca.* Græcis Θρήκη dicitur: Thraca: Latinis vulgò, Thracia.

Hebrus. Fluvius Thraciæ.

4. *An freta,* etc. Hellespontus, fretum et angustum inter Europam et Asiam: in utroque littore duæ visebantur olim urbes oppositæ, et præcelsis turribus insignes, Abydus in Asia; Sestus in Europa. Nunc vocantur *les Dardanelles.*

6. *Cohors.* Intellige gregem eruditorum, qui honoris causâ Tiberium assectabantur.

Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis, et paces longum diffundit in ævum?
Quid Titius, Romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus, et rivos ausus apertos,
Ut valet? ut meminit nostrî? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet, auspice Musâ?
An tragicâ desævit, et ampullatur in arte?
Quid mihi Celsus agit? monitus, multumque monendus,
Privatas ut quærat opes, et tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo;
Ne, si fortè suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat Cornicula risum,

ciam sumit, ut res ab Augusto egregiè gestas memoriæ prodat, et in consequentia longè sæcula transmittat paces ab eo compositas, et confecta bella? Quid agit Titius, qui valet? quem virum brevi omnes Romani meritis laudibus celebrabunt tanquam eximium poëtam: qui Pindarum imitari, et ex eodem atque ille, fonte ingentes spiritus ac versus haurire non extimuit: vulgares autem illos, qui patent omnibus, fontes præteriit, ac generoso fastidio contempsit. An est adhuc nostrî memor? studetne ad exemplum Pindari Latinos versus lyricos scribere, beneficio et ope faventis Musæ? an tragœdias alto et exaggerato stylo componit? Celsus item quodnam opus parturit, quem ego jam admonui, et sæpe sum admoniturus, ut propriis opibus ditescere amet, ac manum abstineat à libris, qui servantur in Apollinis Palatini

8. *Paces.* Dum Tiberius, exurrebat in Armeniam, Augustus in insula Samo substitit, ubi multa bella, cum variis populis, illuc ad eum adeuntibus, composuit.

11. *Lacus apertos.* Trita et vulgaria carmina, qualia sunt heroïca, elegiaca, etc. ipse lyrica et Pindaricis simillima ausus effingere. Quasi poëtæ ceteri ex Hippocrene aut Aganippe biberent, Pindarus peculiarem et sibi addictum uni haberet fontem.

13. *Thebanos.* Pindaricos. Nam Pindarus Thebis oriundus.

14. *Desævit.* Vehementer sævit: grandi utitur et vehementi oratione.

Ampullatur. Stylo inflato, et tumido tragœdias componit.

15. *Celsus.* Vocabatur Albinovanus.

19. *Cornicula.* Graculum Æsopus vocat. Fabulam hanc leges apud Phædrum, Lib. I, num. 3.

Furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes?
Quæ circumvolitas agilis thyma? non tibi parvum
Ingenium, non incultum est, nec turpiter hirtum.
Seu linguam causis acuis, seu civica jura
Respondere paras, seu condis amabile carmen,
Prima feres ederæ victricis præmia. Quod si
Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quò te cœlestis sapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc studium, parvi properemus et ampli,
Si patriæ volumus, si nobis vivere cari.
Debes hoc etiam rescribere, si tibi curæ est,
Quantæ conveniat, Munatius. An male sarta
Gratia nequicquam coit, et rescinditur? at vos
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat

bibliotheca, caveatque ne, si singulæ aves resumere surreptas sibi pennas aliquando velint, cornicula suo furto, et picturatis plumis spoliata, meritò rideatur. Tu verò ipse quid moliris? quos delibas flores, ut apicula circum thyma volitans? amplum tibi est ingenium, litteris excultum, humanitate perpolitum: sive causas agere in foro meditaris, et facundiam comparas exercitatione dicendi; sive jus civile perdiscis, quo possis consulentibus te civibus respondere: sive demum dulce ac lætum aliquod carmen componis; primam in iis artibus laudem primosque ac præcipuos honores facilè obtinebis. Quòd si expedire animum posses illis cupiditatibus, qui te angunt ac sollicitant, tum nihil obstaret quominus illam continuò, quam tibi cœlestis sapientia monstraret, viam inires, atque ad eam quo nos deducere solet, metam pervenires. Hoc verò studendum nobis, hoc agendum summis pariter et infimis, si juvare patriam, si nobis ipsis consulere curamus. Fac illud etiam mihi rescribas, num eodem sis erga Munatium animo, quo esse debes: utrùm gratia inter vos male reconciliata fuerit: adeo ut amicitiæ vestræ vulnus ad breve duntaxat

21. *Thyma.* Quos circum flores volas, ut ex iis legas succum idoneum conficiendo melli? hoc est, quænam condis carmina? Poëtæ comparantur apibus.

22. *Hirtum.* Hirsutum, hispidum, impolitum.

25. *Ederæ.* Eâ poëtæ coronari solebant.

27. *Sapientia.* Morem gereres philosophiæ, et ex ejus præceptis cœlestibus vitam ageres.

32. *Coit.* Vulnera dicuntur coïre, *se fermer,* cùm non amplius hiant ac patent: rescindi verò, *s'ouvrir*, cùm rursus aperiuntur, et crudescunt.

Indomità cervice feros, ubicumque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere fœdus,
Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

tempus coaluerit, atque haud multo post recruduerit. Vos vero sive animi æstus quidam et impotentia, sive aliqua ignorantia in mutuum odium accendit, facitque ut suavissimum illud fraternæ caritatis jugum ferociter excutiatis; digni estis profecto qui nunquam inter vos dissideatis. Ubicumque porro degitis, ego vitulam alo, quæ ex voto à me immolabitur, cùm vos reduces et salvos Roma receperit.

35. *Indigni rumpere.* Indigni qui rumpatis. Hellenismus. Qui non debetis rumpere: quos dissidere indignum est.

EPISTOLA IV.

Laudat Albium Tibullum, et ut vivat quasi quotidie moriturus, admonet.

ALBI, nostrorum sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scibere quod Cassî Parmensis opuscula vincat?
An tacitum sylvas inter reptare salubres,
Curantem quidquid dignum sapiente, bonoque est?

ALbi Tibulle, qui de meis versiculis, sermoni quotidiano simillimis, sincerè ac benignè judicas, quid rerum agere te putem in villa tua prope Pedum sita? utrùm versus condere, quibus Cassii Parmensis cedant carmina? num deambulare leniter meditantem quidpiam, in amœnis et salubribus sylvis, et agitantem animo ea omnia quæ virum bonum et sapientem decent? Non tibi corpus est animi et ingenii expers: Superi tibi concessere dignitatem oris, ac magnas opes, simulque, quod præcipuum

1. *Albi.* Albius Tibullus poëta, natus est Romæ, anno urbis conditæ 711. Is post exhaustas insanis sumptibus et luxu opes non contemnendas, in villam secesserat mœrens, ubi cum Horatius consolatur.

2. *Pedana.* Pedum, urbs Italiæ in Latio.

3. *Cassî.* Cassius iste à patria Parma, Italiæ civitate, *Parme*, dictus est Parmensis, et mori jussus ab Augusto, quia unus fuerat è Cæsaris percussoribus.

Non tu corpus eras sine pectore : Dì tibi ſormam,
Dì tibi divitias dederunt, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Quì sapere, et ſari possit quæ sentiat, et cui
Gratia, ſama, valetudo contingat abundè,
Et mundus victus, non deficiente crumenâ?
Inter spem curamque, timores inter et iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Grata superveniet, quæ non sperabitur, hora.
Me pinguem, et nitidum bene curatâ cute vises,
Quum ridere voles Epicuri de grege porcum.

est, artem istis bonis fruendi tradidere. Quid præstantius alumno carissimo nutrix optare possit, quàm ut ille sanâ mente sit, sapientiâ et doctrinâ polleat aliquando; et ut animi sui sensa copiose ornateque explicare sciat? quàm ut gratiâ valeat apud homines, valetudine utatur bonâ; tum ut integra sit ipsius existimatio et fama; mensa autem frugalis, nec tamen sordida; denique res familiaris satis ampla? Hæc autem omnia tibi suppetunt. Cæterùm, quia sic vita est hominum, ut modò spes nos mulceat, modò curæ sollicitent; nunc timor, nunc ira discruciet, si hæc inter lætus vivere, quà licet, cupis, diem quemlibet, tanquam si futurus esset ultimus, transiges: quippe gratior tibi accidet dies postera, cùm eam minimè expectaveris. Quòd si tibi cordi sit jocari ac genio indulgere, me quidem habebis ad eam rem idoneum, vegetum, bene habitum, uno verbo, Epicureum porcum.

6. *Eras.* Pro, es, aut fuisti.

11. *Mundus victus.* Victus elegans, et intra modum sumptuosus.

16. *Ridere.* Comessari, ludere.

Epicuri. Philosophi multis cari, quia summum hominis bonum in voluptate collocabat: quæ beatitudo porcorum magis, quàm hominum est.

EPISTOLA V.

Torquatum ad cœnam frugalem invitat, et quædam huic argumento idonea subjungit.

Si potes Archaïcis conviva recumbere lectis,
Nec modicâ cœnare times olus omne patellâ,
Supremo te sole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes iterum Tauro diffusa, palustres
Inter Minturnas, Sinuessanumque Petrinum.
Sin melius quid habes, arcesse, vel imperium fer.
Jamdudum splendet focus, et tibi munda supellex.
Mitte leves spes, et certamina divitiarum,

Si tibi molestum non est accumbere ad mensam in lectulis parum elegantibus, et vetusto more artificioque compositis; si non fugis vesci quibuslibet leguminibus, quæ tibi in exiguis lancibus et inornatis apponentur; expectabo te, mi Torquate, domi meæ sub vesperam, inclinante in occasum sole. Præbebo tibi vinum in amphoras è doliis fusum Tito Statilio Tauro iterum consule, natum in agro Minturnensi ac Sinuessano prope Petrinum. Si aliud habes melioris notæ, jube illud tecum afferri, vel meo utere, mihique morem gerere ne graveris. Jamdudum ignis apud me luculentus ac nitida supellex te expectat. Omitte spes anxias

1. *Archaïcis.* Græca vox, ἀρχαικοῖς antiquo more ac simplicitate factis; non auro aut ebore ornatis : *des lits à la vieille mode.*

3. *Supremo sole.* Ultimo, occidente, desinente.

4. *Tauro.* Titus Statilius Taurus secundum consulatum gessit annô U. C. 728. Horatii 39. Ejus abneptis Messalina, fuit Neronis uxor. Porrò illud vinum non valdè vetustum, atque adeo vilius esse, significat.

Sinuessanum. Sinuessa, urbs Italiæ.

Petrinum. Vicum fuisse volunt prope Sinuessam, vel collem saxosum, qui hodie vocetur *Rocca di monte Ragone*, in quo non pessimum nasceretur vinum; et paulò melioris notæ quàm Sinuessanum, aut Minturnense, quæ ambo vilia et contempta.

6. *Imperium.* Qui alios accipiebat, rex convivii, cœnæ pater, appellabatur, eratque illius imperare quid, quotiesve biberetur.

8. *Certamina divitiarum.* Dum alios certas opibus vincere.

Et Moschi causam. Cras nato Cæsare festus
Dat veniam, somnumque dies; impunè licebit
Æstivam sermone benigno tendere noctem.
Quo mihi fortunas, si non conceditur uti?
Parcus ob heredis curam, nimiumque severus,
Assidet insano. Potare, et spargere flores
Incipiam, patiarque vel inconsultus haberi.
Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inertem,
Solicitis animis onus eximit, addocet artes.
Fœcundi calices quem non fecêre disertum?
Contractâ quem non in paupertate solutum?
Hæc ego procurare et idoneus imperor, et non
Invitus, ne turpe toral, ne sordida mappa

et incertas quæ te distinent : abjice nimium studium et contentionem in divitiis comparandis : rejice in aliud tempus Moschi clientis tui causam. Crastina dies natalis est Cæsaris ac festa, quæ proinde nobis dabit facultatem somni longioris. Itaque fas erit transigere æstivam noctem liberaliùs confabulando, et postridie somno indulgere in multam diem. Quorsum enimvero expetamus opes, si non liceat iis uti? Qui parcè vivit ac duriter, ut divitias heredi suo immensas relinquat, ille non longè abest ab insano. Mihi proinde certum est largiùs bibere, floribus caput coronare, et iisdem pavimentum sternere, licèt alicui videar eam ob rem fortasse minus prudens et consultus. Quid ebrietas non molitur? aperit arcana, quæ latebant; spes nostras confirmat : hominem inertem in pugnam immittit; mentes anxias cura levat; artem dicendi docet : quis enim largiore vino factus eloquens non est? quis etsi gravi egestate premeretur, onere isto liberatus non fuit, atque à mœrore ad hilaritatem traductus? Equidem operam dabo pro meo more (mihi enim cura hæc demandari solet,

9. *Moschi.* Rhetor fuisse dicitur, patria Pergamenus, accusatus veneficii crimine, defensus ab hoc Torquato.

Cras. Natus est Augustus Cæsar nono calendas Octobres, qui est dies tertius et vigesimus Septembris.

10. *Veniam et somnum.* Veniam somni : facultatem diutiùs dormiendi et in multam lucem.

Benigno. Multo, liberali, largo.

Tendere. Extendere, proferre.

14. *Spargere flores.* Ita mos erat in conviviis.

16. *Designat.* Audet, animo destinat.

20. *Contractâ.* Quæ frontem et animum contrahit.

Corruget nares; ne non et cantharus, et lanx
Ostendat tibi te; ne fidos inter amicos
Sit qui dicta foras eliminet; ut coëat par
Jungaturque pari, Brutum tibi, Septiciumque;
Et nisi cœna prior, potior conviva Sabinum
Detinet, assumam. Locus est et pluribus umbris:
Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.
Tu, quotus esse velis, rescribe; et rebus omissis,
Atria servantem postico falle clientem.

eaque in me recipio non invitus) ut vestes et tapetes quibus lecti teguntur, sint elegantes et mundi; ut mappæ sordibus et maculis infectæ non sint: nec afferant nauseam convivis; ut in cyathis et patinis nitentibus videre te, tanquam in speculo, possis: ne quispiam adsit qui foras efferat ea, quæ super mensam liberius fortasse, ut fit, dicta fuerint; ut pares convivæ cum paribus intersint. Vocabo, qui nobiscum epulentur, Brutum, Septicium, denique Sabinum, nisi potior aliqua cœna illum aliò vocavit: habeo etiam ubi plurimas umbras collocem: tamen odor gravis existere solet in conviviis, ubi plures justo sunt convivæ, et arctius accumbunt. Rescribe igitur mihi quot unà tecum adducere velis, et, negotiis valere jussis, effuge per posticum clientes, qui te in ædium tuarum atrio præstolantur.

23. *Corruget nares.* Qui fastidiunt aliquid, aut nauseâ laborant, ii corrugare nasum solent.

28. *Detinet.* Ab alio vocatum, aut domi suæ epulantem.

29. *Capræ.* Istæ voces, *caper, hircus, capra*, interdum significant odorem fœtidum, qui sub axillis innascitur, quique gravior esse solet, cùm plures in eodem loco stipati sunt, præsertim æstate.

31. *Postico.* Posticum est, janua remotior, in posteriore domûs parte.

EPISTOLA VI.

AD NUMICIUM.

Nihil optare, nihil metuere, virtutem sectari, summa felicitas est.

Nil admirari prope, res est una, Numici,
Solaque, quæ possit facere, et servare beatum.
Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis, sunt qui formidine nullâ
Imbuti spectent. Quid censes munera terræ?
Quid, maris extremos Arabas ditantis, et Indos?

Hoc arbitror eximium, Numici, ac propè unicè necessarium ad præstandam homini et retinendam vitæ felicitatem si nempe in rebus humanis nihil magnum et admiratione dignum putemus. Reperias qui religione nullâ aut Deorum metu, admiratione nullâ, percellantur, tunc, cùm intuentur solem, stellas, et quatuor anni tempestates, certo tempore abscedentes et locum sibi invicem relinquentes: quo igitur animo, vel contemptu potius

1. *Nil admirari.* Valet hìc ea vox, percelli alicujus rei desiderio, metu, etc. quia magni eam facimus et suspicimus tanquam utilem, necessariam, etc. Ex admiratione oritur existimatio, tum cupiditas, etc. Nihil humanum, inquit Seneca Epist. 8. animo magno magnum est.

Numici. Numicia gens Romæ nobilis et patricia fuit.

3. *Decedentia.* Locum alteri cedentia.

Formidine. Admiratione, religiosâ veneratione ac metu. Solent hominibus maximam afferre admirationem, et Numinis venerationem incutere ac metum res cœlestes, v. g. conversiones astrorum, fulmina, et alia meteora. Quod si reperiantur, quos ista non tangant (quales erant Epicurei) quantò minùs illi terrenis rebus commovebuntur? Rectè monet hìc Lævinus, homines impios, et falso mentis robore subnixos metum hunc abjicere: at meliore ingenio et mente præditos, Deum è rebus creatis agnoscere, atque illius pio et religioso metu commoveri: quæ vera philosophia est.

5. *Munera terræ.* Metalla, pretiosos lapides, etc.

6. *Maris.* Maris munera, Gemmas intellige, purpuram, conchylia, etc.

Ludicra quid, plausus, et amici dona Quiritis?
Quo spectanda modo, quo sensu credis, et ore?
Qui timet his adversa, ferè miratur eodem
Quo cupiens pacto. Pavor est utrique molestus;
Improvisa simul species exterret utrumque.
Gaudeat, an doleat; cupiat, metuatne; quid ad rem?
Si, quidquid vidit melius, pejusve suâ spe,
Defixis oculis, animoque, et corpore torpet?
Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Ultra quàm satis est virtutem si petat ipsam.
I nunc, argentum, et marmor vetus, æraque et artes
Suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores;
Gaude quòd spectant oculi te mille loquentem;
Gnavus manè forum, et vespertinus pete tectum;

existimas spectari ab iis oportere: tum varias terræ ac maris opes, quibus Arabes et Indi locupletes sunt; tum ludos et spectacula ad voluptatem comparata; necnon favorem populi et honores ejus munere ac suffragio partos? Qui contraria istis metuit, haud aliter ferè perturbatur, quàm qui eadem ista desiderat. Uterque pavore concutitur; utrumque eventus non prævisus, et menti objecta boni vel mali imago ferit ac perturbat. Quid enim interest gaudio an dolore; cupiditate an metu quispiam agitetur; siquidem quidquid evenisse videri sive suâ expectatione melius, sive deterius, hæret attonitus, nec minus mente quàm corpore velut constrictus, oculis immotis et obtutu in uno fixis, stupet. Quid quod, ne ipsa quidem virtus nimis anxiè ac præter modum optari et coli debet: alioqui neque vir sapiens insaniæ, neque justus injustitiæ notam effugiet. Quòd si est ita, num putabis licere tibi pecuniam, antiqua signa et vasa è marmore aut ære, labores priscorum artificum, demirari? gemmas, purpuram, et

7. *Ludicra.* Ludos, qui in circo et theatro edebantur summâ plebeculæ admiratione. Rectè spectacula ejusmodi contemnebant Stoïci, è quibus multos pejores, nullum redire meliorem dictitabant.

10. *Pavor.* Stupor quidam mentis, ex admiratione ortus: τὸ θάμβος.

Utrique. Pavet tum qui timet, ne scilicet eveniant quæ timet; tum qui cupit, ne scilicet non eveniant quæ cupit.

17. *I nunc, etc.* Sententia est: Si virtus ipsa, nisi à moderatè et animo perturbatione vacuo, appetenda non est, quantò minùs expetendum erit argentum, etc.

20. *Forum.* Vel oratorum, *le barreau*, ubi aguntur causæ,

Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mucius, et, indignum quod sit, pejoribus ortus:
Hic tibi sit potius quàm tu mirabilis illi?
Quidquid sub terra est, in apricum proferret ætas,
Defodiet, condetque nitentia. Quum bene notum
Porticus Agrippæ, et via te conspexerit Appî,
Ire tamen restat Numa quò devenit, et Ancus.
Si latus, aut renes morbo tentantur acuto,
Quære fugam morbi. Vis rectè vivere? Quis non?
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis

alias id genus nugas, suspicere? lætari quòd frequentissima concio te publicè dicentem audiat: ideoque primâ luce festinare in forum, nec nisi sub vesperam domum te recipere? dare operam ne Mucius uberiorem quàm tu messem colligat ex agris, quos ipsi uxor pro dote dedit; gràviterque succensere, si id contingat; eò quòd iniquum censeas et indignum opibus vinci te ab eo qui sit ignobiliori, quàm tu, locò natus; proindeque efficere contendas, ut tibi Mucius potius quàm tu Mucio invideas, ac potius tuas ille, quàm tu illius opes ac fortunam suspicias. Quæcumque nunc latent abdita in tenebris, tempore ipso emergent atque in apertum proferentur; quæ verò eminent atque extant, obruentur vicissim et latebunt. Cùm tu in Agrippæ porticu, in Appia via, multum ac diu spatiatus, fueris omnibus propter celebritatem nominis cognitus, una tibi tamen eaque novissima conficienda superest lethi via, eòque veniendum, quò Numa, quò Ancus Martius præcessere. Si fortè lateris aut renum morbo labores, utique non veto quin morbo quæras remedium: sed num pariter agere vitam expetis cupiditatum et vitiorum, qui morbi animorum sunt, expertem? Quis id vero non cupiat? Si igitur præstare hoc virtus sola potest, in eam sane toto pectore, voluptatibus valere jussis, incumbe. Quod si virtutem in verbis positam esse arbitraris, et sylvam

ubi Numicius lites fortasse habebat cum Mucio de agris qui per uxoris dotem ipsi obtigerant; vel mercatorum, *la place, le marché*, ubi fervebat commercium, ubi candidati populum prensabant, etc.

26. *Agrippæ.* Jovi ac Diis omnibus templum insigne ædificavit, quod appellavit Pantheon. Ante illud ingentem aream et porticum extruxit, ubi cives honestissimi quique spatiabantur.

Via Appî. Hanc potissimum nominat, quia viarum omnium quæ Romam ducebant, erat celeberrima.

27. *Quò,* etc. Nempe ad sepulcrum, ad inferos; moriendum est.

Hoc age deliciis. Virtutem verba putes, et
Lucum ligna? cave ne portus occupet alter,
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas.
Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro et
Tertia succedant, et quæ pars quadret acervum.
Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos,
Et genus, et formam regina pecunia donat;
Ac bene nummatum decorat Suadela, Venusque.
Mancipiis locuples eget æris Cappadocum rex;

sacram in solis arboribus, ito per me licet; mari te committe: provide, ne mercator aliquis prior quàm tu, ad externa littora navem appellat: cave ne quæ Cibyris, quæ in Bithynia habes negotia et merces, amittas: extrue in altum et congere mille talenta, mox altera totidem, deinde tertia, quarta denique, ut quadratus ex omni parte tibi sit thesaurus. Nempe hanc pecunia vim habet, ut qui eâ instructus est, uxorem bene dotatam, fidem, amicos, nobilitatem, pulchritudinem, eloquentiam, gratiam et venustatem, nullo negotio consequatur. Neque vero unâ tantùm re abundare contentus esto; ut rex Cappadociæ, qui cùm mancipiis dives sit, nummis caret: imitare potius

31. *Hoc age.* Huic uni rei stude.

Virtutem verba putes? An putas consistere virtutem in solis verbis, in ejus laudibus, etc.

32. *Lucum ligna.* Lucus erat sylva sacra; atque adeo præter ligna et arbores, habebat adjunctam religionem, quia v. g. cuipiam Deo consecrata erat.

33. *Cibyratica.* Cibyra erat urbs Pisidiæ, in Asia minori, mercatorum conventu nundinisque celebris: altera cognominis erat in Phrygia, sed multò minor et ignobilior.

Bythina. Bithynia, *la Bithynie*, est pars Asiæ minoris.

34. *Talenta.* Talentum Atticum respondet libris nostris Turonicis, seu Francicis, ut vulgò loquimur, bis mille quadringentis: Ægyptium, bis mille sexcentis octoginta octo.

Rotundentur. Coacerventur, nihil ut desit. Rotunditas perfectionem quandam, et cumulum significat, quia figura rotunda est omnium perfectissima.

35. *Et quæ pars*, etc. Pars quarta. Unum adhuc mille, ut fiant quatuor millia.

38. *Suadela.* Suada, Dea eloquentiæ præses Græcis. Πειθὼ.

Venusque. Sæpè accipitur ea vox pro dignitate quadam, elegantiâ, et gratiâ.

39. *Cappadocum.* Cappadocia, pars Asiæ minoris, unde multi venales servi Romam deportabantur.

Ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, ut aiunt,
Si posset centum scenæ præbere rogatus,
Quì possum tot? ait : tamen et quæram, et quot habebo
Mittam. Pòst paulò scribit, sibi millia quinque
Esse domi chlamydum; partem, vel tolleret omnes.
Exilis domus est, ubi non et multa supersunt,
Et dominum fallunt, et prosunt furibus. Ergo
Si res sola potest facere, et servare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Si fortunatum species, et gratia præstat,
Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum

Lucullum, qui rogatus ab amico ut ipsi commodaret, si posset, centum vestes ad exhibendam aliquam in scena tragœdiam : Ego vero, inquit, vereor ut tantum tibi præbere numerum possim, videbo tamen ac mittam quotquot penes me domi erunt. Non ita multo post certiorem illum per litteras facit, habere se domi chlamydes quinque millia, nihil in se futurum moræ quin eas omnes, vel ipsarum quam vellet partem amicus sumeret. Inops et angusta est domus, ubi non abundant multa, quæ minimè sint necessaria, quæ lateant ipsos heros, et furibus opportuna sint. Igitur si opes hanc solæ vim habent, ut beatos mortales efficiant, stude iis congerendis omnium primus, et hanc omnium postremus curam abjice. Vel, si honor, dignitas, splendor vitæ, vulgi favor, beatitatem afferre possunt, conducamus aliquod mancipium, qui civium nomina singulorum nobis

40. *Lucullus.* Vixit ævo Ciceronis, qui de illo agit pluribus in Oratione pro Lege Manilia. Adversùs Mithridatem feliciter bello decertavit : vir strenuus et imprimis locuples.

Chlamydes. Chlamys, vestis ornatior, quâ vulgò Imperatores, seu duces in bello utebantur : *un manteau de pourpre, une casaque.* Prætor quidam ludos edebat : petiit à Lucullo istas chlamydes, ad chorum et actores ornandos.

49. *Species.* Amplitudo quædam et splendor in cultu, victu, ædibus; fama, gratia : *la magnificence dans les habits, dans le train; l'éclat des charges, le crédit.*

50. *Dictet nomina.* In aurem insusurret singillatim; moneat quo quisque nomine appelletur. Solebant Romani ad captandam populi gratiam, et suffragia promerenda, obvios quosque suis nominibus comiter salutare. Quamobrem mercabantur servos quosdam, qui omnium ferè civium tenerent memoriter nomina, et ea,

Qui fodicet latus, et cogat transpondera dextram
Porrigere. Hic multùm in Fabia valet, ille Velina.
Cuilibet is fasces dabit, eripietque curule
Cui volet, importunus, ebur. Frater, pater, adde:
Ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta.
Si, bene qui cœnat, bene vivit; lucet, eamus
Quò ducit gula; piscemur, venemur, ut olim

appellet, qui nos admoneat, leniter sinistrum latus pulsando, ut obvios] salutemus, et honoris causâ manum trans rhedas etiam vel plaustra, porrigamus; qui nobis in aurem insusurret, hic quem cernis, præcipuæ est auctoritatis et gratiæ in tribu Fabia, ille in Velina: hic efficiet importunis precibus et curis, ut primi magistratus insignia deferantur vel auferantur cuicumque voluerit. Adde ad cæteras voces officiosas, patris, fratris nomina, et comiter ac festivè singulos pro ætate cujusque, appella tanquam cognatos et affines, licèt ignoti tibi, et alieni sint. Jam vero si benè vivere censendus est, qui opiparè vescitur, age, statim ac dies illuxerit accingamus nos ad quærendas unde-

cùm opus esset, dominis suggererent: vocabantur illi servi, *Nomenclatores*.

50. *Lævum latus.* A lævo enim latere astabat nomenclator, sive latus domini tegebat.

51. *Fodicet.* Fodicare est leviter fodere. Fodere autem; et, latus fodere, dicunt Latini pro, monere aliquem pulsato ejus latere.

Pondera. Tigna, marmora, quæ in via jacent aut devehuntur. Est autem urbanitatis, aliquem in altera viæ parte incedentem, etiam interposito aliquo ejusmodi saxo, vel ligno, salutare, porrectâ, ut fit, dextrâ. Vel: in via saxis impedita laborantem adjuvare, sublevare lapsantem, jacentem erigere.

52. *Fabia velina.* Populus Romanus divisus erat in partes quinque et triginta, quæ tribus dicebantur: in iis una Fabia vocabatur, à Fabiis, quæ familia Romæ nobilissima; alia, Velina, à lacu Velino, in Italia, etc.

54. *Curule ebur.* Jus eburneæ sellæ. Majores quidam magistratus, ut consules, prætores, ædiles, imò senatores aliqui, ferebant in suo curru sellam quamdam eburneam, quæ idcirco dicebatur curulis, *une chaise d'ivoire*, in eaque considebant, cùm senatus habebatur. Itaque per istam ex ebore sellulam, intelligitur magistratus aliquis major.

Importunus. Suâ assiduitate, sedulitate, pervicatiâ.

56. *Lucet.* Sudum est tempus, idoneum ad commessationem, venationem.

Gargilius, qui manè plagas, venabula, servos,
Differtum transire forum, campumque jubebat;
Unus ut è multis, populo spectante, referret
Emtum mulus aprum. Crudi, tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti: Cærite cerâ
Digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulyssei,
Cui potior patriâ fuit interdicta voluptas.
Si, Mimnermus uti censet, sine amore, jocisque

cumque dapes quæ palato sapiant: piscationi, venationi, demus operam, et Gargilium imitemur, qui olim primâ luce per medium forum deducebat retia, hastilia et tela venatoria, ut deinde impositum mulo aprum, et eum quidem non venando captum, sed emtum, reportaret. Lavemus in balneis corpora, multo cibo vinoque onusta: quid honestum sit, necne, nihil pensi habeamus, digni qui scribamur in Cæritum tabulis, ac simillimi nequissimis illis Ulyssis sociis et remigibus, qui patriâ carere, quàm vetitâ voluptate maluerunt. Quod si, ut Mimnermus auctor est, sine amoribus et jocis vita suavis esse nulla

58. *Gargilius*. Ignotum nomen. Is stultâ quâdam et inani gloriæ cupiditate ductus, id venando cepisse videri volebat quod pretio comparaverat.

Venabula. Tela quædam venatoria, lato ferro.

61. *Crudi*. Nondum digesto cibo.

Lavemur. Id factitabant quo novam sibi famem compararent; non sine periculo, ut docent Persius Sat. 3, et Juvenalis Sat. 1.

62 *Cærite cerâ*. Cere, sive Cære, ut scribendum docet Lævinus, aut Cærete; olim Agylla; urbs Etruriæ, in Italia, fuit, cujus incolæ cùm Vestales virgines in bello Gallico urbe profugas recepissent, jure civitatis donati erant: iidem à Romanis posteà deficientes, et indicto bello victi, eâ multati pœnâ sunt, ut jus quidem civitatis retinerent, ob collatum in Vestales olim beneficium, verùm suffragii jure privarentur, propter defectionem. Quo jure qui postea privabantur à censoribus, quique ignominiâ notabantur, in Cæritum tabulas, sive ceram referri dicebantur: Romani enim scribebant in tabulis ligneis cerâ obductis.

64. *Cui potior*, etc. Erant in Sicilia boves opimi, quos *boves solis* Homerus appellat. Eos socii Ulyssis, ut gulæ indulgerent, jugularunt: tametsi fuissent ab eodem admoniti, nunquam ipsos in patriam, id si facerent, esse redituros.

65. *Mimnermus*. Poëta Græcus non ignobilis, sectâ et moribus Epicureus. Florebat sexcentis admodùm ante Horatium,

Nil est jucundum; vivas in amore, jocisque.
Vive, vale. Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

potest; sane in amando jocandoque totus esto. Ego vitam tibi et longam et sanam apprecor; si quid istis, quæ modo exposui, melius et utilius nosti, mecum id, quæso, communicare ne graveris: si nihil habes rectius, fac illis mecum utare.

EPISTOLA VII.

Excusat se C. Cilnio Mæcenati, quòd ab urbe absit diutius: ejus in se beneficia ita commendat, ut libertatem beneficiis omnibus potiorem esse declaret.

QUINQUE dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror. Atqui
Si me vivere vis sanum, rectèque valentem,
Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
Mæcenas, veniam: dum ficus prima, calorque
Designatorem decorat lictoribus atris;
Dum pueris omnis pater, et matercula pallet;

PRomiseram tibi, Mœcenas, me quinque tantùm diebus ruri mansurum: fefelli datam fidem, per totum mensem Augustum ab Urbe abfui. Verùm, si me uti valetudine bonâ cupis, quæso ut quam mihi ægrotanti facultatem rusticandi non denegas, eamdem nunc, ne in morbum incidam metuenti concedas, tantisper dum ficus primùm maturescentes, et æstus

2. *Sextilem.* Sextilis mensis est, qui sextus numeratur à mense Martio, à quo Romani olim anni ducebant initium. Idem postea vocatus est Augustus in Cæsaris Augusti honorem.

5. *Prima ficus.* Maturescere incipiunt ficus æstate jam adultâ et calore ingravescente.

6. *Designatorem.* Ita vocabant eum, qui ordinabat funera, qui pompam illorum instruebat.

Lictoribus. Ita vocat ministros funerum, ut vespillones, pollinctores, etc. quibus sua munia singulis designator præscribebat. Atrati porro incedebant per urbem.

Officiosaque sedulitas, et opella forensis
Adducit febres, et testamenta resignat.
Quòd si bruma nives Albanis illinet agris,
Ad mare descendet vates tuus, et sibi parcet,
Contractusque leget: te, dulcis amice, reviset
Cum Zephyris, si concedes, et hirundine primâ.
Non, quo more piris vesci Calaber jubet hospes,
Tu me fecisti locupletem. Vescere sodes.
Jam satis est. At tu quantumvis tolle. Benignè.
Non invisa feres pueris munuscula parvis.
Tam teneor dono quàm si dimittar onustus.
Ut libet: hæc porcis hodie comedenda relinques.
Prodigus, et stultus donat quæ spernit, et odit.

ingravescens, occupatos cum suis lictoribus designatores habet, dùm omnes patres, dum matres anxiæ liberis suis metuunt; dum diligentia in obeundis amicitiæ officiis, ac labor fori assiduus et negotiorum procuratio febres morbosque gravissimos parit, unde mors multorum consequitur, ac multa testamenta, quæ clausa et obsignata erant, aperiuntur. Cùm primùm autem Albanos campos hyems nivibus consperserit, Horatius tuus in aliquam urbem maritimam se recipiet ibique parciùs in laborem incumbens, duntaxat lectitabit quidpiam, multâ veste coopertus, et in se veluti collectus: ad te vero, amicorum dulcissime, recurret, si annues, vere ineunte, statim atque Italiam hirundines et Favonii revisent. Tu me magnis ac prorsus eximiis muneribus ornasti: neque eo more liberalis in me extitisti, quo Calabri solent esse munifici erga hospites suos. Sume hæc pira, inquit Calaber, comede, amabo. Cui si hospes respondeat, Abundè jam comedi; tum ille: Aufer igitur tecum quotquot libuerit. Habeo gratiam, inquit iste, et amo te de hac tua liberalitate. At, excipit alter, hæc tuis liberis parvulis pira muneri dabis, remque ipsis facies gratissimam. Ego vero, ait hospes, non minus tibi debeo pro isto tuo animo ad donandum largo et prolixo, quàm si piris oneratus discederem. Demum Calaber: Facies quod libebit, sed ea si non sumis, hodie illis nostri sues vescentur. Ad hunc modum sæpè homines prodigi et stolidi largiun-

9. *Resignat.* Aperit, sublato signo.

15. *Sodes.* Vocula blandientis: si audes, si placet.

16. *Benignè.* Hoc adverbio utebantur, ubi quid honestè ac molliter negabant, et respuebant. Ignoscas mihi velim, si non utor tuâ liberalitate: habeo gratiam.

Hæc seges ingratos tulit, et feret omnibus annis.
Vir bonus, et sapiens dignis ait esse paratus,
Nec tamen ignorat quid distent æra lupinis.
Dignum præstabo me etiam pro laude merentis.
Quòd si me noles usquam discedere, reddes
Forte latus, nigros angustâ fronte capillos;
Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum.
Forte per angustam tenuis vulpecula rimam
Repserat in cumeram frumenti; pastaque, rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.
Cui mustela procul: Si vis, ait, effugere istinc,

tur ea, quæ ipsi contemnunt ac respuunt. Hujusmodi liberalitas inconsulta magnam ingratorum hominum copiam; perinde ac herbas inutiles ager male consitus, procreavit hactenus, atque in posterum quotannis procreabit. Probi et sapientes viri paratos quidem se profitentur ad eos beneficiis suis ornandos, qui fuerint iisdem digni; nec tamen ignorant, quid intersit veros nummos inter et comicos, qui ex lupinis fiunt. Ad me quod attinet, dabo equidem operam, ut beneficia tua, Mæcenas, promeritus videar, neque indigno data doleas; sed si me tecum semper esse Romæ jubes, neque à tuo latere discedere, oportet igitur mihi restituas pristinam valetudinem, nigros angusta in fronte crines, sermonem, risumque gratiâ et venustate conditum, ac demum ætatem florentem. Olim vulpes furtim per exiguum foramen in vas vimineum frumento plenum subierat. Cùmque ibi se tritico ingurgitasset, exire postea conabatur, sed irrito conatu, propter

21. *Hæc seges.* Seges, pro terra culta et arata interdum sumitur; ut hoc in loco: aliàs pro frumento. Quod sine delectu ac judicio datur, beneficium non est, quia licèt sit bonum, bene non datur: atque adeo gratos memoresque non facit.

23. *Lupinis.* Lupinus, seu lupinum, *lupin*, legumen quoddam est, cujus folia nummis aureis simillima solebant à comœdiarum actoribus adhiberi pro vero auro. Unde aurum comicum appellabantur.

24. *Pro laude merentis.* Id est, laude promerentis, per Tmesim. Faciam ut à te lauder, tanquam tua beneficia promeritus, tuis donis dignus.

26. *Forte latus.* Corpus robustum; pars pro toto.

Angustâ fronte. Arctam frontem laudabant Romani. Adde quod senibus videtur frons crescere, decidentibus capillis; quæ juvenibus ob rationem contrariam, angustior apparet.

29. *Cumeram.* Vas vimineum.

31. *Mustela.* Animal, mure

Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti.
Hac ego si compellar imagine, cuncta resigno;
Nec somnum plebis laudo, satur altilium; nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Sæpe verecundum laudasti; rexque, paterque
Audisti coram, nec verbo parciùs absens:
Inspice si possum donata reponere lætus.
Haud malè Telemachus, proles patientis Ulyssei:

alvum cibo distentam. Hanc procul videns mustela sic allocuta est: Si vis ex isto vasculo te proripere, ac per angustum foramen erepere, nihil proficies, nisi macilenta fias et jejuna, qualis eras cùm illuc irrepsisti. Ego si fabella hac admonear, mihique idem quod illi vulpeculæ dicatur, tunc ea quæ accepi bona relinquam non invitus; nec animi tranquillitatem, et securam populi parcè ac frugaliter viventis ideo laudo, quod lautis epulis assueverim, aliter existimaturus, si porro contentus esse cogerer. Idem sentirem in quocumque vitæ statu; neque libertatem otiosam cum amplissimis opibus commutare vellem; et vero meam tu ipse modestiam et animum parvo contentum laudavisti non semel. Semper à me rex appellatus es, ob munificentiam, idemque pater ob amorem in me tuum: neque aliter de te sum locutus etiam cùm abs te abfui. Tu igitur cōgites velim ac periculum facias annon æquo animo abdicare me possim iis bonis, quibus

paulò majus, oblongum, colore livido, gallinis inimicum, *une belette.*

32. *Cavum.* Vel foramen cumeræ, os angustum.

33. *Compellar.* Compello, compellas, idem ferè est, atque appello, familiariter alloquor, admoneo.

34. *Altilium.* Altilia vocantur animalia quæ aluntur impensiùs domi, et saginantur; pisces, aves, feræ, etc.

36. *Rexque.* Suos patronos, regum nomine appellabant.

39. *Telemachus.* Ulyssis filius, cui cùm patrem suum, Trojano bello confecto, diutiùs abesse domo cerneret Menelaüm, qui ab eodem bello reversus jam erat, convenit, ut resciret causam paternæ absentiæ. Menelaüs, posquam adolescenti de patre sciscitanti satisfecit, dimisit illum non sine muneribus, ac præcipuè illi equos obtulit: eos recusavit Telemachus, equis alendis Ithacam parum idoneam causatus. Hom. Odyss. Lib. IV. Sic Horatius beneficia Mecœnatis et munera, quæ intelligit tenuitati suæ parum convenire, abnuit, si libertate, donis omnibus potiore, sit cariturus.

Vacuum. Tranquillum: minimè, ut Roma, populosum ac tumultuosum.

Imbelle. Otiosum, voluptatibus deditum.

Non est aptus equis Ithacæ locus, ut neque planis
Porrectus spatiis, neque multæ prodigus herbæ;
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent; mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.
Strenuus, et fortis, causisque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque foro nimiùm distare Carinas,
Jam grandis natu, queritur; conspexit, ut aiunt,
Adrasum quemdam vacuâ tonsoris in umbra,

à te sum cumulatus. Sapienter Telemachus, Ulyssis ærumnosi filius, oblatos sibi à Menelao equos respuebat, cùm diceret Ithacam insulam alendis equis idoneam non esse, quippe planis et apertis carentem campis, neque pascuis opimis abundantem, Serva, Menelae, inquiebat, munera, tibi, quàm mihi, aptiora. Parvis parva congruunt. Me vero jam Romæ, gentium dominæ, splendor et opes non movent: arridet solitudo Tiburis, otium et deliciæ Tarentinæ placent. Philippus, ut perhibent, egregius ille civis et orator clarissimus, ac dicendis apud judices causis quàm maximè exercitatus, cùm aliquando circa horam à meridie alteram, à judiciis et forensi labore domum reverteretur, atque à foro longiùs abesse Carinas, ubi habitabat, que-

45. *Fortis.* Virum fortem et strenuum vulgò appellabant Romani civem egregium, constantem, justum, etc. licèt belli rudem.

Philippus. Lucius Marcius Philippus, orator nobilis, qui consulatum et censuram gesserat. De quo Tullius multa cum laude meminit. Lib. II. de Offic.

46. *Ab officiis.* Officia vocantur hìc, omnia boni civis, patroni, amici, munia, præsertim forensia.

Horam octavam. Ab orto sole: que Gallis, v. g. est hora post meridiem secunda.

47. *Carinas.* Carinæ, regio quædam et locus erat Romæ, prope amphitheatrum Flavium, in valle inter Cælium et Esquilias; ubi domus Philippi, item Pompeii, etc. *les Carines.* Locum autem hunc dictum fuisse Carinas à similitudine carinæ, quæ pars est navis infima et incurva; quod speciem ejusmodi carinarum præ se ferrent ædificia.

49. *Adrasum.* Leviter detonsum. Ea vox libertum nullo modo significat; licèt servi libertate donati caput raderent.

In umbra. Pergula, tonsoris officinæ prætenta: vel ipsa interior officina.

Vacuâ. Ubi nemo tunc alius esset.

Cultello proprios purgantem leniter ungues.
Demetri (puer hic non lævus jussa Philippi
Accipiebat) abi; quære, et refer unde domo, quis,
Cujus fortunæ; quo sit patre, quoque patrono.
It, redit, et narrat, Vulteium nomine Menam,
Præconem, tenui censu, sine crimine notum,
Et properare loco, et cessare, et quærere, et uti
Gaudentem parvisque sodalibus, et lare certo,
Et ludis, et, post decisa negotia, Campo.
Scitari libet ex ipso quæcunque refers, dic
Ad cœnam veniat. Non sanè credere Mena,
Mirari secum tacitus. Quid multa? benignè,

reretur, quippe jam ætate provectior; vidit in officina tonsoris, unum quempiam è populo, qui post attonsos crines, exiguo cultro suos ungues placidè repurgabat. Ito Demetri (servus hic Philippi erat, ad omnia heri mandata exequenda strenuus imprimis et diligens) sciscitare, ac renuncia mihi quisnam ille sit, cujas, cujus conditionis; quem patrem, quem patronum habeat. Abit Demetrius, redit ad herum, eique refert civem hunc vocari Vulteium Menam, præconem esse, opibus exiguis, hominem spectatæ inter suos probitatis, qui ultro citroque cursitaret faciendi quæstûs causâ; mox parto quæstu, per otium uteretur: solitum versari cum ejusdem, ac ipse erat, conditionis civibus et amicis; esse illi domum in urbe et familiam; spectandis ludis, ut ceteros cives, adesse; spatiari, cùm negotia confecisset, atque oblectare se in campo Martio. Tum Philippus: Percontari velim ipse, inquit, ab eo quæcumque narras, mone illum ut hodie ad me cœnatum veniat. Vix adduci potuit Mena, ut se à Philippo vocari ad cœnam crederet servo dicenti, et secum admirans restitebat. Ad extremum: Maxi-

52. *Unde domo.* Quanam ex familia, gente? Virgil. Lib. VIII. *Qui genus? unde domo?*

53. *Cujus fortunæ?* Dives, an pauper?

55. *Præconem.* Præconum hæc officia Lambinus enumerat in Comitiis: Tribus citare; appellare magistratus qui creati erant; leges quæ suadebantur pronunciare. In judiciis: judices, testes, reos citare. In auctionibus: rerum pretia declarare.

57. *Lare certo. gaudentem.* Non planum et erronem, sed stabili ac certo domicilio utentem: *qui avoit son ménage à Rome.*

58. *Campo.* Spatiabantur, garriebant, ludebant, in Campo-Martio, quæ amœna planities erat ad ripam Tiberis.

Respondet. Negat ille mihi? Negat improbus, et te
Negligit, aut horret. Vulteium mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello
Occupat, et salvere jubet prior. Ille Philippo
Excusare laborem, et mercenaria vincla,
Quod non manè domum venisset; denique, quòd non
Providisset eum. Sic ignovisse putato
Me tibi, si cœnas hodie mecum. Ut libet. Ergo
Post nonam venies. Nunc i, rem strenuus auge.
Ut ventum ad cœnam est, dicenda, tacenda loquutus,
Tandem dormitum dimittitur. Hìc ubi sæpe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum,

mas Philippo gratias habeo, inquit, at tanto me dignum honore non judico. Siccine, à me vocatus, venire abnuit? abnuit, teque aut contemnit, aut reveretur, ac reformidat. Postridie manè Vulteium offendit Philippus, viles quosdam merces tenui plebeculæ dividentem: prior alloquitur, et salutem homini dicit. Vulteius cœpit Philippum deprecari, ut se haberet excusatum, quod molestis, quæ mercatores distinent, occupationibus præpeditus, ad cœnam vocatus ab ipso, non venisset; quod primâ luce non ivisset ipsius domum officii causâ; denique quod illum prior non vidisset, ac salutem dixisset. Ego vero, inquit Philippus, eâ lege ignosco tibi, ut ad me venias ad cœnam. Morem geram, inquit Vulteius. Igitur post horam à meridie tertiam me convenies; perge modo, et lucri plurimum fac. Horâ constitutâ Vulteius adest, discumbit; quidquid venit in buccam, liberè ac nullo discrimine deblaterat. Tandem fit illi copia redeundi suam domum, ubi somnum capiat ac noctem exigat. Cùm vero lautiore mensâ illectus, perinde ac pices escâ opertâ capiuntur, Philippum sæpius adiret, cùm sub auroram inter clientes ad eum salutandum præsto

62. *Respondet benignè. Il s'excuse le plus honnetement qu'il peut.*

64. *Tunicato.* Cives honestiores togas habebant tunicis impositas; tunicis tantùm vulgò plebecula utebatur.

Scruta. Detrita ferramenta, pannos veteres, vasa dimidiata, frivola, etc. *De vieilles ferrailles, quelque méchante clinquaillerie.*

65. *Occupat.* Prævenit, antevertit.

68. *Providisset.* Prior vidisset, ac salutasset.

71. *Dicenda, tacenda.* Digna atque indigna relatu, ut ait Maro: *parlant à tort et à travers.*

Mane cliens, et jam certus conviva, jubetur
Rura suburbana indictis comes ire Latinis.
Impositus mannis, arvum, cœlumque Sabinum
Non cessat laudare. Videt, ridetque Philippus;
Et sibi dum requiem, dum risus undique quærit,
Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet uti mercetur agellum.
Mercatur. Ne te longis ambagibus, ultra
Quam satis est, morer, ex nitido fit rusticus, atque
Sulcos, et vincta crepat mera; præparat ulmos,
Immoritur studiis, et amore senescit habendi.
Verùm ubi oves furto, morbo periere capellæ,
Spem mentita seges, bos est enectus arando,

esset, cùm ejus domum quotidianus conviva frequentaret; jubet eum Philippus venire secum per ferias Latinas in villam sub urbe positam. Mena, equo pumilo bellissimè vehens, nullum finem facit laudandi soli et cœli Sabini. Risum Philippus non tenet: dumque omnem oblectandi se occasionem captat, septem sestertia illi dono dat, totidem mutuo se daturum pollicetur: demum persuadet homini, ut emat villulam. Emit. Quid plura? ex homine urbano et compto, agrestis et incultus evadit: habet in ore nihil præter sulcos vineasque: totus est in ulmis, quibus vites adjungat, præparandis; in ceteros denique agriculturæ labores strenuè incumbit, tantâ rei augendæ cupiditate, ut contabescat ac pæne emoriatur. At postquam sibi subreptas oves, cappellas morbo extinctas, boves aranda tellure enecatos, se-

74. *Manè cliens.* Clientes ventitabant ad suos patronos quotidie manè, salutandi causâ.

75. *Latinis.* Erant Feriæ Latinæ, festa quædam toti Latio communia, in honorem Jovis Latialis instituta, et in memoriam fœderis quod Tarquinius Superbus fecerat cum populis Latii. Diebus quatuor peragebantur, nec ulli certo tempori addicta erant, sed, cùm visum foret, indicebantur, hoc est, denunciabantur publicè, et imperabantur à consule Romano quotannis: *les fêtes ou les féries Latines*, ou *du Latium.*

79. *Septem sestertia.* Septem millia minorum sestertiorum. Nummos Francicos, seu libras, ut loquimur, septingentas.

Mutua. Nempe ab ipso reddenda Vulteio, cùm id commodè posset.

84. *Senescit.* Maceratur, contabescit.

86. *Spem mentita.* Spem fefellit, deteriorem spe fructum tulit.

Offensus damnis, mediâ de nocte caballum
Arripit, iratusque Philippi tendit ad ædes.
Quem simul aspexit scabrum, intonsumque Philippus;
Durus, ait, Vultei, nimis attentusque videris
Esse mihi. Pol, me miserum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi dicere nomen:
Quod te per Genium, dextramque, Deosque Penates,
Obsecro, et obtestor, vitæ me redde priori.
Qui simul aspexit quantum dimissa petitis
Præstent, maturè redeat, repetatque relicta.
Metiri se quemque suo modulo, ac pede, verum est.

mina autem terræ credita, votis non respondere vidit: his jacturis perculsus in equum intempestâ nocte subitò insilit, et Philippi domum, irâ exæstuans, petit. Ubi hominem Philippus conspexit incultum impexumque: Nimis parcè ac duriter te, Vultei, tractas, inquit, ac mihi videris præter morem ac modum lucri avidus. At hercle me mortalium miserrimum appellares, patrone, si mihi verum imponere nomen velles. Quin, ego te oro et obtestor per tuum Genium, per hanc tuam dexteram, per Penates tuos, hanc mihi da facultatem, ut pristinum vitæ institutum repetere liceat. Ubi rem consideravit Philippus, expenditque quantum urbana illa vita, quam reliquerat Vulteius, potior esset eâ quam homo imprudens expetierat; edicit, ut quamprimum ad priorem vivendi rationem se referat. Æquum est videlicet ac rationi consentaneum, ut unusquisque suâ se, ut aiunt, ulnâ metiatur, et calceos pedi suo pares induat.

90. *Attentus.* Avarus, *épargnant, ménager.*

91. *Pol.* Per Pollucem.

97. *Verum est.* Justum, æquum est, par est: *Il faut que chacun se mesure à son aune, et se chausse à son pied.* Monet autem proverbium ut id quisque sequatur vitæ genus, quod sibi aptum sit.

EPISTOLA VIII.

De sua tum corporis tum animi valetudine in Celsum Albinovanum scribit: eundem admonet ut secundam fortunam modestè ferat.

Celso gaudere, et bene rem gerere Albinovano,
Musa rogata refer, comiti, scribæque Neronis.
Si quæret quid agam, dic, multa et pulchra minantem,
Vivere nec rectè, nec suaviter. Haud quia grando
Contuderit vites, oleamque momorderit æstus;
Nec quia longinquis armentum ægrotet in arvis;
Sed quia mente minùs validus quam corpore toto,
Nil audire velim, nil discere, quod levet ægrum:
Fidis offendar medicis, irascar amicis,

ORo te, mea Musa, ut quam mihi salutem Celsus Albinovanus, comes Neronis et scriba, dedit per litteras, eamdem illi reddas meo nomine, eique omnia fausta et felicia coram preceris. Si ex te sciscitabitur quid rerum agam, et quî valeam: respondebis, me, licet multa et præclara mediter, ac magnificè promittam; nihilominus neque jucundè, neque prout decet, vivere: non quòd vites meos grando attriverit, aut oleæ nimio calore maceratæ sint et adustæ; non quòd mei greges in provinciis hinc remotis pascentes laborent morbis et imminuantur; sed quòd animo magis, quàm corpore ægrotans recusem ab aliis audire, vel discere per me ipse, illa, quibus fieri morbis meis medicina possit; quòd succenseam fidelibus me-

1. *Celso Albinovano.* Idem censetur esse ac Celsus Pedo Albinovanus, cujus è scriptis extat tantùm Elegia in obitum Mecœnatis, itemque altera ad Liviam, in Drusi funere.

2. *Comiti*, etc. Comites principum appellari diximus aulicorum turbam, quæ honoris causâ comitatur principes, Comiti Neronis, *qui est à la suite de Tibere.* Scribæ, *qui est son Secrétaire.*

Neronis. Cl. Tiberii Neronis, Augusti privignus.

6. *Longinquis.* In Calabriam, aut Lucaniam, ubi opima pascua greges amandabant.

Cur me funesto properent arcere veterno ;
Quæ nocuêre sequar, fugiam quæ profore credam;
Romæ Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
Post hæc, ut valeat, quo pacto rem gerat, et se ;
Ut placeat juveni, percontare, utque cohorti.
Si dicet, rectè : primum, gaudere, subinde
Præceptum auriculis hoc instillare memento :
Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

dicis ; quòd ægrè feram admoneri me ab amicis, cùm excitare me laborant è tetro atque exitiali lethargo : quòd amplectar ea quæ mihi fuère noxia ; quæ verò utilia fore intelligo, illa fastidiam ac rejiciam : quòd, Romæ cùm versor, Tibur, ut est levitas mea et inconstantia, suspirem ; cùm Tibure sum, cogitem Romam, et exoptem. Posteà quæres ab illo, quemadmodum valeat ; quâ ratione ipse se gerat, ac munus suum administret ; quàm acceptus sit Tiberio Neroni, quàm gratus cæteris comitibus principis. Si belle hæc omnia se habere respondebit, primò gratulaberis, deinde clam in aurem illud ei leniter suggeres ; nos in ipsius amicitia constantes ita futuros, ut ipse in rebus prosperis memorem amicorum et modestum se præbebit.

10. *Me arcere veterno.* Hypallage. Dicendum enim erat, à me veternum arcere. Veternus, languor quidam est ac torpor, dormiendi necessitatem afferens : *léthargie, assoupissement.*

Ventosus. Levis, inconstans.

13. *Rem gerat.* Vel munus, quo fungitur apud Tiberium, cui erat ab epistolis : vel, rem domesticam ac familiarem.

14. *Juveni.* Tiberio Neroni, quem diximus ab Augusto missum in Armeniam, ut illi nationi Tigranem regem præficeret, circa annum ab U. C. 784.

Cohorti. Ea vox amicorum et comitum Neronis gregem hìc significat.

16. *Instillare.* Ut liquor in os angustum vasis guttatim infunditur : sic præcepta et monita asperiora in ægrum animum dimittenda leniter sunt.

19. *Fortunam.* Felicem nempe, quæ onus est gravissimum, et cui pares pauci sunt. Erat autem iste Celsus in præcipua apud Tiberium gratia ; ex humili fortasse loco huc sublatus.

EPISTOLA IX.

Septimium Claudio Tiberio Neroni commendat.

Septimius, Claudi, nimirum intelligit unus,
Quanti me facias. Nam quum rogat, et prece cogit
Scilicet, ut tibi se laudare, et tradere coner
Dignum mente, domoque legentis honesta Neronis:
Munere quum fungi propioris censet amici,
Quid possim videt, ac novit me valdiùs ipso.
Multa quidem dixi, cur excusatus abirem;
Sed timui, mea ne finxisse minora putarer,
Dissimulator opis propriæ, mihi commodus uni.
Sic ego, majoris fugiens opprobria culpæ,
Frontis ad urbanæ descendi præmia. Quòd si

Unus scilicet omnium Septimius, Claudi Nero, intelligit quanto apud te in pretio sim; cùm enim rogat, suisque adeo precibus quodammodo me cogit, ut se tibi, quantum in me est, commendem, tanquam non indignum, quem tu, qui nullos nisi probos viros diligis, judicio tuo et benevolentiâ cohonestes, et admittas in familiam tuam; cùmque me unum è tuis interioribus amicis esse credit; sanè melius, quàm ego ipse, perspectum habet, quid apud te possim. Equidem pluribus verbis egi cum illo, ut me ipsi excusarem, rogaremque ne me tibi molestum esse cogeret; sed veritus sum ne arbitraretur me dissimulatione uti et fugiendi officii causâ, minuere meam apud te gratiam et auctoritatem; perinde quasi meas unius res curarem, amicorum autem commoda et rationem negligerem. Quocirca ne id mihi crimen longe gravissimum exprobrari jure

1. *Septimius.* Illustris Septimiorum domus Romæ fuit: et is de quo hîc agitur Titius Septimius, tanquam poëta bonus laudatur in Epistola hujus Libri quinta.

3. *Tradere.* Utebantur hac voce, pro, commendare, offerre aliquem alicui amicum, comitem, etc.

6. *Valdius.* Pro, validius: ab adverbio valdè, quod natum est ex validè.

10. *Majoris culpæ.* Si nempe dicerer amicos negligere, mihi studere uni.

11. *Frontis urbanæ præmia.* Urbani homines solent esse audaciores, quàm rustici: et honesta libertas illa præmium vi-

Depositum laudas ob amici jussa pudorem,
Scribe tui gregis hunc, et fortem crede, bonumque.

posset, factus sum audacior et inverecundior. Tu verò, si bonam in partem accipis, quòd, ut morem amico geram, tecum agere libertùs non dubitem, patere ut Septimius ascribatur in tuorum numerum, et sic habeto, illum omnibus egregiis, quæ probum virum ac strenuum decent, dotibus esse præditum.

detur esse, ac fructus vitæ consuetudinisque urbanæ, et liberalis educationis.

EPISTOLA X.

AD FUSCUM ARISTIUM.

Urbanæ atque ambitiosæ vitæ incommoda; commoda tenuis ac rusticanæ describit.

URBIS amatorem Fuscum salvere jubemus
Ruris amatores; hac in re scilicet unâ
Multum dissimiles, at cetera penè gemelli.
Fraternis animis quidquid negat alter, et alter,
Annuimus pariter, vetuli, notique columbi.
Tu nidum servas, ego laudo ruris amœni
Rivos, et musco circumlita saxa, nemusque.
Quid quæris? vivo et regno, simul ista reliqui

EGo, ruris impensè amans, salutem dico plurimam Fusco, cui urbs unicè placet. Hoc uno videlicet longè inter nos discrepamus, reliquis in rebus, ut gemelli fratres conspirantibus animis idem negamus ambo ac respuimus; idem affirmamus et probamus; similiter atque duo columbi jam seniores, et sibi invicem probè cogniti. Tu Romæ, tanquam in nidulo, te contines: mihi rus unicè cordi est; mirificè delectant me rivi, vestita musco saxa, sylvæ. Quid multa? vivere me ac regnare

5. *Columbi.* Iisdem tectis utuntur columbæ, et gregatim volant: itaque faciliùs inter se norunt.

7. *Musco.* Muscus, quæ viridis quædam lanugo est, adhærere solet saxis humentibus.

8. *Vivo et regno.* Id est, vivo beatissimè: vitam quovis rege beatiorem vivere me puto.

Quæ vos ad cœlum effertis rumore secundo.
Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso;
Pane egeo jam mellitis potiore placentis.
Vivere Naturæ si convenienter oportet,
Ponendæque domo quærenda est area primùm,
Novistine locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hyemes? ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis, et momenta Leonis,
Quum semel accepit solem furibundus acutum?
Est ubi divellat somnos minus invida cura?
Deteriùs Libycis olet, aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,

puto, cùm urbis pompam, opes, spectacula, et alia id genus, deserui, qua vos vehementer suspicitis, ac pleno ore certatim prædicatis. Demum ita sordent mihi urbanæ deliciæ, iisque simplicitatem vitæ rusticæ ita præfero, quomodo servus apud sacerdotem diu versatus, fastidit liba diis offerri solita; adeo ut captet fugam, quo liceat vesci pane communi, quem placentis quantumvis dulcibus et melle conditis anteponit. Et verò, si debemus in vita sequi naturæ ductum, et prout natura suadet, locum extruendæ domûs deligere; ecquis tandem locus est ad ponendum domum aptior, quàm rus lætum et copiosum? Ubinam temperata et tepida magis est hyems? ubi molliores auræ, et venti frigidiores, quibus caniculæ sævientis æstus, et Leonis æstivi, cùm calidum solem accepit, rabies infringatur ac mitescat? ubinam curæ, quietis inimicæ, somnos minùs

10. *Fugitivus.* Servi nequam dicebantur vulgò fugitivi, quia ex herili domo solebant aufugere.

Liba. Sunt placentæ, crustula, cupediæ, melle, oleo, etc. conditæ; quales offerebantur sæpè Diis, et quibus deinde sacerdotes, illorumque servi, vescebantur.

11. *Pane egeo.* Occupationes ludicras et urbanas, otiosis hominibus idoneas, appellat liba; serias verò, ut philosophiæ moralis studium, etc. panem appellat.

Momenta leonis. Dies calidissimos, et æstum quem efficit leo, cœleste signum, in quo sol, ut loquuntur Astronomi versatur Augusto mense.

19. *Lapillis Lybicis.* Pavimenta Romani sternebant, et parietes ac mensas integebant secto in minimas particulas marmore, quod eximium ex Africa devehebatur. Gemmæ præstantes in eadem Africa inveniuntur, quæ significari voce istâ *lapillis* hîc possunt.

20. *Tendit rumpere.* Tantâ celeritate et copiâ fertur, ut videatur tubos diruptura. Quod interdum reipsa fit, seu aquæ

Quàm quæ per pronum trepidat cum murmure rivum !
Nempe inter varias nutritur sylva columnas,
Laudaturque domus, longos quæ prospicit agros.
Naturam expelles furca, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.
Non qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiusve medullis,
Quàm qui non poterit vero distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavêre secundæ,

abrumpunt ? an viridis cespes deterioris est coloris vel odoris, quàm gemmæ, quàm Africana marmora ? num aquæ plumbeis canalibus in urbe conclusæ, ac plenis tubulis erumpere molientes, liquidiores sunt iis aquis, quæ per declivem locum rivo immurmurante desiliunt ? Quid quod in ipsa urbe rus amamus, et in sumptuosis ædificiis, inter porticus fultas excelsis è marmore versicolore ac maculoso columnis, seruntur arbores, coluntur horti, nemus alitur : domus illa existimatur pulcherrima, unde in patentes longè campos liber prospectus est. Scilicet quantumvis conemur extinguere sensus à natura nobis insitos, eosque veluti per vim ex animis evellere : semper tamen redibunt, et sensim, invitis imprudentibusque nobis, pervincent illud fastidium, quo nativas et ingenuas ruris voluptates malè contemnimus. Imperitus mercator, qui laxas purpureas Aquini tinctas, comparare cum iis quæ apud Sidonios tinctæ sint, atque has ab illis distinguere nesciet, gravius et ad dolorem acerbius damnum sibi non accerset inscitia sua, quàm is qui verum à falso secernere non poterit. Qui ob res prosperas intemperantiùs exultat, idem in adversis rebus luctu,

impetu, seu violentiâ venti, tubis inclusi et spiracula non habentis.

24. *Expelles furca.* Aliquem furcâ vel furcillis expellere, proverbii Laniti genus est, quo significatur aliquis per vim extrudi, et in humeros caputque præceps dari.

Sidonio. Sidon, nunc *Seyde*, urbs Phœniciæ, Tyro vicina, in Asia, ostro suo nobilis.

Contendere ostro. Certare cum ostro, ut explicui ; adeo esse similem purpuræ Sidoniæ Aquinatem purpuram, ut illi possit æquiparari, et pro illa, ab eo qui parum sit callidus, accipi.

27. *Aquinatem.* Aquinum, *Aquin*, urbs Italiæ.

Fucum. Colorem, tincturam.

28. *Propius medullis.* Interius ; quod illum magis tangat, crucietque.

Mutatæ quatient. Si quid mirabere, pones
Invitus. Fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges, et Regum vitâ præcurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frænumque recepit;
Sed postquam victor victo discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frænum depulit ore.
Sic, qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehit improbus, atque
Serviet æternum, quia parvo nesciet uti.
Cur non conveniet sua res, ut calceus olim,
Si pede major erit, subvertet; si minor, uret.
Lætus sorte tuâ vives sapienter, Aristi;
Nec me dimittes incastigatum, ubi plura
Cogere quàm satis est, ac non cessare videbor.
Imperat, aut servit collecta pecunia cuique,

ac mœrore dejicietur. Si, cujuspiam rei cupiditate illigari te sines, eam tibi eripi aut perire molestè feres. Magnam fortunam, opes, honoresque immodicos ne consectare: fas est in re tenui ac modicâ fortunâ, reges, ac regum amicos felicitate vincere. Pascebantur equus et cervus in communi ambobus prato: cervus fortior equum expulit frustra diuque pugnantem, sed imparem resistendo. Equus auxilium hominis expetivit, ac frænum ori suo inseri passus est. Ita hostem ille quidem vicit, sed impositum tergo hominem, et receptum ore frænum excutere non potuit. Ad hunc modum qui, paupertatis metu, libertate se abdicat, quæ auro pensari nullo potest ferre dominum ærumnosus et infelix cogitur, à quo servituti perpetuæ mancipabitur, quia parvo contentus esse non potuerit. Qui opes, pro suo statu et conditione vitæ, vel majores justo, vel minores habuerit, idem illi continget, quod usu venit cùm calcei vel pede sunt ampliores, eumque subvertunt, vel angustiores, eumque vexant ac malè torquent. Prudenter feceris, Aristi, si tuâ sorte contentus vivas: et magnam habeo tibi gratiam, si me admonere vicissim, et increpare non gravaberis, cùm in colligendis opibus plus æquo attentum esse me, ac nullum augendæ rei finem facere, conspicies. Pecunia in cumulum congesta, vel domina

35. *Minor.* Inferior, infirmior.

37. *Victor victo.* Equus, qui vi magnâ hostem debellaverat.

42. *Olim.* Interdum, fermè.

Tortum digna sequi potius quam ducere funem.
Hæc tibi dictabam fanum post putre Vacunæ,
Excepto quòd non simul esses, cetera lætus.

cujusque est, vel ancilla : sed profectò servire debet, ac funem sequi potiùs quàm ducere. Hanc epistolam ad te mittendam, perscribi jussi à servulo, cùm essem penè fanum vetus ac pene dirutum, Deæ Vacunæ, lætus et hilaris, ac nihil habens quod me augeret, nisi quod mecum non esses.

48. *Tortum funem*, etc. Duplex genus ludi apud Romanos usitati, hoc in loco intelligi potest. Alterum, in quo unus quispiam restim manu tenens præibat ceteris, eumdem funem tenentibus et sequentibus saltando, et certos per orbes redeundo : alterum, in quo pueri extremum funem hinc inde mordicus tenentes, alteri, alteros trahere nitebantur.

49. *Vacunæ.* Dea erat otiosorum. Ejus templum ferè dirutum visebatur in Sabinis, ubi Horatii villa, ex qua pars ejusdem templi posterior prospiciebatur.

EPISTOLA XI.

Ad Bullatium peregrè profectum in Asiam scribit, monens, ut ubicumque sit, animi æquitatem ac tranquillitatem sectetur, quæ ad felicitatem vitæ magis, quàm locus quilibet conducit.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos?
Quid concinna Samos, quid Crœsi regia Sardis?

Qualem esse reperisti insulam Chium, Bullati, et celeberrimam illam Lesbum? qualem vidisti Samum, quæ or-

2 *Samos.* Insula et urbs Ægæi maris è regione Ephesi, Junoni sacra, *Samos.* Concinna dicitur propter dignitatem ædificiorum et elegantiam totius loci.

Sardis. Urbs Lydiæ primaria fuit, ad montem Tmolum. In ea degebat olim Crœsus, omnium, ut fama est, regum, qui antea floruissent, ditissimus. Is cùm sibi mortalium felicissimus videretur, à Solone monitus est, neminem, qui adhuc viveret, id prædicare tutò, ac verè posse. Hoc adeo agnovit ipse Crœsus, victus et captus à Cyro, Persarum rege, pyræque impositus : in qua illum Solonis nomen sæ-

Smyrna quid, et Colophon? majora, minorane fama?
Cunctane præ Campo, et Tiberino flumine sordent?
An venit in votum Attalicis ex urbibus una?
An Lebedum laudas, odio maris atque viarum?
Scis Lebedus, quid sit? Gabiis desertior, atque
Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem;
Oblitusque meorum, obliviscendus et illis,
Neptunum procul ê terra spectare furentem.
Sed neque, qui Capuâ Romam petit, imbre, lutoque
Aspersus, volet in caupona vivere; nec, qui

natissima et amœnissima esse jactatur? quid sentis de Sardibus, Crœsi regiâ olim urbe? Quid me Smyrna et Colophone? num illæ urbes et insulæ, tibi visæ sunt ornatiores et majores, quàm eas vulgò fama prædicat? an contra minores? Num ea omnia contemnenda judicas, si conferantur cum Tiberi, et campo Martio? Optaresne tibi domicilium deligere in aliqua ex illis civitatibus, quas Attalus olim habuit in sua ditione? an malles Lebedi consistere, pertæsus longæ et periculosæ navigationis? Nosti quid sit Lebedus? nempe oppidulum Gabiis et Fidenis et infrequentius et desertius. Atque sic habeto me libenter illic vitam acturum, propinquorum et affinium planè oblitum, neque recusaturum, quin mei ipsius vicissim obliviscerentur, modò ibi possem conquiescere, ac furentes procellas impunè contemplari. Tamen, Bullati, viator, qui Capuâ profectus contendit Romam, licèt multâ pluviâ madidus et luto inquinatus sit, volet in cauponæ et diversorio consistere, ut ubi quod reliquum est vitæ, degat: nec aliquis frigore ten-

piùs inclamantem audiens Cyrus, et rem totam edoctus, eumdem pyræ ac neci exemit.

3. *Smyrna.* Urbs Asiæ minoris clarissima, in Ionia: nunc *Smyrne.*

Colophon. Ejusdem Ioniæ civitas. Illius cives præstabant equestri certamine, ita, ut alii populi Colophonium equitatum magnâ mercede conducerent, tum demum se victores fore arbitrati. Unde fluxit proverbium *Colophonem addere*: id est, manum ultimam operi imponere: perfectam rem habere.

6 *Lebedum.* Lebedus, civitas Ioniæ maritima; parum populosa.

Gabiis, Fidenis. Gabii, urbs Volscorum in Italia. *Fidenæ*, Latinorum vicus.

11. *Capua.* Fuit urbs clarissima Italiæ, quæ cum ipsa Roma de orbis imperio certavit. *Capoue.*

Frigus collegit, furnos et balnea laudat,
Ut fortunatam plenè præstantia vitam.
Nec, si te validus jactaverit Auster in alto,
Idcirco navem trans Ægæum mare vendas.
Incolumi Rhodos, et Mitylene pulchra facit, quod
Penula solstitio, campestre nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.
Dum licet, et vultum servat fortuna benignum,
Romæ laudetur Samos, et Chios, et Rhodos absens:
Tu, quamcunque Deus tibi fortunaverit horam,
Gratâ sume manu, nec dulcia differ in annum;
Ut, quocunque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas. Nam si ratio, et prudentia curas,

tatus, ubi ad furnum se calefecit, et in balneo recreavit, summam beatæ vitæ in balneis et furnis collocat. Neque tu si fueris jactatus tempestate in Ægæo mari, hanc tibi causam esse idoneam putabis, cur navigium vendas, et navigationem omittas. Sic est omninò, Rhodus, Mitylene, non magis conferunt ad felicitatem hominis sani et valentis, quàm crassa et villosa vestis mense Junio, cùm æstas est calidissima; aut vestis levior et subtilior, per brumam, cùm ningit: aut natatio in Tiberi, cùm sævit hyems, aut luculentus focus, mense Augusto. Dum sinit ætas et valetudo, dum Fortuna nobis arridet, maneamus sanè Romæ, ibique Samum, Chium et Rhodum, procul positas celebremus. At tu quicquid tibi faustum et fortunatum quocumque tempore acciderit, illud grato animo, et beneficii à Deo accepi memor, cape: nec, si quid degustare voluptatis potes, illud in futurum longè tempus rejice: itaque te compara ut quocumque tamen in loco verseris, profiteri verè possis te animo æquo et contento vixisse. Nam cùm ratio sola et prudentia nos liberare curis possit, non verò urbs aliqua maritima,

18. *Penula.* Vestis crassa et villosa.

Solstitio. Solstitium est illud anni tempus, quo sol videtur stare, id est, non progredi versùs Austrum vel Septentrionem: quod bis in anno contingit, extremis mensibus Junio et Decembri. Solstitium porro, præcisè cùm dicitur, intelligitur æstivum, ut in hoc loco.

Campestre. Vestimenti genus leve et expeditum; subligaculum; *un caleçon, un tablier.* Quo utebantur, cùm exercebant sese in Campo Martio; à quo vestis nomen.

Non locus effusi latè maris arbiter, aufert;
Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia: navibus, atque
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hîc est,
Est Ulubris, animus si te non deficit æquus.

unde liceat mare longè latèque effusum prospicere: profectò qui transmarinas regiones petunt, falluntur si hoc pacto pristinas curas abigi posse putant; etsi enim regionem aliam aliâ commutant, nihilominus animum retinent eumdem semper, et ubique secum deferunt. Laboramus frustra, miseri mortales, dum terrâ marique felicitatem vitæ consectamur, ac nihil agentes eorum quæ sunt opus ad bene vivendum, alia omnia operosè agimus. Quod quæris, quod enixè ambis, hoc ipso in loco est; est Ulubris, si tu animo bene composito, et tuâ sorte contento destitutus non es.

26. *Arbiter.* Locus, unde liceat mare longè latèque effusum speculari: arbiter enim cognitorem et exploratorem rectè significat. Unde locus arbitris vacuus dicitur, in quo nemo est, qui audire quæ dicuntur, et quæ fiunt explorare, possit.

30. *Ulubris.* Ulubræ, ignobilis Italiæ vicus.

EPISTOLA XII.

Iccium de paupertate sua querentem consolatur: ejus frugalitatem et studium philosophiæ laudat; commendat ei Grosphum: de Romanis rebus pauca subjicit.

Fructibus Agrippæ Siculis, quos colligis, Icci,
Si rectè frueris, non est ut copia major

Si rectè frueris, Icci, proventibus, et frugibus quas colligis è prædiis Agrippæ in Sicilia; fieri non potest, ut majores di-

1. *Quos colligis.* Sive id haberet à munificentia Agrippæ, qui dominium illorum agrorum, et jus sibi retinens, eorumdem fructus utendos Iccio, vel Itio. (Itium enim scribi oportere Torrentius docet) donaverat: sive esset ipsius Agrippæ procurator ac villicus, ut quidam volunt, easque fru-

Ab Jove donari possit tibi. Tolle querelas :
Pauper enim non est rerum cui suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.
Si fortè in medio positorum abstemius, herbis
Vivis, et urticâ, sic vives protinus ut te
Confestim liquidus fortunæ rivus inauret;
Vel quia naturam mutare pecunia nescit,
Vel quia cuncta putas unâ virtute minora.
Miramur si Democriti pecus edit agellos,

vitias ipse Jupiter tibi largiatur. Omitte queri de tua paupertate : pauper dicendus non est, qui rerum ad vitam necessariarum usum habet, quamvis dominium illarum jusque non habeat. Si venter tibi non dolet, nec latus aut pedes; quænam accesso posset fieri ad hanc tuam felicitatem, etiamsi opes regias obtineres? Quòd si fortasse tam multis rebus affluens, parcè ac duriter victitas, et à vino abstines, si oleribus et urticis vesceris, crede mihi, non lautiùs viveres, neque te tractares benigniùs; quamvis aureos fluvios in tuam domum Fortuna derivaret : sive quia tuam indolem, quæ proclivis ad frugalitatem est, opes quamlibet magnæ mutare et corrumpere non possent : sive quia divitias reverà contemnis, et omnia virtute inferiora putas. Nihil jam est quod Democritum ad-

ges colligendo, et iis utendo, quæstum aliquem faceret.

7. *Positorum.* Bonorum præsentium et paratorum : quæ in promptu, in manibus sunt.

Abstemius. Vino non utens. Conflata vox è præpositione, abs, et temum seu temetum, quo veteri vocabulo significabatur vinum.

8. *Urtica.* Est urticarum quoddam genus edule; maximè verò illarum caulis.

Sic vives, etc. Potest hîc locus simpliciter ita explicari : si tot inter fructus agrorum optimorum vesceris oleribus et urticis; ita vivendo, eas opes tuâ parcimoniâ brevi consequeris, ut totus fias aureus : sive, quia nunquam depones pristinam tuam indolem, parcam videlicet ac frugalem, nec te opum vis ulla et copia prodigum et intemperantem faciet; sive quia revera putas hanc parcimoniam ad virtutem pertinere.

Protinus. Deinceps, in posterum, sine intermissione.

10. *Mutare nescit.* Sic blanditur Iccio. Nam reipsâ nihil mores hominum æquè mutat ac peccunia.

12. *Democriti.* Philosophus fuit Græcus, patriâ Abderitanus, qui res humanas ridere perpetuò solebat, ac tanto philosophiæ amore tenebatur, ut seipsum oculis orbasse dica-

Cultaque, dum peregrè est animus sine corpore velox :
Quum tu inter scabiem tantam, et contagia lucri,
Nil parvi sapias, et adhuc sublimia cures :
Quæ mare compescant causæ, quid temperet annum ;
Stellæ sponte sua, jussæne vagentur, et errent ;
Quid premat obscurum Lunæ, quid proferat orbem ;
Quid velit, et possit rerum concordia discors ;
Empedocleum, an Stertinium deliret acumen.
Verùm seu pisces, seu porrum, et cæpe trucidas,

miremur, quem accepimus tanto philosophiæ perdiscendæ desiderio flagrasse, ut sua prædia consumi à vicinorum armentis pateretur, dum ipsius mens quasi à vinculis corporis abstracta peregrinaretur; et supra mortales curas evolaret : illum, inquam, mirari desinimus, cùm te videmus inter tot occupationes, tot occasiones congerendæ pecuniæ, cujus amor immodicus scabie quâdam et contage hominum vel optimorum mentes inquinat, ac humi deprimit, attollere nihilominus animum ad rerum cœlestium contemplationem, et sublimes philosophiæ curas agitare; rimari quibus, verbi gratiâ, de causis fiat, ut mare intra certos terminos coërceatur; unde oriantur statæ anni tempestates; num stellæ proprio et arcano motu agitentur, an alieno impulsu et externo : quid globum lunæ modò contrahat

tur, patrimonium neglexisse, suos agellos alienis gregibus depascendos permisisse, ut ei perdiscendæ liberiùs vacaret.

13. *Culta.* Rura exculta, fertiles agros.

20. *Empedocleum.* Empedocles Philosophus Agrigentinus in Sicilia, cui cùm Deus existimari vellet, in ardentem Ætnam insiluit, eo consilio ut sublatus in sidera putaretur, corpore ipsius nusquam apparente.

Stercitum acumen. Stertinius philosophus erat Stoïcus. Empedocles concordi elementorum discordiæ tribuebat ordinem mundi et incolumitatem; quam divinæ providentiæ Stoïci assignabant : quærebat Iccius utra esset sententia verior, Empedoclis, an Stertinii et Stoïcorum.

21. *Pisces.* Numerabantur pisces apud Romanos inter eximia et exquisita fercula.

Trucidas. Ex doctrina Pythagoræorum loquitur, quos, opinor, sequebatur Iccius : illi enim hominum animas in oleribus latitare dictitabant, iisque inviti utebantur.

Utere Pompeio Grospho; et si quid petet, ultrò
Defer. Nil Grosphus nisi verum orabit, et æquum.
Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.
Ne tamen ignores quo sit Romana loco res,
Cantaber, Agrippæ, Claudì virtute Neronis
Armenius cecidit. Jus, imperiumque Phraates
Cæsaris accepit genibus minor. Aurea fruges
Italiæ pleno diffudit copia cornu.

involvatque tenebris, modò dilatet ac luce compleat : quo pacto mundus constet elementis inter se pugnantibus, et nihilominus tam bellè consentientibus : quid efficiant singulæ causæ : Stertinius, an Empedocles hallucinetur. Ceterum, sive pisces interficis, seu porra et cæpes, oro te ut Pompeium Grosphum in amicorum tuorum numero esse velis : ac si quid te rogabat, annuas; nihil non justum et legitimum à te postulabit. Facilè amicitia proborum, quando egent, comparatur, ac parvo sumptu occurritur ipsorum inopiæ; quia modico sunt contenti. Ad extremum, ut noris quid modo rerum agatur in imperio Romano, Cantabri domiti sunt ab Agrippa; Armeni à Claudio Tiberio Nerone : Phraates provolutus in genua se in fide ac potestate Cæsaris futurum spopondit. Magna frugum copia, et ubertas felix, Italiam omnem locupletavit.

24. *Vilis*, etc. Cùm enim egent probi, tunc illos demereri facilè quivis potest, eosque amicos comparare, ex parvo quasi emere, illos alere, et eorum animum explere, quia nihil majoris pretii petunt; vilis annona dicitur, cùm cibaria vili pretio constant.

27. *Armenius.* Coortâ inter Armenios seditione misit Augustus Tiberium, qui eam componeret, ac Tigranem in regnum restitueret: anno urbis 734.

Phraates. Rex Parthorum : qui Augusti amicitiam ultro expetiit, restitutis, quæ Crasso fuerant quondam erepta, signis; missis etiam è Perside legatis, qui suo nomine jurarent in Augusti verba, eique ad genua proni advolverentur.

29. *Pleno cornu.* Poëtæ hanc Cornucopiæ tradunt originem, Nempe aiunt Herculem, postquam fluvium Acheloüm sub tauri forma latentem vicisset, ei detraxisse unum è taurinis cornibus; quod cùm dedisset Nymphis, cœperunt ex eo perpetui flores, ac fructus scaturire.

EPISTOLA XIII.

Horatius libros suos Vinnio Asellæ dederat, Augusto offerendos : id quo fieri pacto velit, docet.

Ut proficiscentem docui te sæpe, diuque,
Augusto reddes signata volumina, Vinni,
Si validus, si lætus erit, si denique poscet :
Ne studio nostri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes operâ vehemente minister.
Si te fortè meæ gravis uret sarcina chartæ,
Abjicito potius, quàm quò perferre juberis
Clitellas ferus impingas, Asinæque paternum
Cognomen vertas in risum, et fabula fias.

Vinni, meos libros, quemadmodum te hinc abeuntem diu multumque admonui, Augusto dabis obsignatos ; si modò bonâ utetur valetudine ; si lætum videbis ; demum si eos postulabit. Cave ne quid agas perperam, dum bene mereri de me, et mandata mea exequi vehementiùs studes ; neve efficias ut libelli mei displiceant, ac malè accipiantur. Si onus illorum tibi videtur esse gravius, eosdem abs te malim non deferri, quàm sarcinam hanc rusticum in morem, ut agrestes asini clitellas solent, excuti ferociter, et effundi, ac dare occasionem hominibus captandi risum ex Asina cognomine, quod paternum habes ; unde ludibrio sis. Vires, quibus præstas, adhibebis ad

2. *Signata.* Sigillo meo munita, et clausa, *bien cachetés*, ne à quoquam priùs legantur, quàm ab Augusto.

Vinni. Vinnius iste oriundus erat, ut videtur ex pago, ubi Horatius villam habebat.

5. *Operâ vehemente.* Sedulitate nimiâ. *Par un trop grand empressement.*

6. *Uret.* Cruciabit, opprimet.

Impingas. Humo illidas, ut bajuli onus grave solent : *jetter lourdement à terre.*

Asinæ. Multæ familiæ non ignobiles ejusmodi habebant cognomen, ut Aselli, Asellæ, Aselliones dicerentur. Torrentius affirmat se vidisse glossema vetus ascriptum bono codici, in quo hæc legerentur : *Vinnius Fronto ad quem hæc scribit, patrem habuit Asinam cognomine.*

Vertas in risum. Cùm dicent homines te nihil ab Asino, cujus cognomen pater tuus gerebat, alienum fecisse, impingendo, stolidè, ac rusticè abjiciendo meos libros.

Viribus uteris per clivos, flumina, lamas.
Victor propositi simul ac perveneris illuc,
Sic positum servabis onus, ne fortè sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,
Ut vinosa glomos furtivæ Pyrrhia lanæ;
Ut cum pileolo soleas conviva tribulis.
Ne vulgo narres te sudavisse ferendo
Carmina, quæ possint oculos, auresque morari
Cæsaris. Oratus multâ prece, nitere. Porro
Vade, vale, cave ne titubes, mandataque frangas.

superandos clivos, amnes, lacunas. Tum, ubi victis obicibus et votorum compos, illuc quò te mitto, perveneris, ita gestabis librorum fascem, ut ne illum sub axilla deferas, quomodo rustici agnos portant : quomodo Pyrrhia ebriosa lanam in globos convolutam, quem furto surripuit; quomodo invitati ad epulas ex eadem tribu plebeii homines gestant suas crepidas et exiguum pileum. Noli temerè prædicare sudatum à te fuisse graviter in carminibus portandis non indignis quæ à Cæsare ipso audiantur ac legantur. Hæc oro te atque obtestor ut serves : i, perge protinus, vale : vide ut nusquam offendas, et ut eorum, quæ mandavi modò tibi, sis memor.

10. *Lamas.* Lama, est fossa, aquarum receptaculum; *une mare, un bourbier.*

14. *Glomos.* Dicitur etiam glomus, glomeris, *un peloton.*

Pyrrhia. Nomen ancillæ in quadam comœdia tunc exhiberi popello solita, quod proinde iste Vinnius non ignoraret.

15. *Pileolo.* Quo involverent caput redeuntes à cœna, contra nocturnam auram, imbrem, etc.

Soleas. Calceos exuebant cœnaturi; et sumebant soleas, *des pantoufles*, ne luto inquinarent toros.

Tribulis. Qui est ex eadem tribu. Populus Romanus in partes quinque et triginta divisus erat, quas tribus appellabant. Ex iis aliæ urbanæ erant, aliæ rusticanæ. Tribus singulæ dividebantur in curias; curiæ in decurias. Porrò qui eadem in Tribu censebantur, majori quâdam societate et amicitiâ devincti erant inter sese.

EPISTOLA XIV.

Villici sui levitatem coarguit, rusticam vitam, quam optaverat fastidientis, et urbanæ desiderio æstuantis.

Villice sylvarum, et mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis, habitatum quinque focis, et
Quinque bonos solitum Variam dimittere patres,
Certemus, spinas animone ego fortiùs, an tu
Evellas agro; et melior sit Horatius, an rus.
Me quamvis Lamiæ pietas, et cura moratur
Fratrem mœrentis, rapto de fratre dolentis
Insolabiliter, tamen istuc mens, animusque
Fert, et amat spatiis obstantia rumpere claustra.

Villice, custos nemorum, ac ruris illius mei, quod mihi me post negotia urbana, quod amodo restituit; quod tu nihilominus contemnis, licèt ibi quinque familiæ sint, indeque soleant eligi quinque rustici seniores qui Variam pro communibus negotiis mittantur: age contendamus inter nos, utrùm ego spinis ex animo meo, quàm tu ex agro meo, evellendis diligentior sim; num Horatius, agro suo melior et excultior sit. Ego quidem licèt Romæ distinear, ut consolari Lamium possim, et dolorem levare, quo incredibilem in modum afficitur ob mortem

1. *Villice.* Propriè dicebatur villicus, qui rusticanis in villa servis præerat.

2. *Quinque focis.* Quinque familiis separatis. Vulgò dicimus: *qui a cinq feux.*

3. *Variam.* Varia, vicinum Horatii villæ in Sabinis erat oppidum, ubi fiebat conventus, et quoddam consilium selectorum rusticorum, è vicinis pagis coëuntium (quos ab auctoritate et ætate patres Horatius appellat) ut in eo consilio lites coortas dirimerent, aut super agriculturæ negotiis pronunciarent.

8. *Mens animusque.* Cogitatio et desiderium, *l'esprit et le cœur.*

9. *Spatiis.* Per spatia, circum intellige, amplam scilicet ac spatiosam aream, in qua decurrebant quadrigæ. In circi aditu primo et limine, erant repagula seu carceres, id est, septa lignea, quibus apertis prosiliebant currus, et se in campum patentem effundebant. Rumpere claustra: *franchir les*

Rure ego viventem, tu dicis, in urbe, beatum.
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus uterque locum immeritum causatur iniquè:
In culpa est animus, qui se non effugit unquam.
Tu mediastinus tacità prece rura petebas;
Nunc urbem, et ludos, et balnea villicus optas.
Me constare mihi scis, et discedere tristem,
Quandocunque trahunt invisa negotia Romam.
Non eadem miramur; eò disconvenit inter
Meque, et te: nam quæ deserta, et inhospita tesqua
Credis, amœna vocat, mecum qui sentit; et odit
Quæ tu pulchra vocas. Fornix tibi, et uncta popina
Incutiunt urbis desiderium, video; et quod
Angulus iste feret piper, et thus; ociùs uvâ;

fratris sui, quem singulari pietate et amicitià complectebatur: tamen desiderio et cogitatione totus ruri sum; eo rapior, et quasi perruptis, quæ me morantur et retinent, repagulis evolare gestio. Sic enim habeo persuasum, neminem beatiorem esse iis, qui rure vitam degant: tibi contra nullus videtur felicior, quàm qui urbem colat. Nimirum sua illis vitæ conditio acerba solet esse, qui alterius conditionem ambiunt. Utrique locum in quo versantur accusant, sed immeritò sanè; hæret enim culpa in ipso utriusque animo, aliquà malà cupiditate implicato qui quidem mutatione loci non mutatur, ac seipsum fugere nunquam potest. Cùm, in urbe degens, infimæ notæ ordinisque servus esses, tacitis votis rusticam expetebas vitam; nunc, cùm villæ meæ præpositus es, urbem, ludos, balnea, desideras. Me verò eodem semper esse animo, et in eadem sententia manere nosti, nec nisi ægrè villam relinquere, quoticscunque molesta negotia me Romam abducunt. Sic diversa sunt utriusque nostrûm studia et vota, sic inter nos dissidemus. Quæ tu enim loca deserta, inculta, nec idonea quæ ab hominibus incolantur, existimas; ea quisquis mihi assentitur, amat, ac tanquam pulchra et amœna, laudat;

barrieres qui ferment la lice, qui m'arrêtent.

14. *Mediastinus.* Mediastini vocabantur viliores servi, qui, ut ad omnia quæ imperarentur, exequenda præsto essent, in medio astabant, id est, ad manum semper erant, et in conspectu.

19. *Tesqua.* Sive *tesca* appellantur loca aspera, inculta, hospitibus vacua.

23. *Angulus.* Ponitur ea vox pro abdito et infrequenti loco.

Piper et Thus. Quæ in Arabia et peregrinis ejusmodi regionibus tantùm nascuntur.

Nec vicina subest vinum præbere taberna
Quæ possit tibi; nec vilis tibicina, cujus
Ad strepitum salias terræ gravis: et tamen urges
Jampridem non tacta ligonibus arva, bovemque
Disjunctum curas, et strictis frondibus exples.
Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
Multâ mole docendus aprico parcere prato.
Nunc, age, quid nostrum concentum dividat, audi.
Quem tenues decuêre togæ, nitidique capilli;
. . . .
Quem nosti bibulum mediâ de luce Falerni,
Cœna brevis juvat, et prope rivum somnus in herba.
Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam

vicissimque fugit et aversatur quæ tibi videntur amœnissima. Ganeum, et pinguis popina faciunt ut urbem suspires, sat scio: ac præcipua, cur villam oderis, causa est quòd agellus hic meus citiùs laturus sit piper ac thus, quàm uvas: nec in vicinia sit caupona ulla, quæ tibi vinum suppeditet; nulla tibicina, quâ canente terram pulses incompositâ et agresti saltatione. Nihilominus pergis multo labore exercere tellurem jam diu incultam, et solutis ab aratro bobus curam impendis, eosque pascis frondibus, quas ipse manu decerpsisti. Negotium tibi exhibet prætereà inertiamque tuam vexat rivus imbre intumescens, et coërcendus oppositis aggeribus, ne in pratum patens atque apertum effundatur et exundet. Audi porro quid causæ tandem sit, cur dissentiamus, et parum inter nos conveniat. Ego, qui olim, cultâ et concinnâ libenter utebar veste, qui crinibus unguento delibutis, amicorum convivia frequentabam; . . . . . quem scis epulas ab ipso meridie inchoasse, et vino generoso liberaliter usum esse, nunc medicâ et frugali delector cœnâ, nunc amo levem in margine rivuli ac cespite somnum carpere. Non quod pudeat me alias indulsisse genio, et lautè cuticulam tractasse: sed quia puderet istis adhuc nugis ac juvenilibus oblectamentis esse deditum. Cùm rurì sum, nemo, si quid mihi bene ac feliciter accidit, in-

26 *Salias terræ gravis.* Ut solent rustici, qui sine arte se movent, et quorum sub corpore ac pondere gemere videtur terra.

30. *Mole.* Humo aggesta, et saxis sudibusque firmata: *une digue, une levée.*

33. *Bibulum Falerni.* Bibacem, potorem.

35. *Incidere.* Ab incido, id est, seco, abrumpo, finio.

Ludum. Nugas, et ludicra ætatis juvenilis studia.

Limat, non odio obscuro, morsuque venenat:
Rident vicini glebas, et saxa moventem.
Cum servis urbana diaria rodere mavis,
Horum tu in numerum voto ruis. Invidet usum
Lignorum, et pecoris tibi calo argutus, et horti.
Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

videt; nemo tacitis odiis aut maledicentiâ, tanquam veneno, meam vitam et famam inficit. Vicini rident, cùm intuentur me glebas et saxa rastro impellentem. At tu, versari cum ceteris mancipiis longè satiùs putas esse et illis cibariis vesci, quæ in singulos dies parcè admodum dantur servis qui in urbe versantur: istis annumerari culpis efflictim ac perditè. At contra servus urbanus, etiam honestior, qui nomenclatoris munere fungitur, felicitati tuæ invidet, ac te beatum putat, quod habeas affatim ligna, hortum, armenta, quibus utaris. Sic bos labore defatigatus desiderat equi ephippium; et vicissim equus aratrum bovis expetit. Ego verò sic statuo, utrumque debere illam quam novit artem excolere, seque in eadem libenter et animo æquo continere.

37. *Limat.* Obliquè aspicit. Indivi et malevoli solent oculis transversis aspicere illos, quibus bene esse dolent.

38. *Rident.* Vel, gratulantur sibi, me socio et consorte: vel, cavillantur, et irrident.

39. *Diaria.* Servis rata portio panis, carnis, etc. dabatur: quæ quòd singulis diebus illis vulgò divideretur, dicebatur diarium: quòd certa mensura præberetur, appellabatur *demensum.* Erat autem hæc mensura in urbe multò augustior quàm ruri; hinc vocem *rodendi* adhibet hîc Horatius.

41. *Calo.* Vocem hanc Porphyrio ducit à calando, id est, vocando: eumdemque apparet hîc esse servum, quem nomenclatorem dictum fuisse docuimus et quem *argutum* esse oportebat, id est, ingeniosum, ac strenuum, ut hoc munere fungeretur.

42. *Ephippia.* Ephippium sella, quæ dorso equi imponitur, *une selle à cheval, ab* ἐπὶ, *in, super;* ἵππος, *equus.*

EPISTOLA XV.

Veliam et Salernum valetudinis causâ profecturus, quærit ab amico suo Caio Numonio Vala cui hæc regio nota erat, cujusmodi illa sit.

Quæ sit hyems Veliæ, quod cœlum, Vala, Salerni,
Quorum hominum regio, et qualis via (nam mihi Baias
Musa supervacuas Antonius, et tamen illis
Me facit invisum, gelidâ quum perluor undâ
Per medium frigus. Sanè myrteta relinqui,
Dictaque cessantem nervis elidere morbum

Æquum est ut ad me scribas, itemque ut ego tibi fidem habeam scribenti, quàm temperata sit hyems in urbe Velia, quàm salubri utantur cœlo Salernitani: qui sint mores incolatum, demum quænam illuc ducat via. (Quippe Antonius Musa affirmat frustrà me uti calidis Baiarum aquis, easque ad meum morbum curandum esse inutiles. Quod etsi mihi facilè persuadeat, nihilominus id ferre animo æquo Baiæ non possunt, cùm se sperni vident, et me per hyemem gelidis aquis perfundi. Profectò totus Baiarum vicus ingemiscit, quòd suæ illæ sylvæ myrtis consitæ deserantur, et aquæ sulphuratæ, quibus inesse præsentissima vis prædicatur, ad expellendam podagram nervos inertes constringen-

1. *Veliæ Salerni.* Velia, et Salernum, sunt urbes extremæ Italiæ, ad mare, Salernum est in Sinu Præstano: Velia in ipsa Lucania, prope promontorium Palinurum.

3. *Antonius Musa.* Medicus fuit celeberrimus, tempore Augusti, quem gravi conflictatum morbo, et à reliquis medicis depositum, valetudini et vitæ restituit, adhibitis frigidis aquis et balneis. Idem ad easdem aquas frigidas adhibendas hortatus erat Horatium, qui oculorum morbum calidis Baiarum aquis curare hactenus consueverat.

5. *Relinqui.* Cùm calidæ Baiarum aquæ essent antea celeberrimæ, illis multùm gratiæ ac famæ detraxerat Antonius Musa: itaque à multis contemni erant cœptæ.

6. *Cessantem morbum.* Ita podagram vocat, quæ pedes otio crudeli vinctos tenet.

Sulfura contemni, vicus gemit, invidus ægris,
Qui caput, et stomachum supponere fontibus audent
Clusinis, Gabiosque petunt, et frigida rura.
Mutandus locus est, et diversoria nota
Præter agendus equus. Quò tendis? non mihi Cumas
Est iter, aut Baias, lævâ stomachosus habenâ
Dicet eques: sed equis frænato est auris in ore)
Major utrum populum frumenti copia pascat;
Collectosne bibant imbres, puteosne perennes
Dulcis aquæ. Nam vina nihil moror illius oræ.
Rure meo possum quidvis perferre, patique;
Ad mare quum veni, generosum, et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet

tem; ac vehementer succenset ægrotis, qui Clusinis aquis aut Gabinis abluendum caput subjicere non verentur, et frigidas id genus urbes ac regiones adeunt. Sed tamen Baiæ mihi relinquendæ sunt, aliò commigrandum, quantumvis reluctetur equus quo vehor, ac diversoria mihi pridem cognita nolit prætergredi: cui tunc ego. Quonam pergis? inclamabo, ita enim illum iratus eques increpabo, iratus, et habenas in sinistram partem deflectens non eo Cumas, Baiasve: quanquam id frustra cum equo meo loquar: non enim ille voces, sed frænum audit, quod ori habet inditum.) Certiorem præterea me facias velim, ubi sit major frumenti copia, Veliæ an Salerni; utrùm iis in locis ad potum adhiberi consueverit aqua pluviâ in cisternis recepta; an verò è puteis hausta, in quibus jugis aquæ fons scaturiat: nam vina illius regionis non magni facio, neque admodum curo. Equidem in mea villa utor vino quolibet, patienter et æquo animo: at, cùm ad maritimam aliquam urbem deveni, mite ac vividum postulo, et aliunde accerso, quod mihi curas eximat, quod bonâ spe

7. *Sulphura.* Aquas odorem sulphuris et vim retinentes, quia per venas terræ sulphureas manant: *des eaux souffrées.*

8. *Supponere.* Aquas ex ipso fonte profluentes excipiebant subjecto capite; ut hodieque fit, quod Galli vocant, *prendre la douge.*

9. *Clusinis.* Clusium, Etruriæ oppidum *Chiusi.*

Cumas. Cumæ urbs Itala, ad mare Tyrrhenum.

12. *Læva*, etc. Qui Veliam et Salernum à Roma proficiscuntur, illi Baias et Cumas ad dexteram positas habent.

13. *Sed equis*, etc. Ipse veluti se corrigit, quòd equum alloquatur, qui manu et fræno, non verbis, admonendus sit.

In venas, animumque meum; quod verba ministret;
Tractus uter plures lepores, uter educet apros;
Utra magis pisces, et echinos æquora celent;
Pinguis ut inde domum possim Phæaxque reverti:
Scribere te nobis, tibi nos accredere par est.
Mænius, ut rebus maternis, atque paternis
Fortiter absumtis, urbanus cœpit haberi,
Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret,
Impransus non qui civem dignosceret hoste;
Quælibet in quemvis opprobria figere sævus;
Pernicies, et tempestas, barathrumque macelli,
Quidquid quæsierat, ventri donabat avaro.
Hic ubi nequitiæ fautoribus, et timidis nil,

venas mihi et animum impleat, quod eloquentem me faciat. Hoc etiam adde, utra illarum regionum plures lepores, utra plures apros ferat: utro in mari pisces et echini plures capiantur; ut ego inde bene habitus, et obesus, instar alicujus Phæacis, redire domum possim. Postquam Mænius dilapidato strenuè patrimonio, inter parasitos et urbanos illos ac facetos homines recenseri cœpit: scurra fuit huc illuc errans temerè, nec ulli certæ addictus mensæ aut domui: vir ingenii adeo amari et truculenti, cùm erat jejunus, ut civem ab hoste non distingueret, sed in omnes æquè desæviret, omnes nullo discrimine fictis falsisque probris, ac maledico dente, laceraret. Cùm in macellum venerat, totum instar procellæ, pervastabat; instar voraginis, cibos omnes qui prostabant venales, absorbebat. Quicquid lucri fecerat suâ scurrilitate, id totum in gulam insatiabilem infundebat. At si fortasse nihil, aut parum admodum pecuniæ corrasisset, à prodigis et helluonibus, qui favebant ipsius intemperantiæ, et

22. *Echinos. Des hérissons de mer.*

23. *Phæax.* Phæaces populi Corcyram insulam obtinuerunt.

25. *Mænius*, etc. Hujus Mænii exemplo se defendit, excusatque, quòd domi sobrius, lautiorem cibum et potum requirat, cùm descendit ad mare.

26. *Urbanus.* Hâc voce significatur hoc in loco, dicax, malè salsus, putidus adulator.

27. *Scurra.* Qui jocis illiberalibus, et dictis, risum captat ac movet: *un bouffon, un plaisant.*

Præsepe. Sic vocat domum et mensam parasitorum.

31. *Avaro.* Avido, omnia corradenti, nunquam contento.

32. *Timidis.* Qui metuebant scurræ linguam, procacem videlicet ac liberam.

Aut paulùm abstulerat, patinas cœnabat omasi,
Vilis et agninæ, tribus ursis quod satis esset.
Scilicet ut ventres lamnâ cadente nepotum
Diceret urendos corrector Bestius. Idem
Quidquid erat nactus prædæ majoris, ubi omne
Verterat in fumum, et cinerem: Non hercule miror,
Aiebat, si qui comedunt bona, quum sit obeso
Nil melius turdo, vulvâ nil pulchrius amplâ.
Nimirum hic ego sum. Nam tuta, et parvula laudo,
Quum res deficiunt, satis inter vilia fortis:

ejus alere ingluviem solebant; sive ab iis, qui ejus dicacitatem reformidabant; tunc contentus erat cibis vilissimis, vermecum, verbi gratiâ, intestinis, quorum plenas lances avidè comedebat, tantâ copiâ, quanta ursis tribus facilè suffecisset: simulque, tanquam in virum frugalem subitò evasisset, dictabat corrector Bestius helluones omnes, et dissolutos homines dignos esse, quibus venter ardente ferro adureretur. Idem porro Mænius, si fortè in aliquam majorem prædam et unctiorem culinam incidisset, postquam omnia prorsus absumpserat, in eas erumpebat voces: Sanè non miror inveniri homines, qui lautè vescendo suas opes exhauriant, siquidem nihil pingui turdo est prestantius, nihil suavius alvo porcina bene condita. Omninò isti Mænio similis sum. Nam dapes invidiæ non obnoxias, mensam frugalem et parcam, laudibus extollo, cùm

34. *Agninæ.* Subaudi carnis.

35. *Lamna.* Pro, lamina: *les marquer au ventre d'un fer chaud.* Eâ plecti pœnâ solebant servi gulosi et lurcones: quemadmodum caudente ferro urebantur eorumdem, crura, si ab herili domo profugissent; linguæ, si quid perperam deblaterassent; manus, si furtum fecissent.

36. *Corrector Bestius. Idem.* Sic legitur in vetustis codicibus, hoc sensu: Bestius avarus à Mænio luxurioso sordidæ parcitatis accusatus et acriter correptus, præ ira et indignatione dicebat, *urendos nepotum ventres laminâ candente.*

37. *Verterat in fumum*, etc. Hoc enim, superest unum è comesis bonis.

Hercule. Pro, ita me Hercules adjuvet: vel, simpliciùs, cum Hercule, adjuvante Hercule. Invocabatur ille tanquam Deus ἀλεξίκακος, *malorum depulsor*, propter insignem, quâ floruit, fortitudinem.

40. *Turdo.* Turdus, *une grive.*

Vulvâ. Subaudi, porcina, *une panse de truie bien farcie.* Est alvus suilla, seu mamillæ certo modo exilæ et fartæ, in magno tunc pretio, et in deliciis habitæ.

Verùm

Verùm, ubi quid meliùs contingit, et unctius, idem
Vos sapere, et solos, aio bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

nihil habeo ferculi exquisitioris, nec mihi deest animus ad istam frugalitatem fortiter ac generosè tolerandam : at cùm aliquid lautioris opsonii offertur, tunc ego idem vos solos esse cordatos et beatos affirmo, qui censum in prædiis et agris opimis bene ac tutò collocatum habetis.

45. *Villis fundata pecunia.* Ex fundis enim et prædiis certi et securi proventus oriuntur.

EPISTOLA XVI.

Villæ suæ formam, situm, commada Quintio describit. Monet eum subinde ut esse vir bonus, quàm dici malit. Quis vir bonus sit, fusè docet.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quinti,
Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivæ;
Pomisne, an pratis, an amictâ vitibus ulmo;
Scribetur tibi forma loquaciter, et situs agri.
Continui montes, nisi dissocientur opacâ
Valle, sed ut veniens dextrum latus aspiciat sol,
Lævum discedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. Quid si rubicunda benignè

Ut eximam tibi onus ac laborem quærendi ex me, qualis mea sit villa, Quinti; num segete ac frumento dominum alat, oleisne ac fructibus et pratis; an vitibus, quæ ulmis adjungi solent, me ditiorem faciat : placet ejus tibi situm et formam fusè describere. Includitur omni ex parte montibus perpetuâ serie ductis, et uno tantùm in loco disjunctis per altam et umbrosam vallem, cujus dextrum latus opponitur soli orienti; sinistrum occidenti. Cœlo utitur admodum temperato. Agri

1. *Quinti.* Ad eumdem scribitur Od. 8. Lib. II.
2. *Arvo.* Terris consitis; segete.
3. *Amicta.* A verbo amicire, id est, vestire. Applicantur ulmis vites, ut iis fulciantur.
7. *Vaporet.* Tepefaciat, calefaciat.

Corna vepres, et pruna ferant; si quercus, et ilex
Multâ fruge pecus, multâ dominum juvet umbra?
Dicas adductum propiùs frondere Tarentum.
Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus.
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hæ latebræ dulces, etiam, si credis, amœnæ
Incolumem tibi me præstant Septembribus horis.
Tu rectè vivis, si curas esse quod audis.
Jactamus jampridem omnis te Roma beatum,
Sed vereor ne cui de te plus quàm tibi credas;
Neve putes alium sapiente, bonoque beatum:
Neu, si te populus sanum, recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.

pars nulla sterilis est, ipsi dumi cornis et prunis onusti sunt; quercus et ilices glandem pecori, umbram domino largè suppeditant. Si quis amœnitatem sylvarum quibus coronatur spectet, videbitur sibi videre pulcherrima Tarentini agri nemora. Quid quod fonte non caret villa, eoque satis amplo et nobili, ut rivo nomen imponat suum: ejus porro aqua tam frigida, tam limpida est, ut cum Hebro qui Thraciam omnem aluit, certare possit. Eadem saluberrima est levandis alvi capitisque morbis. In hac abditus villula, in hoc suavissimo, et, si mihi credis, amœnissimo secessu, valetudinem meam tueor, et salvum tibi amicum servo, dum autumnus, Septembri mense, corporibus exitialis est. Tu verò præclarè vives, si studeris talis esse, qualem te omnes esse dictitant: jamdudum te Roma tota felicem prædicat; sed metuo ne cujusquam voci ac prædicationi majorem habeas fidem quàm tuæ ipsius conscientiæ testimonio: neve existimes alium beatum esse, præter virum sapientem et bonum, neu, si à populo dicaris esse sanus, et optimâ utens valetudine, latentem febrim tegas, paulò antequam accumbas mensæ, donec ipsa mali vis medias inter dapes, manuum frigore ac tremore, se prodat. Animorum suorum vulnera improbi dissimulant, ac tegunt vitioso pudore, quo fit ut illorum morbis ad-

9. *Corna.* Fructus exigui sunt, cerasis paulò minores, *des cornilles*; arbor ipsa cornus appellatur, *un cornillier.*
Ilex. Est species quercus.

12. *Rivo.* Eum *Digentiam* vocat, Epist. 18. hujus Lib. v. 100.

20. *Alium sapiente.* Alium à sapiente.

Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
Si quis bella tibi terrâ pugnata, marique
Dicat, et his verbis vacuas permulceat aures:
[Tene magis salvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui consulit et tibi, et Urbi,
Jupiter,] Augusti laudes agnoscere possis.
Quum pateris sapiens, emendatusque vocari,
Respondesne tuo, dic, sodes, nomine? nempe
Vir bonus, et prudens dici delector ego, ac tu.
Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet, ut si
Detulerit fasces indigno, detrahet idem.
Pone, meum est, inquit: pono, tristisque recedo.
Idem si clamet furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo collum pressisse paternum,
Mordear opprobriis falsis, mutemque colores?

hiberi medicina non possit. Si quis te collaudet, quòd bella maxima terrâ marique gesseris, et hac oratione tibi blandiatur: (Sic faciat Jupiter, qui singularem tui ac Romæ curam gerit, ut semper incertum sit, utrùm tibi salus populi sit carior an tua populo); certè istas laudes, non tibi, sed Augusto convenire, facilè agnosces : cùm verò appellari sapiens, et ab omni scelere an purus, an, quæso, ita respondes, quasi hoc tibi verè dicatur, teque ipsum describi putes? Equidem ego et tu gaudemus dici viri boni ac prudentes : verùm, qui populus hoc præclarum nomen hodie nobis tribuit, idem nobis illud cras, si collibitum fuerit, eripiet : quemadmodum si cui consulatum aut præturam immerenti mandaverit, eidem abrogare potest; Depone, inquiet, illos fasces, illa insigna dignitatis : hæc dare vel auferre, mei juris ac potestatis est. Quid agas? deponendi faces erunt, et cum ignominia et mœrore abeundum. At si populus idem vociferetur me furem esse, et impudicum; si affirmet me parentem strangulasse; an movebor istis calumniis in me falsò conjectis, aut idcirco mutabo vultum et mœrore dejiciar? nihil juris in hæc animi bona populo est : neque falsis opprobriis terreri, aut honore falso delectari potest, nisi homo nequam, et qui vera bona vel mala quænam sint ignoret. Quis

26. *Vacuas*. Apertas adulationi.
28. *Servet in ambiguo*, etc. Versus isti sumpti sunt ex Augusti panegyrico per Varium scripto.
38. *Mutem colores*. Modò erubescam præ pudore; modò præ metu palleam, etc.

Falsus honor juvat, et mendax infamia terret
Quem, nisi mendosum, et mendacem? vir bonus est quis?
Qui consulta Patrum, qui leges, juraque servat;
Quo multæ, magnæque secantur judice lites;
Quo res sponsore, et quo causæ teste tenentur.
Sed videt hunc omnis domus, et vicinia tota
Introrsum turpem, speciosum pelle decorâ.
Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Servus: Habes pretium, loris non ureris, aio.
Non hominem occidi, non pasces in cruce corvos.
Sum bonus, et frugi. Renuit, negitatque Sabellus.
Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, et opertum milvius hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore:
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ:

igitur dici vir bonus debet? nempe, inquis, ille qui senatorum decretis paret, qui nihil committit contra leges et jura: cujus sententiâ et judicio plurima et difficillima negotia deciduntur: cujus consiliis ac responsis, aut etiam testimonio, causam obtineat qui lite aliquâ sunt impliciti. At hunc ipsum fortasse tota familia, omnes vicini, cernunt domesticis intestinisque vitiis inquinatissimum, neque virtutis veræ quidquam habentem præter externam speciem et honestam larvam. Si mihi dicat servus: O here, furto nihil tibi abstuli, nec è tua profugi domo: bene est, inquio, non vapulabis. homicidium non feci: non tolleris in crucem, ubi corvorum præda sis. Sum igitur probus et frugi: at istud ego agri Sabini habitator, non concedam: imò, id nego prorsus. Quid ita? quia lupos videmus naturali quâdam prudentiâ vitare scrobem ipsis paratam, accipitrem fugere laqueos humi tectos, et milvum abstinere ab esca, in qua occultus hamus latet. Cavent viri boni ne quid sceleris admittant, incitati videlicet amore virtutis; tu, serve nequam, nihil sceleris facies quidem, at metu pœnæ: quod si spes affulgeat aliqua occultandi flagitii, omnia divina pariter et hu-

49. *Sabellus.* Ego Horatius. Erat enim Venusinus. Venusia autem aut in Sabellorum est agro, aut illi vicina.

51. *Hamum.* In ea, quæ porrigitur milvo, seu milvio, ut quidam scribunt, esca occultatur vulgò hamus; aliter enim capi vix possit.

Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.
Nam de mille fabæ modiis quum surripis unum,
Damnum est, non facinus, pacto mihi lenius isto.
Vir bonus, omne forum quem spectat, et omne tribunal,
Quandocumque Deos vel porco, vel bove placat:
Jane pater, clarè, clarè quum dixit, Apollo:
Labra movet, metuens audiri: Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da justo sanctoque videri;
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem!
Quì melior servo, qui liberior sit avarus,
In triviis fixum quum se demittit ob assem,

mana jura violabis. Cùm enim de mille modiis fabarum, unum duntaxat furaris; minor est mea quidem jactura, sed tua culpa minor non est. Vir ille bonus, qui propter ementitam probitatem in toto foro, in judiciis omnibus admirationi est, quotiescumque rem divinam facit, ac porcum aut bovem placandis Superis immolat, postquam clarâ et altâ voce Janum, Apollinem, invocavit, idem secum tacitus ita immurmurat: O pulchra Laverna, fac, obsecro, ut possim hominibus imponere, ut viri sancti et justi famam obtinere possim; id abs te impetrem, ut mea flagitia, tanquam in obscura nocte, lateant, ut doli velut atrâ nube involuti, non appareant. An meliorem vili mancipio, vel liberiorem putabimus eum, qui adeo est avarus, ut inclinet se ad colligendum assem in triviis, quem ibi pueri, ludi et joci studio, affixerunt? sanè qui habendi cupiditate vinctus tenetur, is vacare metu non poterit: qui verò vitam in metu miseram et anxiam degit, hunc ego nunquam liberum arbitrabor.

54. *Miscebis*, etc. Res sacras perinde ac profanas violabis, nullum inter utrasque discrimen pones.

56. *Non facinus*, etc. Tua culpa levior non est: quia mille modios furari voluisses, si celandi furti spes et copia fuisset. Peccati enim gravitas præsertim æstimatur ex ipsa peccandi voluntate. Adde quòd loquitur hîc Horatius è sententia Stoïcorum, qui peccata omnia paria esse pugnabant.

57. *Vir bonus.* Opinione scilicet vulgi, non reipsâ.

Lavernâ. Dea furum præses.

63. *Qui.* Quo pacto? quare? quânam ratione?

64. *In triviis.* Trivium, *un carrefour*, est locus patens, in quem tres viæ concurrunt.

Fixum assem. Pueri solebant in viis inter silices defigere clavo assem, ut cùm aliquis doli nescius eum deripere ten-

Non video. Nam qui cupiet, metuet quoque: porrò
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat, et obruitur re.
Vendere quum possis captivum, occidere noli:
Serviet utiliter. Sine pascat durus, aretque;
Naviget ac mediis hyemet mercator in undis;
Annonæ; prosit, portet frumenta, penusque.
Vir bonus, et sapiens audebit dicere: Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre, patique
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,

Omnem ille spem victoriæ de vitiis reportandæ perdidit, et, quasi timidus miles, abjecit arma, stationemque sibi à Virtute attributam deseruit, quicumque opes augere semper properat, et hâc miserabili curâ totus destinetur. Rursus, an virum bonum appellabis eum, qui cùm possit hominem in bello captum vendere, illum interficit? At illum, auro, vivere, ac tibi servum esse patere; utilem tibi operam in aliqua re navabit, pascet tuos greges homo laboriosus et robustus, arabit arva, navigabit infestum procellis æquor, et faciet mercaturam; sua industria serviet augendæ annonæ, tritico cibariisque devehendis. Demum, si quæris qui vir bonus et sapiens verè sit, is est, qui Pentheum sic alloqui non dubitabit: Thebarum rex, quas me pœnas dependere jubebis? quibus me suppliciis afficies? cui si tyrannus dicat: Eripiam tibi bona: Nimirum inquiet, armenta, fundos, lectos, pecuniam eripies? quominus hæc auferas, in me nihil erit moræ. Conjiciam te in vincula, et atro claudam

-taret ac tollere, daret risum prætereuntibus.

67. *Perdidit arma.* Probrosum est militi arma projicere, ac relinquere.

Locum, etc. Locum à Virtute sibi assignatum non servavit: *Il a quitté son poste, son rang;* τάξιν ἔλιπε *ordinem deseruit*, ut Græci dicunt. Certamen contra vitia quasi suscipiunt viri probi: aciem hanc Virtus instruit; et suas cuique partes attribuit.

72. *Penusque.* Est penus, id omne quo vescuntur homines.

73. *Pentheu.* Sumptus est hic locus et expressus ex Euripidis tragædia quæ *Bacchæ* inscribitur: in qua Pentheus ignotum sibi Bacchum terrere minis et intentatis pœnis conatur. Horatius in persona Bacchi Pentheo respondentis, viri boni constantiam et animi magnitudinem adumbrat.

Lectos, argentum; tollas licet. In manicis, et
Compedibus sævo te sub custode tenebo.
Ipse Deus, simul atque volam, me solvet. Opinor,
Hoc sentit, moriar: mors ultima linea rerum est.

carcere: Me Deus, cùm voluero, istis tuis vinculis eximet. Quasi diceret, sicut ego interpretor; Mors isto me carcere ac pœnis omnibus solvet. Sane illa malorum omnium meta et finis est.

78. *Ipse Deus.* In Euripide ille Deus, est ipse Bacchus, qui facile sibi esse affirmat custodiam ac vincula perfringere: in Horatio significatur Deus naturæ auctor, qui mortis beneficio nos omnibus ærumnis liberat.

Simul atque volam. Nimirum putabant fas esse sibi mortem, cùm libuisset, inferre. Sed aliter se res habet. Ut enim penes hominem non est, ut vivat, ita nec ut moriatur. Collocamur in hoc orbe, tanquam in statione militari, à moderatore universitatis Deo: non licet ab ea ejus injussu discedere.

EPISTOLA XVII.

AD SCÆVAM.

Actuosa vita inerti ac privatæ anteponenda. Quo pacto virorum principum amicitia sit colenda. Eorum tamen liberalitas cautè ac prudenter est sollicitanda.

Quamvis, Scæva, satis per te tibi consulis, et scis
Quo tandem pacto deceat majoribus uti,
Disce, docendus adhuc quæ censet amiculus, ut si
Cæcus iter monstrare velit. Tamen aspice si quid

Quamvis alieno consilio, quæ tua est prudentia, non indigeas, neque porrò ignores quâ ratione cum viris potentioribus vivere ac versari oporteat: ne graveris tamen aliqua audire, mi Scæva, quæ ego tibi pro nostra veteri amicitia suggerere non verebor, licèt ipse potius docendus sim, utpote in

Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.
Si te grata quies, et primam somnus in horam
Delectat, si te pulvis, strepitusque rotarum,
Si lædit caupona, Ferentinum ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis;
Nec vixit male, qui natus, moriensque fefellit.
Si prodesse tuis, pauloque benignius ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.
Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus. Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus, qui me notat. Utrius horum
Verba probes, et facta, doce; vel, junior, audi

hac arte adhuc valde imperitus : cæcum puta qui alteri monstrare iter aggrediatur : attamen boni consule, si quid dixerim, quod in rem tuam et utilitatem convertere studeas. Si tibi juvat quieta vita, si te somnus ad ortum usque solis productus placet, si pulverem ac strepitum plaustrorum et curruum ferre non potes : si aures tuas offendunt clamores inconditi, et rixæ, quibus diversoria personant, auctor tibi sum ut Ferentinum te recipias : ibi pacatè vitam et beatè deges : neque enim putandum, solos divites vitam suavem vivere; neque continuò ille miserè vixisse censendus est, cujus vita pariter et mors obscura atque ignota fuerit. At si amicorum et propinquorum rationibus consulere, si aliquanto lautius ipse vesci volueris; applicabis te ad familiaritatem divitis cujuspiam et beati, qui tuam inopiàm et tenuitatem sublevet. Diogenes olim sic Aristippum carpebat : Si æquo animo cœnare olera nosset Aristippus, non tanto studio regum amicitiam ambiret ac mensam. Cui Aristippus : Si Diogenes, qui me carpit, satis haberet ingenii ad amicitiam regum colendam, sua facilè contemneret legumina. Age, dic, amabo, uter tibi sapientius et sensisse et egisse videatur, aut si docere me renuis, patere ut ego, qui ætate sum provectior, edisseram tibi, quare

Primam horam. Nempe primam ab orto sole; quæ apud Gallos æstate est, verbi gratia, quarta matutina; hyeme octava.

8. *Ferentinum.* Oppidum in Latio infrequens et propè desertum.

12. *Sicus.* Pauper, jejunus.

Unctum. Divitem, sumptuosum.

13. *Si pranderet*, etc. Verba sunt Diogenis, qui cùm vidisset Aristippum prætereuntem, ipse olera in cœnam purgans et abluens, ita eum fertur allocutus: Si oleribus vesci consuevisses, regum aulas non coleres.

Cur sit Aristippi potior sententia. Namque
Mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt:
Scurror ego ipse mihi, populo tu. Rectius hoc, et
Splendidius multò est, equus ut me portet, alat rex,
Officium facio. Tu poscis vilia rerum,
Dante minor, quamvis fers te nullius egentem.
Omnis Aristippum decuit color, et status, et res,
Tentantem majora, ferè præsentibus æquum
Contrà, quem duplici panno patientia velat,
Mirabor, vitæ via si conversa decebit.
Alter purpureum non expectabit amictum,
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,

Aristippi sententia præferenda videatur. Is enim Diogenem sic refellebat ac ridebat, ut perhibent : equidem scurram ago et profiteor, at in rem meam hoc facio ; tu eamdem exerces artem, verùm ut populo gratificeris et placeas. Nonne mea conditio, quàm tua, multò est honestior, multò illustrior, siquidem equum habeo quo vehar, cibos è regis mensa capio, omnibus demum fungor officiis quæ comitas et æquitas postulant. Tu à populo emendicas parcum sordidumque victum, atque ideo te infra populum, qui tibi donat, abjicis; tametsi prædicas et jactas te nullâ re indigere, non recusas. Aristippus ad omnem vitæ formam et conditionem accommodabat se se, quamlibet fortunam decenter ferens, et contentus iis quæ aderant, licèt meliora et commodiora non sperneret : contrà verò mirabor, si Cynicus iste, qui ad patientiæ specimen pallium duplicat, possit cum dignitate ferre conditionem et statum illi, quem tenet, dissimilem, et aulici personam sustinere. Alter domo proditurus non expectabit, dum habeat togam purpuream, quilibet indutus veste per civitatis plateas frequentissimas incedet : habitus sive ornatior, sive vilior, ipsum non dedecebit :

18. *Cynicum.* Cynicus, κυνικὸς, Græca vox est, idem significans ac *caninus*, Cynici vocati sunt philosophi quidam impudentes et obtrectatores, qui canum instar quoslibet allatrabant, etc. Illorum princeps Diogenes : qui summum rerum humanarum contemptum præ se ferens, mendici more victitabat.

25. *Duplici panno*, etc. Cynici, ut patientiam ostentarent, tunicâ non utebantur, sed solo pallio, quod contra vim frigoris duplicabant. Potest etiam explicari *duplici* crasso, rudi.

Personamque feret non inconcinnus utramque
Alter Mileti textam cane pejus, et angue
Vitabit clamydem; morietur frigore, si non
Retuleris pannum. Refer, et sine vivat ineptus.
Res gerere, et captos ostendere civibus hostes,
Attingit solium Jovis, et cœlestia tentat.
Principibus placuisse viris, non ultima laus est.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
Sedit qui timuit ne non succederet: esto:
Quid? qui pervenit, fecitne viriliter? atqui

alter vestem è Milesio confectam panno execrabitur ac fugiet, seque enecari frigore patietur, nisi centones ipsi suos reddideris; redde sane ac ineptum, ut vixit hactenus; vivere in posterum patere. Magnum quiddam censetur, et cum ipsa propè deorum immortalium laude et gloriâ comparandum, res præclaras bello gerere, hostes captos per urbem in triumpho circumducere, spectante ac mirante populo: at non contemnenda, nec minor fortasse laus est, virorum principum gratiam sibi demeruisse: eoque istud illustrius est, quo rarius: non enim omnibus adire Corinthum licet. Esto sane, laudetur ejus prudentia, qui metuens ne hanc placendi principibus artem assequi et exercere bellè non posset, ab ea tentanda abstinuerit. Quid? qui in eadem scienter ac peritè versatus est, qui ausus rem tam arduam aggredi, voti compos fuit, an illum fortem ac strenuum negabis esse? atqui hoc demum caput est nostræ controversiæ, uter nimirum laude dignior sit, is qui principum amicitiam colit prudenter, an ille qui abstinet ac fugit. Iste onus subire

29. *Utramquepersonam.* Pauperis, cum detrita veste: lauti ac locupletis hominis, cum purpurea: aulici et phisosophi. Solitus erat Plato de Aristippo dicere; solum esse, quem deceret chlamys et pannus.

30. *Mileti.* Est Miletus Asiæ civitas, in qua panni eximii texebantur.

Cane. Rabioso videlicet.

Cane pejor et angue. Eâ locutione utuntur Latini ad odium capitale significandum.

36. *Corinthum.* Urbem Peloponnesi clarissimam, quam alterum Græciæ oculum nuncupabant; cujus in portum invehi, propter objectos scopulos, difficillimum erat. Hinc natum proverbium, cùm res difficilis proponitur, ut dicatur, Non licet omnibus adire Corinthum. Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κορινθόν ἐσθ᾽ ὁ πλοῦς.

37. *Sedit.* Sedere, apud Latinos sæpe, pro, quiescere, cessare, nihil agere ponitur.

Erat. Pro, est.

Hic est, aut usquam, quod quærimus. Hic onus horret,
Ut parvis animis, et parvo corpore majus;
Hic subit, et prefert. Aut virtus nomen inane est,
Aut decus, et pretium rectè petit experiens vir.
Coram rege suâ de paupertate tacentes,
Plus poscente ferente. Distat, sumasne pudenter,
An rapias. Atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
Indotata mihi soror est, paupercula mater,
Et fundus nec vendibilis, nec pascere firmus,
Qui dicit, clamat; victum date. Succinit alter,
Et mihi dividuo findetur munere quadra.

trepidat, cui suas impares et animi et corporis vires esse videt: ille imponit humeris, et gestat constanter. Aut virtus vacuum nomen est, nullumque suis cultoribus fructum affert; aut gloriam et præmium jure merito sibi vindicat homo strenuus, qui periclitari arduas res ac tentare non veretur. Qui coram viro principe quem colunt, de sua inopia silent, plura obtinebunt, quàm qui molestè petunt. Multùm interest, utrùm quis modestè ac verecundè quidpiam poscat, an importunis precibus quasi eripiat beneficium et extorqueat. Porro in ea petendi modestia et verecundia vertitur totus cardo hujus, de qua nunc agimus, artis; estque hæc præcipua reliquarum utilitatum origo. Qui has iterat querelas, sororem habeo nubilem, carentem dote idoneá; matrem inopem; prædium ejusmodi ut nec illud vendere, nec ejus fructibus ali possim; is, inquam, idem facit, ac si palam et apertè victum et pecuniam flagitaret. Sed alius quispiam, hæc audiens, eodem exemplo ac modo clamitat, quæso hujus, quem dabis ipsi, panis partem mihi dimidiam da. Verùm si corvus silere posset, dum caseo vescitur, plus haberet cibi, et invidorum jurgia evitaret. Divitis comes et assecla, qui unà cum illo pergit Brundusium aut Surrentum, et conqueritur de asperitate itineris, de frigoris acerbitate, de imbribus, de furibus à

47. *Pascere firmus.* Genus loquendi Græcum ἐχ ἱκανος τρέφειν; *non sufficiens ad me alendum.*

48. *Succinit.* Post illum canit; ejus exemplo clamitat.

Quadra. Genus erat quoddam placentæ, aut panis, cujus quadrata erat forma; vel qui quatuor in partes extima in superficie divisus erat. Interdum usurpatur ea vox pro catillo plano, et orbe plumbeo, argenteo, etc. quem Galli vocant, *une assiette*, cui dapes imponuntur, qui orbis olim è tritico fiebat.

M 6

Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, et rixæ minus et minus, invidiæque.
Brundusium comes, aut Surrentum ductus amœnum,
Qui queritur salebras, et acerbum frigus, et imbres,
Aut cistam effractam, aut subducta viatica plorat,
Nota refert meretricis acumina, sæpe catellam,
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis; uti mox
Nulla fides damnis, verisque doloribus adsit.
Nec semel irrisus triviis attolere curat
Fracto crure planum: licèt illi plurima manet
Lacryma; per sanctum juratus dicat Osirin,

quibus suas capsas distractas, et viaticum clam raptum sit; imitatur meretrices illas, quæ astutè et callidè deplorant nunc catenulam sibi ablatum furto, nunc periscelidem; idque tam crebrò, ut si quando postea veri damni aliquid faciant, ac vero aliquo dolore afficiantur, nemo tamen ipsis fidem habeat. Viator qui semel ab impostore, fractum sibi crus in trivio simulante, deceptus fuit, eumdem postea, si cruribus reipsa fractis jaceat, erigere non laborat, quamvis miser oret cum fletu et lacrymis, ac per sanctum Osirim juret se vera dicere, prætereuntesque inclamat: Mihi credite, non mentior, claudum, quæso, at-

50. *Corvus.* Narrat, opinor, Æsopus corvum gestientem quod caseum reperisset, ac præ lætitia crocitantem, ab avibus supervenientibus, orta de caseo rixa, malè multatum, et parte dapis spoliatum fuisse. Certè hoc omnibus avibus est familiare, ut pabulum nactæ lætitiam suam cantu significent, atque ita ceteras aves ad cibi societatem vocent.

55. *Catellam.* Catenulam, aut caniculam.

56. *Periscelidem.* Tæniam, quâ crus ligatur vel ornatur; *une jarretiere.* Italæ mulieres auro gemmisque periscelides ornabant.

59. *Planum.* Planus, πλάνος, erro, vagus, impostor.

60. *Osirin.* Osiris, Deus Ægyptiorum, Jovis filius ex Niobe Phoronei filia, qui Phoroneo successit in Argivorum regno. Postea in Ægyptum venit, Ægyptios armis vicit, et artes varias docuit, quam ob rem divinos honores consecutus est, cum Iside uxore sua. Apis quoque, sive Serapis appellatus est, quia colebatur sub vituli forma; vitulum autem Ægyptii vocant Apim. Eum porro jurat planus, quia Osiris diu multumque peregrinatus erat, multis jactatus erroribus; idemque morborum depulsor habebatur.

Credite, non ludo; crudeles, tollite claudum.
Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat.

tollite. Respondent vicini omnes, Quære aliquem hospitem et peregrinum, qui te ignoret.

EPISTOLA XVIII.

AD LOLLIUM.

Quomodo utendum viris nobilibus. De comparanda tranquillitate animi pauca subjungit.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis speciem præbere, professus amicum.
Ut matrona meretrici dispar erit, atque
Discolor, infido scurræ distabit amicus.
Est huic diversum vitio vitium prope majus,
Asperitas agrestis, et inconcinna, gravisque,
Commendat quæ se tonsâ cute, dentibus atris,
Dum vult libertas mera dici, veraque virtus.

Si tuam indolem bene prospectam habeo, liberam et apertam, fuci ac dissimulationis inimicam, mi Lolli, nihil magis cavebis, quàm ne scurrarum more te geras cum iis, quorum te amicum profitearis. Tantum est inter scurram infidum, et amicum, discriminis, quantum inter matronam et meretricem. Est autem vitium aliud huic scurrili urbanitati atque adulationi contrarium, et illo propemodum gravius, nempe rustica quædam inconcinnitas atque acerbitas morum odiosa, quæ gravitatem præ se ferens, laudem captat ex barba male tonsa, et nigris lividisque dentibus; quæ meræ libertatis nomen ac virtutis aucupatur, licèt vera virtus in

1. *Liberrime.* Liber hîc appellatur, qui quæ censet sine fuco et circuitione dicit: *un homme sans contrainte et sans façon.*

2. *Scurrantis*, etc. Scurrari, est adulari turpiter, scurras imitari.

3. *Matrona.* Mulier proba et honesta: mater-familias.

4. *Discolor.* Vestes quædam, imo colores vestium, ita erant addictæ meretricibus, ut iis matronæ non uterentur.

Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum.
Alter, in obsequium plus æquo pronus, et imi
Derisor lecti, sic nutum divitis horret,
Sic iterat voces, et verba cadentia tollit,
Ut puerum sævo credas dictata magistro
Reddere, vel partes mimum tractare secundas.
Alter rixator de lanâ sæpe caprinâ
Propugnat, nugis armatus: Scilicet, ut non
Sit mihi prima fides, et verè quod placet, ut non
Acriter elatrem, pretium ætas altera sordet.

medio quasi vitiorum posita sit, et ab utroque pariter extremo remota. Putidus assentator et scurra plus æquo officiosus, dum convivas in infimo lecto accumbentes carpit atque irridet, adeo religiosè, adeo reverenter observat nutus omnes patroni locupletis, sic repetit, laudat, excipit quaslibet voces, ab eo etiam casu ac nullo certo consilio dictas, ut audire te credas puerum, qui coram severo et immiti magistro, prælecta ab eodem vel dictata recitet; aut histrionem in scena, qui secundas partes agat. Contrà, cliens alter rixator, arma sumens pro nugis, de re nihili acriter ac molestè pugnat. Egone, inquit, patiar ut non mihi præ cæteris habeatur fides? Egone non defendam mordicus opinionem, quàm rectam et veram esse putavero? Nunquam id à me impetrabitur, etiamsi mihi mercedis loco promittatur offeraturque alterum tantum vitæ spatium, quantum agere homines vulgò solent. Atenim quæ tandem res est illa tam gravis, tamque seria, quæ hominem sic incendit? Nempe quæritur uter peritior sit gladiator, Castor an Dolichos: utrùm Minucii viâ rectiùs eatur Brundusium, quàm

14. *Mimum.* Actorem, histrionem, qui actiones hominum imitatur: *μιμεμαι imitor.*

Partes secundas. In actoribus fabularum erat actor quidam primarius, qui principem fabulæ personam agebat; alius, qui secundam, alius qui tertiam, etc. *Un Comédien, un Acteur qui a le premier, le second rôle.* Porrò isti minùs præcipui actores et secundarii, hoc servabant diligenter, ne tantâ contentione agerent, quantâ primarum partium actor; atque ita illi subservirent, nihilque de ejus gloria deterrerent.

15. *De lana caprina.* Proverbium, quo res nullius momenti, nauci et flocci negotium indicatur. Pili caprarum molliores lanam imitantur, et ambigi potest an vera lana sint; quam propriè nullam habent capræ.

Propugnat nugis. Pro, nugis pugnat.

Ambigitur quid enim? Castor sciat an Dolichos plus:
Brundusium Minucî meliùs via ducat, an Appì.
Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudat,
Gloria quem supra vires et vestit, et ungit;
Quem tenet argenti sitis importuna, famesque;
Quem paupertatis pudor, et fuga; dives amicus,
Sæpe decem vitiis instructior, odit, et horret:
Aut, si non odit, regit; ac, veluti pia mater,
Plus quàm se sapere, et virtutibus esse priorem
Vult; et ait prope vera: Meæ (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes, tibi parvula res est.
Arcta decet sanum comitem toga, desine mecum
Certare. Eutrapelus, cuicunque nocere volebat,

viâ Appiâ. Amici divites et opulenti odio prosequuntur et abhorrent eos, qui libidinibus, et aleâ fortunas suas dilapidaverunt, qui stultâ gloriæ cupiditate sumptum viribus majorem faciunt in vestes et culinam: qui opum congerendarum miserâ laborant siti: quos pudet paupertatis ac piget: istis, inquam, omnibus infensi solent esse plerique divites, licèt ipsi sæpe sint multò nequiores; aut si non oderunt, eos certè monitis prudentibus emendare ac temperare conantur: matres dicas, quæ suorum liberorum fingunt mores, et meliores esse filios, quàm seipsas, optant. In quo sapiunt illi profectò, nec omnino falsa dictitant, cùm sic unum aliquem ex illis suis tenuioribus amicis alloquuntur: Noli mecum certare sumptibus et luxu; nam fas est mihi quodammodo desipere, id opes meæ ferunt: tibi verò angusta res familiaris est: comes et assecla viri nobilis, si sapit, modum in vestibus et cultu corporis tenere debet: mihi dicenti crede, neque mecum præterea jurgare. Cùm Eutrapelus aliquem fortunis et famâ

19. *Castor, Dolichos.* Poëtæ, opinor, duo; vel ludi magistri, vel eruditorum primores: aut gladiatores; vel denique actores fabularum.

20. *Minucî via.* Strata à Lucio Minucio, et ornata. Is in seditione per Spurium Melium concitatâ rempub. egregiè tutatus est: quam ob causam illi monumentum positum fuit ante portam Trigeminam, quæ idcirco dicta est etiam Minucia, uti et via illi portæ juncta.

21. *Præceps alea.* Quæ homines in varia scelera et egestatem dat præcipites. Vel quæ, in alveum lusorium effusis momento tesseris, damnum ingens importat.

31. *Eutrapelus.* Lambinus, ac Torrentius censent hunc esse Volumnium cognomento Eutra-

Vestimenta dabat pretiosa. Beatus enim jam
Cum pulchris tunicis sumet nova consilia, et spes;
Dormiet in lucem; scorto postponet honestum
Officium; nummos alienos pascet; ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.
Arcanum neque tu scrutaberis illius unquam,
Commissumque teges, et vino tortus, et irâ.
Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes;
Nec, quum venari volet ille, poëmata panges.
Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis, atque
Zethi, dissiluit; donec suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion, tu cede potentis amici

volebat evertere, vestes illi pretiosas dabat: nam inquiebat, ubi iste lautus fuerit ac splendidè ornatus, is novis vestibus simul novos et majores induet spiritus, spe fortunæ melioris inflabitur: somno largiùs indulgebit; fœdas libidines officiis honestæ vitæ anteponet, usuris ac multo fœnore augere conabitur pecuniam ab aliis acceptam: eò res denique recidet, ut ille gladiator evadat, aut equum olitoris, certo pretio pacto, in macellum ducat. Cavebis ne unquam illius arcanum expiscari studeas, et si quod tibi creditum fuerit, illud tantâ occultabis fide, ut neque vino, neque iracundiâ tibi extorqueri patiaris. Videbis etiam ne immodicis laudibus extollas ea quibus ipse delectaris, aut illa reprehendas, quibus alii gaudent, et libenter occupantur: neque, cùm amicus ille tuus dives ac nobilis venationi dare operam cupiet, condes carmina. Ea res in causa nimirum fuit, cur Amphion et Zetus, fratres antea conjunctissimi, à se invicem disjuncti fuerint, neque verò, priùs potuit rescissa inter utrumque gratia coalescere, quàm Amphion lyram deposuit invisam Zetho, cujus mores austeriores, et alieni à musica erant. Quam fratris indolem cùm videret Amphion, blandè illi obsecutus fuisse dicitur, et in ejus gratiam plectrum et citharam abjecisse. Tu similiter cede et obsequere amici locupletis

pelum, Ciceronis familiarem, ad quem extant ejusdem M. Tullii Epistolæ duæ postremæ Libri VIII. quem fuisse hominem festivissimum et dicacissimum demonstrat hoc ipsum ejus cognomen, à Græca voce ductum: εὐτραπελὴς enim significat hominem elegantem, lepidum, urbanum.

35. *Nummos pascet.* Erit fœnerator, qui acceptam ab aliquo modicam pecuniæ summam nutriet, eam aliis dando fœnori, et augebit, ita ut id in immensum crescat.

Lenibus imperiis; quotiesque educet in agros
Æoliis onerata plagis jumenta, canesque,
Surge, et inhumanæ senium depone Camœnæ,
Cœnes ut pariter pulmenta laboribus emta:
Romanis solenne viris opus, utile famæ,
Vitæque, et membris; præsertim quum valeas, et
Vel cursu superare canem, vel viribus aprum
Possis. Adde, virilia quòd speciosiùs arma
Non est qui tractet. Scis quo clamore coronæ
Prælia sustentes campestria. Denique sævam
Militiam puer, et Cantabrica bella tulisti,
Sub duce qui templis Parthorum signa refigit
Nunc; et si quid abest, Italis adjudicat armis.
Ac, ne te retrahas, et inexcusabilis abstes,

indoli, ac desiderio, quod imperii locum apud te obtinere debet, quotiesque ad venationem se comparabit, atque ex urbe cum canibus et equis retia gestantibus prodibit; tu domo pariter prodi, et tempestivas tetricasque Musas omitte, ut venatione per sudores multos partâ cum illo vescaris. Hœc scilicet venandi exercitatiò Romanis usitata semper fuit, magnique ad famam, ad sanitatem tuendam, et corroborandos artus, est adjumenti: tibi præsertim qui bonâ uteris valetudine, et cursu canes, robore apros, vincere potes. Huc accedit quòd arma omnia militaria, et viris valentissimis nota, unus omnium maxima cum dignitate tractas. Nosti, quàm secundo populi plausu exercitationes bellicas et ludicra certamina in campo Martio soleas obire. Quid plura? in castris fuisti versatus à puero, et Cantabrici belli ærumnas perpessus es, sub eo imperatore, qui à Parthorum templis Romana vexilla deripit, quique modo, si quid vincendum restat, armis victricibus occupat, et Romani juris ac ditionis esse jubet. Ac ne illam venandi exercitationem pulcherrimam et utilissimam refugias, id quod nulla profectò justa de causa facere posses, memineris te, licèt omnia prudenter et in loco geras, aliquando tamen in paterna villa indulgere levioribus illis ac pœne puerilibus ludis et occupationibus. Pugnam navalem assimulant cymbæ in domestico

47. *Senium.* Accipitur interdum ista vox pro indole tetricâ, difficili, morosâ.

55. *Puer.* Atqui pòst paulò consul creatus est Lollius? Responderi potest hoc bellum Cantabricum per annos complures fuisse gestum, eique Lollium maturè interfuisse: deinde vox ista *puer* viris jam grandioribus tribui solebat.

Quamvis nil extra numerum fecisse modumque
Curas, interdum nugaris rure paterno.
Partitur lintres exercitus; Actia pugna,
Te duce, per pueros hostili more refertur;
Adversarius est frater; lacus, Adria; donec
Alterutrum velox Victoria fronde coronet.
Consentire suis studiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
Protinùs ut moneam (si quid monitoris eges tu)
Quid de quoque viro, et cui dicas, sæpe videto.
Percontatorem fugito, nam garrulus idem est;

lacu, et divisi lintres oppositas exhibent acies. Commissa ad Actium pugna repræsentatur per pueros, te duce, tanquam si verum in hostem pugnaretur. Antonii personam et partes tuus frater sustinet; lacus, pro mari Adriatico est: tandiu dimicatur, dum altera pars vincat. Qui à te putaverit approbari eas, quibus ipse oblectatur, exercitationes, is tuas vicissim omni studio approbabit. Porro ut monere te pergam (si tamen monitis indiges) fac ut sæpe observes, quid dicas de aliis, et cui dicas. Fuge illos qui de quolibet multa curiosè sciscitantur; iidem enim aliis omnia referunt ac renarrant, nec hujusmodi hominum auribus arcanum tutò credi potest, ita patentes ac rimosæ sunt. Quod autem semel temerè leviterque dictum est, indictum esse nequit, neque retractari ac revocari potest. Attende diligenter quales sint illi, quos amico diviti

59. *Extra numerum*, etc. *Ne rien faire qui ne soit dans toutes les regles de la bienséance.*

63. *Adria.* Od. 3. Lib. I. pag. 12. n. 15. Stagnum aliquod aut lacus tibi est instar vasti maris, quale est Adrianum.

66. *Utroque pollice.* Si gladiator aliquis populo carus et spectatæ virtutis ab adversario victus dejiceretur, eum sæpe populus neci eripiebat, utrumque pollicem premendo; id est, utrâque manu sublatâ, et in pugnum contractâ, ipsos pollices arctè intra manum constringendo. Contra verò, si quem gladiatorem juberet interfici, pollicem vertebat: hoc est; alterâ manu sublatâ, et digitis quatuor contractis in pugnum, pollicem ab ceteris digitis reducebat, eumque vel in gyrum vertebat, vel humum versùs, cetera manu sursùm elatâ, tollebat. Sunt qui *premere pollicem* explicent, pollices alterum alteri applicare, alii simpliciùs exponunt, utroque pollice, utrâque manu sublatâ: ut laudantes solent. Juvenalem nostrum vide Sat. 3. ad hunc versum. *Et verso vollice*, etc.

Nec retinent patulæ commissa fideliter aures,
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.
Qualem commendes, etiam atque etiam aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, et quondam non dignum tradimus. Ergo
Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri:
At penitus notum, si tentent crimina, serves,
Tuterisque tuo fidentem præsidio: qui
Dente Theonio quum circumroditur, ecquid
Ad te pòst paulò ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet;
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.

commendas, ne postmodum pudore afficiaris ob eorum flagitia. Sæpe in ea re decipimur, et immerentes ornamus commendatione nostrâ. Itaque si quis eorum quos tu commendaveris, in delicto aliquo deprehensus fuerit; illum, qui te sic fefellerit, tutari ac protegere ne cures, ut possis alium defendere, cujus explorata tibi probitas et innocentia in periculum falsis criminationibus adducetur: et ut patrocinium illi tuum impertias, quem dira calumnia mordet ac lacerat. Annon enim vides idem tibi quoque exitium imminere? Sicut, cùm deflagrat vicina domus, tunc et tua salus periclitatur; ac incendium, si principio negligatur, gliscit sensim, et augescit. Qui experti non sunt quàm sit arduum colere amicitiam virorum principum, nihil eo negotio putant esse jucundius: at quisquis periculum fecit, timet. Tu, dum tuam ratem secundi venti provehunt in medium æquor, da operam ne iidem venti reflantes et adversi retrò illam abripiant. Quorum indoles proclivior est ad tristitiam et severitatem, iis non bene convenit cum lætis et festivis: sicut vicissim, qui lepidi et ad joca propensi sunt, tetricos respuunt ac morosos: tranquillum ac pacatum, homo vividus et strenuus molestè fert: promptum et alacrem ægrè fert segnis ac tardus. Quibus dulce ac pulchrum est vino indulgere, et epulas in mediam usque noctem

78. *Theonino.* Diro, maledico. Thoon, poëta Græcus, insignis maledicentiæ.

83. *Tua navis.* Tua res familiaris: gratia apud principem. Dum favet tibi Fortuna.

Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi;
Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi;
Potores bibuli mediâ de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula, quamvis
Nocturnos jures te formidare vapores.
Deme supercilio nubem. Plerumque modestus
Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges, et percunctabere doctos,
Quâ ratione queas traducere leniter ævùm,
Ne te semper inops agitet, vexetque cupido,
Ne pavor, et rerum mediocriter utilium spes.
Virtutum doctrina paret, Naturane donet;
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum;
Quid purè tranquillet, honos, an dulce lucellum,
An secretum iter, et fallentis semita vitæ.
Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,

producere, ii te adversabuntur, si oblatos calices rejicias, licet juratus affirmes id non aliam ob causam à te fieri, quàm quia noctu vini molestis vaporibus discruciaris, et somno prohiberis. Fac ut læta semper tibi frons et exporrecta sit. Qui plus æquo modestus et gravis est, suspicionem præbet hominis tecti et parum candidi: silentio nimis diditus, asper et morosus creditur. In primis consulere ac interrogare debes homines doctrinâ præditos, ac mortuorum quidem scripta legere, virorum autem voce erudiri, atque ab utrisque discere, quo pacto vitam degere tranquillam possis, solutam metu et spe rerum non valdè utilium; immunemque sollicitudinum quas importat avaritia semper egens, semper misera. Audies ab iisdem viris sapientibus, utrùm virtus sit doctrinæ partus et bonæ institutionis, an verò naturæ donum: quid curas faciat leviores, quid lætum contentumque te, ac tibi ipsi non iniquum præstare possit; quid puram ac liquidam animi tranquillitatem efficiat, honor an lucrum, an obscura vitæ ratio à luce, et hominum oculis remota. Quoties respiro à negotiis atque urbano tumultu, ac leniter obambulo in margine rivi Digentiæ, cujus lymphas perfrigidas bibunt incolæ pagi Mandelæ, homines ob frigoris asperitatem toti rugis obsiti; quibus tunc cogitationibus oblectari me censes, amice, quas preces Superis facere? nempe id cupio, id precor, ut res mea familiaris eadem semper mihi, quæ modò est, maneat, aut etiam

99. *Fallentis.* Latentis, ignotæ.

Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus,
Quid sentire putas? quid credis, amice, precari?
Sic mihi quod nunc est, etiam minùs; et mihi vivam
Quod superest ævi, si quid superesse volunt Dì:
Sit bona librorum, et provisæ frugis in annum
Copia, ne fluitem dubiæ spe pendulus horæ.
Hæc satis est orare Jovem, qui donat et aufert:
Det vitam, det opes, animum mihi ego ipse parabo.

angustior: ut meo arbitratu, non alieno, degam quod superest vitæ, si quid mihi à Superis præterea conceditur; ut largè suppetant libri, et victus in annum paratus, ne incertus sim et anxius de vita in hora ducenda. Sufficiat mihi hæc à Jove postulare, qui dat ista mortalibus adimitque: ille vitam et opes largiatur mihi: ego animum præsentibus contentum, et ad omnia præparatum ipse mihi comparabo.

106. *Ne fluitem*, etc. Potest sic exponi: Peto id etiam à Superis ne mortis, quâ nihil incertius, metu angar ac perturber.

EPISTOLA XIX.

AD CILNIUM MÆCENATEM.

Poëtas carpit, qui alios pravè imitari gestiunt: cur sua carmina quibusdam displiceant, doceat.

Prisco si credis, Mæcenas docte, Cratino,
Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus. Ut male sanos

Si quam habes antiquo illi Cratino fidem, Mæcenas eruditissime, nulla poëmata diu probari, aut longam obtinere possunt ætatem, quorum auctores abstemii fuerint. Ex quo Bacchus poëtas tanquam sacro furore percitos homines, in

Adscripsit Liber Satyris, Faunisque poëtas,
Vina ferè dulces oluerunt manè Camœnæ
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus;
Ennius ipse pater nunquam, nisi potus, ad arma
Prosiluit dicenda. Forum, putealque Libonis
Mandabo siccis, adimam cantare severis.
Hoc simul edixi, non cessavêre poëtæ
Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid? si quis vultu torvo ferus, et pede nudo,
Exiguæque togæ simulet textore Catonem,
Virtutemne repræsentet, moresque Catonis?

numerum Faunorum et Satyrorum retulit, ipsæ Musæ ut plurimum matutino se vino benignè proluerunt. Homerum vini amantem fuisse facilè colligas ex iis laudibus, quibus ornare vinum consuevit. Ipse bonus Ennius nunquam ad bella describenda se contulit, nisi hausto liberaliter vino. Utique, forum et tribunalia dabo regenda jejunis hominibus et sobriis; at austeros illos aquæ potores carmina scribere non sinam. Statim atque hoc velut edictum protuli, non destiterunt poëtæ, tum nocturnis inter se dimicare poculis, tum diurno potu fætere: quasi hoc ad spiritum poëticum excitandum imprimis valeret. Ridiculè. Quid enim? si quis atrocem Catonis et severum vultum induat, si exuat, ut ille calceos, si exigua toga eumdem imitari studeat, num idcirco moribus exprimet Catonem, aut illius virtutem assequetur? Timagenis eloquentia in causa

4. *Adscripsit*, etc. Sui esse gregis, esse in suorum Satyrorum et Faunorum numero jussit: in fidem suam et clientelam recepit. Satyros porrò et Faunos egregiè bibaces fuisse licet.

12. *Pede nudo.* Prisci Romani nudis ferè pedibus incedebant: eumdem servabant morem Athenienses, nisi cùm dura sæviret hyems, aut iter locis asperis et salebrosis habendum. Plutarchus de Catone Uticensi, qui Catonis Censorii pronepos, ut dixi, fuit, narrat, eum sæpè sine calceis et sine tunica in publicum prodiisse; imo totas provincias obiisse.

13. *Textore togæ.* Id est, toga texta. Artifex ponitur pro ipso opere. Sic Juvenalis dixit: *Raræ sine Mentore mensæ*; id est, sine signis et poculis à Mentore cælatis.

Catonem. Duo fuerunt celeberrimi Catones: alter cognomento Censorius, alter Uticensis dictus: ille hujus proavus. Uterque severitatis antiquæ laude clarus.

Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua,
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile. Quod si
Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.
O imitatores, servum pecus, ut mihi bilem,
Ut mihi sæpe jocum vestri movere tumultus!
Libera per vacuum posui vestigia princeps;
Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidit
Dux, regit examen. Parios ego primus Iambos

fuit, cur ejus rivalis et æmulus Hyarbitas disrumperetur, clamando, dum adversarii facundiam et sales conatur imitari. Cùm exemplar intuemur, in quo est aliquid mendosum, facilè ejus vitia incauti exprimimus; ac si quo casu essem ego pallidior, eumdem, credo pallorem isti, hausto cumini succo, sibi inducerent. O imitatores inepti, stolidæ pecudes, et consectandis aliorum vestigiis serviliter addictæ, quàm sæpè mihi et ridendi et stomachandi ansam præbuerunt vestræ concursationes ac sollicitudines! Primus ego viam à nemine antea tritam ingressus, alienis vestigiis non institi. Qui proprio ingenio ac facultate nititur, et quid possit, non ignorat, is præire aliis et familiam ducere non dubitat. Primus omnium edidi Latino sermone versus iambicos, quod metri genus invenerat oriundus ex insula Paro Archilochus, cujus ego sum numeros et spiritus ingentes imitatus, non autem ipsa scribendi

15. *Rupit.* Rumpere se clamando, *se crever.* Cicero Lib. Epist. 7. invidia rumpi, etc.

Timagenis. Timagenes, teste Suidâ, rhetor Alexandrinus seu sophista, captus à Gabinio, et Romam ductus, Julio Cæsari carus primùm extitit, ob sales et acutè dicta quorum artifex mirus erat: verùm cùm iis ipsum Cæsarem liberiùs aspergeret, ab eo pulsus aulâ, et docendi munere abstinere jussus est. Ejus imitator Hyarbitas, sive Tarbitas, nescio, quis, dum vitiosam hanc et nimiam urbanitatem æmulatur, malè periit. Est qui Iarbitam interpretetur, hominem Afrum, sive ortum è Mauritania, ubi Iarbas regnavit.

16. *Urbanus.* In malam sæpè partem ab Horatio id vocabulum accipitur, ac ferè pro scurra, et assentatore: *un mauvais plai ant, un railleur.*

17. *Exemplar.* Quod proponitur ad imitandum; *un modele, un original.*

18. *Cuminum.* Herbam, cujus succus exangues et pallidos reddit.

23. *Parios.* Parus est insula maris Ægei, candido marmore nobilis, Archilochi patria.

Ostendi Latio, numeros, animosque sequutus
Archiloci, non res et agentia verba Lycamben.
Ac, ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos, et carminis artem:
Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcæus; sed rebus, et ordine dispar,
Nec socerum quærit quem versibus oblinat atris,
Nec sponsæ laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego, non alio dictum priùs ore, Latinus
Vulgavi fidicen. Juvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi, manibusque teneri.
Scire velis; mea cur ingratus opuscula lector
Laudet, ametque domi, premat extra limen iniquus?

argumenta, quæ Lycamben ad laqueum faucibus innectendum adegerunt. Neque tamen dignum me idcirco minori laude et coronâ putes, quòd mutare noluerim pedes et artem versuum Archilochi; nam iambos, quos illius exemplo scripsi, aliis mollioribus, quales habent Sappho et Alcæus, numeris, modisque temperavi, et alia prorsus argumenta, alium atque Archilochus, ordinem secutus sum: neque ut ille socerum in meis scriptis insector, aut ei notam ignominia fœdissimam inuro; nec sponsam maledico dente lacero, et sibi laqueo vitam eripere cogo. Id unum mihi volo tribui, nullum ante me extitisse, qui poëtam illum Græcum Latinis versibus in lucem editis fuerit imitatus, mihique pulchrum duco, quòd istud carminis genus à nullo hactenus Romano scriptore tentatum hominibus nostris obtulerim, quodque me dignum judicent quicumque honesti ac eruditi sunt, quem legant ac manibus terant. Jam si quæras cur ingrati quidam lectores mea scripta privatim amplectantur et laudent, palàm eadem ac publicè vituperent; dicam: nempe inconstantis vulgi approbationem et plausum,

28. *Mascula.* Virilis animi fæmina, quæ versus instar virorum, scribere ausa sit, quæ sexum ingenio superaverit.

29. *Temperat*, etc. Acriores iambos Archilochios, et amariores mitigavi, interpositis Alchaïcis et Sapphicis versibus mollioribus.

30. *Socerum.* Lycamben, qui Neobulem filiam, desponsam Archilocho alteri habendam dedit. In utrumque tam amaros scripsit versus Archilochus, ut ambo sibi fauces laqueo fregerint.

31. *Sponsam.* Neobulen, Archilocho pactam et promissam, *fiancée.*

Non

Non ego ventosæ plebis suffragia venor,
Impensis cœnarum, et tritæ munere vestis.
Non ego, nobilium scriptorum auditor, et ultor,
Grammaticas ambire tribus, et pulpita dignor.
Hinc illæ lacrymæ. Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare, et nugis addere pondus,
Si dixi : Rides, ait; et Jovis auribus ista
Servas. Fidis enim manare poëtica mella
Te solum, tibi pulcher. Ad hæc ego naribus uti
Formido; et, luctantis acuto ne secer ungui,

epularum ac detritarum vestium largitione non aucupor; mihi curæ non est, poëtas eximios sua mihi carmina recitantes audire, aut illis vicissim mea recitare, ut tædium quo me affecerunt, ulciscar; non grammaticorum tribus demereri studeo : et eorum emendicare suffragia, scholas ipsorum obeundo et circumcursando. Hinc illa hominum in me invidia, hinc dolor. Si quando profitear me à versibus meis recitandis pudore deterreri, quòd ea digna non credam, quæ in frequenti civium concessu et quasi Theatro audiantur, quodque hujusmodi venditare nugas nolim, statim aliquis, rides, inquit, nosque ludis dum audienda hæc Augusto soli reservas : unum te scilicèt eximium poëtam esse arbitraris, cujus ex ore carmina prorsus mellea fluant : et hoc tuo de te judicio tibi mirificè places. Ego verò cùm hæc audio, parco ejusmodi adversarium deridere, et irritare, neve in me arrectis unguibus involet, mecumque digladiari velit, exclamo.

40. *Ambire.* Prensare, sollicitare : *briguer les suffrages des Grammairiens, leur faire la cour.*

Tribus. Festivè grammaticas tribus dicit, quasi grammatici de fama et honoribus eruditorum statuerent, ut Romanæ Tribus candidatos suis suffragiis ad varios magistratus evehebant.

Pulpita. Significat ea vox hoc loco suggestus, et cathedras docentium.

41. *Theatris.* Poëtarum carmina sæpè in ipso theatro recitabantur. Potest hoc in loco theatri nomine intelligi cœtus frequens et corona auditorum, in privata domo.

43. *Jovis.* Augustum intelligit, qui eumdem videbatur in terris obtinere locum, quem Jupiter in cœlo.

44. *Manare.* Hoc in loco agendi significationem habet hoc verbum : estque idem ac effundere.

45. *Naribus uti.* Qui aliquem derident, cavillantur, spernunt, naso plurimum utuntur, quem attollunt, contrahunt in rugas, ad rouchos edendos adhibent, etc.

Displicet iste locus, clamo; et diludia posco.
Ludus enim trepidum genuit certamen, et iram;
Ira truces inimicitias, et funebre bellum.

Non est opportunus hic ad pugnam locus, et differri certamen in aliam diem peto. Nam è ludicra et levi pugna sæpe orta est rixa et altercatio gravior, ac vehemens ira: ex qua mox odia et atroces inimicitiæ, et funesta bella denique prodierunt.

47. *Diludia posco.* Diludium, est intermissio, et quasi dilatio ludi, certaminisque gladiatorii: missio gladiatoris usque ad certum tempus: spatium, quod datur gladiatoribus ad vires reficiendas: *je demande du temps: je me retire; je remets la partie à une autre fois.*

48. *Ludus enim*, etc. Hæc ironicè dicuntur. Sic poëtarum altercationes et tumultus ridet.

EPISTOLA XX.

AD LIBRUM SUUM.

Erumpere gestientem retinere frustra conatus, quid molestiæ exsorbendum sit monet, ac ei quædam lectoribus renuncianda de se mandat.

Vertumnum, Janumque, Liber, spectare videris;
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.

Video te, mi Liber, ad bibliopolarum tabernas, quæ circa Vertumni statuam, et in vico Jano plurimæ sunt, avidè respicere: nimirum ut tu quoque illic probè compactus, et levi pumice

1. *Vertumnum.* Præerat commercio, quod maximè continetur mutandis et vertendis mercibus. Ejus statua erat in fine vicorum Tusci et Thurarii, qui ambo jungebantur in velabro. Locus erat celebritate vendentium et ementium frequens.

2. *Sosiorum.* Sosii, bibliopolæ tunc celebres.

Pumice. Membranam, in qua scribebatur, æquabant ac poliebant pumice.

Odisti claves, et grata sigilla pudico:
Paucis ostendi gemis, et communia laudas,
Non ita nutritus. Fuge quò descendere gestis.
Non erit emisso reditus tibi. Quid miser egi?
Quid volui? dices, ubi quis te læserit. Et scis
In breve te cogi, plenus quum languet amator.
Quòd si non odio peccantis desipit augur,
Carus eris Romæ, donec te deserat ætas.
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Cœperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,

detersus, operâ et arte Sosiorum, venalis proponare. Piget te tandiu clausum esse, ac sigilla fers ægrè, quæ ingenua et pudica proles amat: ingemiscis quod norint te pauci, et nihil putas antiquius ac pulchrius, quàm in ore omnium, oculisque versari. Atqui aliter apud me fuisti educatus, aliis moribus et exemplis imbutus: i tamen, fuge, quo tantopere festinas: at ubi semel exieris, redeundi copia non erit. Tunc enimverò tuam dolebis vicem, cùmque aliquid ab aliquo passus fueris injuriæ, Me miserum! inquies, quid feci? cùm patrios lares deserui! Et verò non ignoras complicari te et contrahi, cùm lector fastidiosus, legendo expletus ac defessus est. Quòd si me, quid tibi peccanti, tanquam augur, futura prænuncio, non fallit odium tuæ pervicaciæ, nec ad malè augurandum impellit; sic habeto, placiturum te esse tantisper Romæ, dum eris novus et recens: postquam senueris, et ipsius plebis manibus tritus, despici demum cœperis; tunc abjectus, et in aliquo angulo tacitus, tineis præbe-

3. *Pudico.* Librum intactum, et nondum in vulgus editum appellat Martialis *virginem chartam.* Libros diligentissimè custodiebant Romani, neque illos tantùm clausis et obseratis foribus, sed additis etiam sigillis, servabant domi. Sic libros nondum satis idoneos, ut evulgentur, premere et custodire scriptor debet.

8. *In breve te cogi.* Libri veterum aliud vulgò nihil erant, quam ingens et perpetua charta, seu membrana, quæ quidem circa teres bacillum convolvebatur, et complicabatur, atque adeò in breve spatium contrahebatur, cùm liber aut erat lectus, aut legendus non erat. Cùm autem legere illum vellent, evolvebant, explicabantque membranam.

10. *Ætas.* Flos ætatis, juventus, quæ ætas optima, et vitæ nomine dignissima.

12. *Taciturnus.* Quia nemo te leget. Cum libris quasi colloquimur: audire vocem videntur, ac reddere.

Aut fugies Uticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.
Ridebit monitor non exauditus; ut ille,
Qui malè parentem in rupes protrusit asellum
Iratus. Quis enim invitum servare laboret;
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.
Quum tibi sol tepidus plures admoverit aures,
Me libertino natum patre, et in tenui re
Majores pennas nido extendisse loqueris,
Ut quantùm generi demas, virtutibus addas.
Me primis Urbis belli placuisse domique;

bis escam; aut Uticam amandaberis aut obligatus Ilerdam deportaberis. Ipse, quem nunc amicè monentem spernis, ridebo, ut ille rusticus, qui asinum ire, quò jubebatur, nolentem, et cerebrosum, in cautes præcipitem iratus dejecit. Quis enim curet eum eripere periculo, qui perire velit? Hoc etiam tibi fatum impendet, ut nempe consenescas in aliquo extremæ urbis ludo litterario, ubi navabis operam pueris qui legere docentur. Tunc cùm plures ad te audiendum, fracto jam calore meridiano, sub solis occasum convenerint, faterebis me libertino quidem patre genitum, neque admodum locuplete; at ultra nidum pennas protulisse dices, meique generis et natalium ignobilitatem compensabis eruditionis et virtutis meæ commendatione. Addes placuisse me civibus bello et pace clarissimis: fuisse brevioris staturæ, canum ante

13. *Uticam.* Urbem Africæ, in qua sibi Cato violentas manus attulit, *Utique.* In Africam porro libros inutiles, aut Romæ spretos, mittebant ut ibi à peregrinis et provincialibus, ut fit, emerentur. Iisdem etiam ad involvendas merces, et aromata utebantur.

Vinctus. Veluti captivus.

Ilerdam. Est urbs Catalauniæ in Hispania: *Lerida.*

17. *Elementa.* Primas litteras. Pueri discunt legere in libris obsoletis, et nullius pretii.

19. *Sol tepidus.* Meridie se continebant domi, donec frangeretur calor: sub vesperam visebant amicos, itabant ad carmina poëtarum audienda, etc.

21. *Majores*, etc. Id est humilitatem mei generis, virtute, opibus, famà, superasse. Ducitur tralatio ab avibus, quæ, cùm adolescunt, sæpe alas extra nidum protendunt, neque contineri nido possunt: sic ait se in obscuritate natali ac tenuitate non constitisse.

23. *Primis*, etc. Ut Augusto, Mæcenati, etc.

Corporis exigui, præcanum, solibus aptum;
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
Fortè meum si quis te percontabitur ævum,
Me quater undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

tempus, locis apricis et sole gaudentem, pronum ad iracundiam; ita tamen, ut facilè placari possem. Si quis à te requiret fortasse quot annos natus sim, respondebis me annos quatuor et quadraginta eo anno implevisse, quo Marcus Lollius Quintum Æmilium Lepidum collegam in consulatu sortitus est.

28. *Quo duxit*, etc. Incidit hic annus in annum ab Urbe condita 732. Vide Horatii vitam, in limine primæ partis. Dio Libro LIV. narrat Lollium solum, ac sine collega consulatum iniisse, eò quòd locus alter Augusto, qui tum aberat, servaretur. Cùm autem Augustus recusasset consulatum, Lollio datum esse collegam Lepidum.

EPISTOLARUM
LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I.

AD AUGUSTUM.

Ab Augusti laudibus exorsus, ad laudes poëtarum delabitur: asserit veteres haudquaquam recentioribus præstare, horum tamen errata quædam notat: denique Augustum hortatur, ut eosdem tueri ac fovere pergat.

QUUM tot sustineas, et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar.
Romulus, et Liber pater, et cum Castore Pollux,
Post ingentia facta, Deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt,
Ploravere suis non respondere favorem

CUm tot tantorumque negotiorum molem unus feras, Cæsar; cum Italiam bello defendas, optimis excolas moribus, sanctissimis legibus corrigas: equidem peccare me graviter in publicam utilitatem arbitrarer, si te longiori carmine distinerem. Romulus, Bacchus, Castor, et Pollux, qui ob præclara et heroïca facinora relati sunt in Deorum numerum, ac templa et honores divinos adepti, antea tamen, cùm adhuc in terris mortales inter degerent, cumque universum orbem et hominum genus ingentibus beneficiis ornarent, cùm finem bellis crudelibus imponerent, agros bene de republica meritis attribuerint, urbes ædificarent,

Speratum meritis. Diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.
Urit enim fulgore suo qui prægravat artes
Infra se positas; exstinctus amabitur idem.
Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per numen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus hic populus sapiens, et justus in uno,
Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo,

doluerunt se non eam quam merebantur, ac jure sperabant, famam apud homines et gloriam esse consecutos. Ille inclytus hydræ domitor, qui tot monstra, à Diis ipsis fatisque adversùs illum immissa, non sine multo sudore vicit confecitque; invidiam solâ morte comprimi ac debellari posse agnovit. Nimirum homines eximii, et summis artibus, dotibusque præstantes, dum vivunt, oculos aliorum qui sunt ipsis inferiores, virtutis suæ luce perstringunt, eoque invisi et odiosi sunt iis, quos gloriâ suâ velut obruunt. At iidem, postquam obiere, diliguntur. Tua unius virtus, Auguste, sic omnibus admirationi est, sic invidiam omnem superavit; ut tibi adhuc viventi, honores summos, quos mereris, utro deferamus: aras jam extruamus, ubi per tuum juremus numen; denique nullum heroëm aut principem similem tibi hactenus natum, nullum porrò nasciturum unquam

13. *Urit*, etc. Torquet, angit. Oculi nimio splendore præstinguntur, et acies hebetatur.

Qui prægravat, etc. Heinsius distinguit artes duplicis generis: superiores, ut bella componere, administrare Rempublicam, etc. et inferiores. Qui superioribus excellunt, urunt eos qui versantur in minoribus, et infrà positis, quandiu vivunt scilicet. At te, Cæsar, summis artibus excellentem et superstitem omnes colunt. Prægravare est præponderare, antecedere: quemadmodum in lancibus quæ graviora sunt, levioribus præponderant.

15. *Maturos honores.* Tempestivos. Cæteris honores maturi tantùm sunt mortuis, quando scilicet oppressa est invidia: at tibi jam sunt debiti, et nemine invito, aut invidente, concessi. Vita dici potest esse quoddam ver, quo suos flores gloria parturit; nec ullos tunc fere: nisi præcoces fructus effert: mors verò esse instar autumi, quo fructus maturi (id est, gloria secura et duratura) colliguntur.

16. *Jurandas.* Moris erat jusjurandum et sacramentum concipere ante aras, invocatis, qui colerentur ibi, Diis.

Cetera nequaquam simili ratione, modoque
Æstimat; et, nisi quæ terris semota, suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit, et odit;
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, fœdera regum
Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum,
Dictitet Albano Musas in monte loquutas.

esse fateamur. Sed hic tuus populus, in ea re una prudens et æquus, quòd te Romanis ducibus et Græcis multum anteponat, de aliis rebus non ita rectè judicat : utpote qui nihil amet aut magni faciat, nisi quòd jam sit terris ademptum, jamque ab his temporibus procul disjunctum : alia omnia contemnat ac respuat; ita veterum scripta laudare ac mirari solitus, ut affirmare non dubitet, leges duodecim tabularum, quas Decemviri digesserunt, à Musis ipsis in Albano monte dictatas esse; itemque fœdera, quæ olim nostri reges ex æquo cum Gabiis Sabinisve sanxerunt; necnon libros pontificum, et antiqua vatum

22. *Temporibus defuncta.* Quæ tempus sibi concessum à fatis ad vitam, ad gloriam, expleverunt: *qui ont fait leur temps.*

23. *Tabulas*, etc. Anno ab urbe condita 303. missi sunt in Græciam à Romanis oratores et legati, qui è Græcorum legibus optimas quasque colligerent, ac in urbem reportarent. Decemviri huic negotio præpositi eas collegerunt, atque in tabulas duodecim æneas inciderunt; iisque diu jus Romanum constitit.

Peccare vetantes. Proponendo pœnas delinquentibus, et eas certâ lege sanciendo.

25. *Gabiis.* Gabii, populus et urbs Latii, cum quibus fœdus ictum est à Tarquinio Superbo; quod Augusti ævo adhuc visebatur, verbis valde obsoletis conscriptum.

Sabinis. Sabini, populus Italiæ. Illorum ager supra Latium ad orientem Etruriæ; urbs eorum primaria, Cures. Romulus cum iis fœdus fecit eâ lege, ut è Romanis et Sabinis, unus fieret populus, qui à Curibus Quirites dicerentur. Florum vide Lib. I. *Rigidos* vocat, hoc est, parcos, severos, frugi.

26. *Pontificum libros.* Erant isti libri accepti præsertim ab Hetruscis, à quibus ceremonias et ritus sacrificiorum, disciplinam augurum, etc. Romani sumpserant.

27. *Albano monte.* Erat ille mons in Latio, prope Albam, urbem ejusdem Latii. Hunc montem Latinum veluti Parnassum tunc fuise, ridens Horatius innuit.

Si, quia Græcorum sunt antiquissima quæque
Scripta, vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutinâ, non est quod multa loquamur.
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.
Venimus ad summum fortunæ: pingimus, atque
Psallimus, et luctamur Achivis doctiùs unctis.
Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit,
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus.
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos, veteresque referri debet? an inter
Viles, atque novos? excludat jurgia finis.

oracula vetustis in codicibus descripta. In quo graviter utique falluntur homines nostri. Si enim, quoniam apud Græcos vetustissima quæque scripta, sunt itidem longè præstantissima; eodem modo de Romanis scriptoribus existimandum sit; non est cur pluribus disputemus: eodem jure dicendum erit nihil intra oleam durum esse, nihil durum extrinsecus in nuce. Sed profectò aliter de Romanis atque Græcis judicandum est: eò promovimus artes quaslibet, ut suos omnes numeros videantur assecutæ; Græcos picturâ, musicâ, certaminibus athletarum, longè multumque superamus. Si vetustate, ut vinum ita et poëma, bonum efficitur, libenter quæsierim, quis annorum numerus sit necessarius, ut aliqua carmina in pretio sint: num poëta, qui centum abhinc annis obiit, debeat inter antiquos et perfectos, an inter recentes ac despicatos, numerari? Statuamus aliquem finem et terminum ætatis, qui litem hanc et controversiam

31. *Nil intra*, etc. Ironia, qui de Romanis scriptoribus eodem modo atque de Græcis judicat, is tam absurdè facit, quàm si diceret nucleum oleæ durum non esse; non esse durum corticem nucis. Proverbium hoc in eos convenit, qui aut negant quæ perspicuè vera sunt; aut aiunt quæ perspicuè sunt falsa. Quid enim apertius quàm intra oleam os esse; extra nucem putamen durum et corticem?

32. *Venimus*, etc. Hæc ratio est discriminis inter Græcos et Latinos. Græci antea excellebant in omni artium genere, nunc jacent: Romani antea rudes et imperiti, nunc ad summam perfectionem, quam ipsis fortuna felix dedit, pervenerunt. Ex quo rectè colligitur, apud Græcos ea scripta esse optima quæ sunt antiquissima; apud Romanos, quæ recentissima.

33. *Unctis*. Athletæ dimicaturi ungebant corpus oleo, vel, ut membra corroborarent; vel ut prensantibus adversariis elaberentur.

Est vetus, atque probus, centum qui perficit annos.
Quid? qui deperiit minor uno mense vel, anno,
Inter quos referendus erit? veteresne proboque?
An quos et præsens, et postera respuet ætas?
Iste quidem veteres inter ponetur honestè,
Quid vel mense brevi, vel toto est junior anno.
Utor permisso, caudæque pilos ut equinæ
Paulatim vello, et demo unum, demo et item unum:
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit ad fastos, et virtutem æstimat annis,

componat. Omninò, inquiet aliquis, numerandum inter veteres bonosque censeo, qui ante centum annos vixit. Agedum, si cui ad hunc annorum numerum mensis unus, aut etiam annus unus defuerit, quibusnam ille erit poëtis adscribendus? antiquis? ac recentibus, atque ab ætate nostra et posteritate condemnandis? Sanè nihil causæ admodum erit, inquit, cur iste inter antiquos non recenseatur. Bene est, accipio quod concedis, atque ex illis centum annis unum tollo, itemque unum, ut si ex equina cauda pilos alios ex aliis paulatim evellerem; sic igitur annos subtraham, donec acervus totus et numerus annorum centum exhauriatur, atque ita coarguatur manifesti erroris, quisquis ad vetustatem annorum in fastis notari solitam confugit, ut pretium virtuti et litteris ponat, nihilque præclarum

45. *Caudæ*, etc. Sertorius, quemadmodum in ejus vita Plutarchus narrat, ut intelligeretur artem ac perseverantiam plus ad vicendum prodesse quàm vires, duos in medium equos produxit, alterum effœtum et debilem; alterum valentem et firmum. Jussit deinde ab milite robusto pervelli caudam integram equi deterioris, quod ille frustrà conatus est: mox alterius equi caudam militi pusillo et infirmo vellendam tradidit; qui direptis paulatim pilis, omnem nullo negotio caudam nudavit. Ita (subjecit Sertorius) quæ per vim, quæ semel, et uno impetu capi non possunt; singillatim et arte pervincuntur.

47. *Ratione ruentis acervi.* Argumento convictus, quod simile est acervo ruenti: *par un raisonnement semblable à un monceau qui s'éboule.* Hoc argumentum Græci vocant *soriten*, à Græca voce *σωρὸς*, *acervus.*

Et sapiens, etc. Ennius prædicabat se olim extitisse Pythagoram, qui sapiens et philosophus egregius: Euphorbum, qui fortis et miles, denique Homerum. Ostendit his exemplis Horatius quàm meritò contemnenda forent veterum poëtarum scripta.

Miraturque nihil nisi quod Libitina sacravit.
Ennius, et sapiens, et fortis, et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur
Quo promissa cadant, et somnia Pythagorea.
Nævius in manibus non est? non mentibus hæret
Pene recens? adeo sanctum est vetus omne poëma!
Ambigitur quoties uter utro sit prior; aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti;
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro;

et admiratione dignum censet, nisi quod auctoris sui morte quasi consecratum fuerit. Ennius, vir sapiens, fortis, et, ut critici dictitant, dignissimus qui Homerus alter appelletur, ita negligenter scripsit, tamque prisco illi Homero dispar est, ut parum laborare videatur de magnificis promissis, sibi, ut ipse de se prædicat, somnianti factis, fore ut æquaret gloriam Homeri, cujus animam, juxta Pythagoræ placita, in se transfusam affirmabat. Quamvis opera Nævii non extent fere ampliùs, hærent illa tamen in omnium memoria, perinde quasi recens scripsisset; tantam habent apud nos venerationem omnia veterum carmina. Quoties vocatur in controversiam uter è duobus poëtis alteri anteponendus sit, de unis veteribus poëtis fit mentio; Pacuvius eruditione vincere: Accius ingenii excelsi-

53. *Nævius.* Poëta vetus Latinus, Ennio senior et incultior. Florebat circa annum ab urbe condita 520. Romà pulsus à viris quibusdam primoribus, quos maledicis versibus descripserat, obiit Uticæ in Africa.

In manibus, etc. Potest hoc ita exponi: Nævii carmina non habentur præ manibus, quia perierunt et exciderunt vetustate: vel, quia non est necesse ut sint in manibus, siquidem in omnium animis et memoria videntur esse scripta.

55. *Uter utro*, etc. Binos poëtas componit, qui eodem ævo vixerint; aut qui in eodem scribendi genere versati sint; Pacuvium et Actium; Afranium et Menandrum, etc.

Aufert. Obtinet, consequitur.

56. *Pacuvius.* Ennii nepos, Brundusii natus; obiit Tarenti, olympiadis 156 anno tertio, hoc est, Urbis conditæ 600. propè nonagenarius; unde senex hìc appellatur. Scripsit tragœdias.

Accius. Fuit Pacuvio junior annis 50. tragœdiarum itidem scriptor.

57. *Afrani.* Afranius, poëta Latinus, scriptor comœdiarum, diligens Menandri imitator.

Toga. Inter comœdias illæ quæ Latinum argumentum et

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi;
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro
Spectat Roma potens: habet hos, numeratque poëtas
Ad nostrum tempus, Livì scriptoris ab ævo.

tate, dicitur. Afranius jactatur par Menandro esse, adco ut illius togam gerere cum dignitate Menander potuisset: Plautus perhibetur imitari vim, ardorem, celeritatem ac diligentiam Epicharmi: Cæcilius omnes superare fertur gravitate orationis, Terentius artificio componendæ fabulæ. Horum versus Romani memoriæ mandant, ad illorum Tragœdias Comœdiasve spec-

personas habebant, togatæ vocabantur, quia toga vestis Romanorum erat propria: quarum argumentum et personæ erant Græcæ, aut à Græcis sumptæ: Palliatæ dicebantur, quia pallio Græci plurimùm utebantur. Afranius togatas scripserat: quocirca illius toga, id est, stylus, ratio condendi carminis, dicitur potuisse Menandro convenire, Manandrum non dedecuisse: non alio scripturus modo Menander fuisse, si Afranii ævo vixisset, si latinè scripsisset.

Menandro. Menander, poëta Græcus, varias scripsit comœdias, quas imitati sunt Afranius et Terentius.

58. *Plautus.* Marcus Accius Plautus, natus in Umbria, quæ regio Italiæ: obiit anno U. C. 570. Copiosa in eo Latinitas, et musis ipsis si latinè loquerentur, non indigna, teste Varrone: joci multi et illiberales, felix audacia, mira in inveniendo sagacitas: obscœnitas interdum tabernaria.

Properare. Laudari Plautum Horatius dicit, quod ad eventum fabulæ semper festinet, nec diverticula, ut multi factitant poëtæ quærat. Quam laudem etsi verè illi tribui concedat; innuit tamen posteà, et in Arte Poëtica palàm declarat, ab eodem multa graviter peccari, quod illi veterum amatores minimè fatebantur.

Epicharmi. Poëtæ Græci, Syracusani. Floruit Pythagoræ ac Servii Tullii Romanorum regis, temporibus.

59. *Cæcilius.* Poëta comicus, itidem ut Terentius. Uterque florebat circa annum ab U. C. 390. Terentii vitam fusiùs descriptam habes in iis, quas edidi haud ita pridem, ejus comœdiis.

Gravitate. Pondere sententiarum: movendis affectibus.

62. *Livi.* Livius Andronicus, primus Romæ fabulam docuit, id est, comœdias exhibuit, uno antequam Ennius nasceretur anno, Olympiadis 135. anno primo, Urbis conditæ 514. non satis dignas, si Tullio credimus, quæ iterum legerentur. Livius dictus est à Livio Salinatore, qui eum manumisit.

Interdum vulgus rectum videt, est ubi peccat.
Si veteres ita miratur, laudatque poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet; errat.
Si quædam nimis antiquè, si pleraque durè
Dicere cedit eos, ignavè multa, fatetur;
Et sapit, et mecum facit, et Jove judicat æquo.
Non equidem insector, delendaque carmina Livî
Esse reor, memini quæ plagosum mihi parvo
Orbilium dictare; sed emendata videri,
Pulchraque, et exactis minimùm distantia, miror.
Inter quæ verbum emicuit si fortè decorum, et
Si versus paulò concinnior unus, et alter,
Injustè totum ducit, venditque poëma.
Indignor quidquam reprehendi, non quia crassè

tandas convolant, ac Theatra ubi exhibentur illæ, replent ingenti concursu : hos habent solos in loco et numero poëtarum, ab Livii Andronici temporibus ad ætatem usque nostram. Interdum verè judicat populus, interdum hallucinatur. Si poëtas antiquos adeo suspicit, extollitque, nihil ut illis, ideo quia antiqui sunt, anteponendum, nihil conferendum putet, fallitur : si quædam agnoscit ab iisdem obsoletè nimis dicta fuisse, multa rigidè, non pauca oscitanter et remissè scripta confitetur : sapienter existimat, ac mecum sentit, et Jovem in ea re adstipulantem habet ac faventem. Non quod vituperare Livium Andronicum velim, ejusve poëmata penitùs abolenda contendam, quæ, nam memini, Orbilius ludi magister in plagis infligendis multus et atrox, mihi puero dictabat : verùm demiror qui fieri possit, ut eadem videantur exacta, concinna, et illis proxima carminibus, quæ suis numeris omnibus absoluta sunt. Quod si in illis aliqua fortasse vox elucet, quæ dignitatis non nihil ac venustatis habent, si versus unus itemque alter, paulò elegantior eminet; ob eam rem totum poëma immeritò laudat amator vetustatis ac venditat. Æquo animo ferre non possum, scriptum aliquod ideo vituperari, non quia pingui Minerva conditum sit, non quia existimetur invenustè atque infabrè fusum; sed ob hanc unam causam, quòd non ita pridem fuerit compositum, quod novum sit : demum scriptores

67. *Cedit.* Cujus loco apud plerosque Libros legitur, *Credit*, id est, censet.

68. *Jove æquo.* Propitius enim censetur illis esse Jupiter, qui verè judicant.

75. *Ducit.* Quasi ad pompam vicatim circumducit et ostentat,

Compositum illepideve putetur, sed quia nuper;
Nec veniam antiquis, sed honorem, et præmia posci.
Rectè necne crocum, floresque perambulet Attæ
Fabula, si dubitem, clament periisse pudorem
Cuncti penè patres, ea quum reprehendere coner,
Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit:
Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, et quæ
Imberbi didicere, senes perdenda fateri.

veteres sic laudibus extolli, quasi nusquam excusatione aut veniâ indigeant, sed honoribus duntaxat præmiisque digni sint. Ita enim se res habet: si dicam dubitare me an Comœdia quædam ab Titio Quinctio Atta elaborata, meritò in scenam floribus et croco sparsam, producatur, statim senes propemodum omnes exclamabunt; insignis cujusdam impudentiæ esse, fabulam ejusmodi reprehendere, quam toties Æsopus et Roscius egerint: nempe, vel quia boni isti senes nihil existimant rectum esse, nisi quod ipsi approbant: vel quia eosdem pudet obsequi junioribus, neque adduci possunt, ut amittant, ac spernant, ætate jam provecti, ea quæ olim ipsi, cùm essent adolescentiores, memoriæ mandaverunt. Præterea, qui vetusta id genus carmina, quales sunt versus Saliares, à Numa instituti,

79. *Crocum*. Est crocus herba odora, *du safran*. Illo imbutam aquam, instar roris levissimi, in theatrum et ipsos aliquando spectatores spargebant.

Attæ. Veteris poëtæ Latini, non optimi, qui nomen hoc sortitus est, quia pedum vitio laborabat: vox enim Latina vetus, *atta*, claudum vel plantis extremis ambulando insistentem significat. Quam vocem videtur alludens Horatius respicere, dum ait dubitare se num Attæ fabula theatrum recto talo perambulet.

82. *Æsopus*. Romanus tragœdiarum actor eximius, in permovendis animis vehemens, ob gestûs majestatem et verborum pondus, quam ob causam *gravis* appellatur.

Roscius. Comœdus egregius et histrio, quem accusatum Cicero defendit, et quîcum certare, ut aiunt, solebat, uter melius eamdem rem et sententiam, ipse verbis et figuris, an Roscius voce et gestu, variaret. Idem in Orat. pro Quinctio, artificem esse ait ejusmodi, ut solus videatur dignus esse qui in scena spectetur; tum, virum ejusmodi, ut solus dignus videatur, qui eò non accedat. Adeo comœdiam viro probo indignam putabat.

Jam Saliare Numæ carmen qui laudat, et illud,
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri :
Ingeniis non ille favet, plauditque sepultis;
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.
Quod si tam Græcis novitas invisa fuisset
Quàm nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet
Quod legeret, tereretque viritim publicus usus ?
Ut primum positis nugari Græcia bellis
Cœpit, et in vitium fortunâ labier æquâ,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum ;
Marmoris, aut eboris fabros, aut æris amavit ;
Suspendit pictâ vultum, mentemque tabellâ ;
Nunc tibicinibus, nunc est gavisa Tragœdis ;

prædicant, eaque videri volunt soli intelligere, quæ ipsi æquè ac nos ignorant ; hoc illi non faciunt in gratiam auctorum extinctorum, neque quod eorum ingenium et eruditionem deament ac suspiciant : sed vivorum odio, ac per invidiam nos lacessunt, nostra opera carpunt ac deprimunt. Quòd si Græci olim novitati æquè infensi fuissent ac nos sumus, quodnam opus nunc haberemus antiquum ? aut unde nunc libri suppeterent, quibus nostri homines, sive discendi, sive animum oblectandi causâ, uterentur ? Ubi primùm Græcia gravibus perfuncta bellis, ab armorum contentione ad ludos et studia leviora defluxit, et corrupta rebus secundis descivit à pristina virtute, tunc pugilum spectaculis, et curulibus certaminibus vehementer delectari cœpit : in honore ac pretio habuit artifices, à quibus signa ex marmore, ex ebore, ex ære, ponerentur : pictas tabulas defixis oculis animisque suspexit ; modò Tragœdiarum actores, modò tibicines adamavit, instar puellæ infantis, quæ nutricis in

86. *Saliare carmen.* Cantilenam veterem, quàm Salii, Martis sacerdotes, à Numa Pompilio instituti cantitabant, adeo obscuram et obsoletis verbis exaratam, ut eam vix ab ipsis sacerdotibus suis intellectam fuisse Quintilianus affirmet.

93. *Ut primum.* Docere incipit undè nata sit poësis, quæ fuerint illius incunabula, quæ incrementa, etc. ut ostendat eam sensim fuisse auctam, ac progressione temporis evasisse ornatiorem, ac proinde eò deteriorem extitisse, quò fuit antiquior et origini suæ propior : ut rivuli sunt eò tenuiores, quò à fonte propiùs absunt.

Sub nutrice puella velut si luderet infans,
Quod cupidè petiit, maturè plena reliquit.
Quid placet, aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonæ, ventique secundi.
Romæ dulce diu fuit, et solenne reclusâ
Manè domo vigilare, clienti promere jura;
Cautos nominibus certis expendere nummos,
Majores audire; minori dicere per quæ
Crescere res posset, minui damnosa libido.
Mutavit mentem populus levis, et calet uno
Scribendi studio. Pueri, patresque severi
Fronde comas vincti cœnant, et carmina dictant.
Ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior; et prius orto

sinu ludo indulget. Sed eas ipsas res quarum studio flagraverat, haud multò post exsaturata despexit atque abjecit. Ecquid enim est quod homines constanter et perpetuò vel ament, vel oderint? Scilicet ex pace ac felici fortunâ oriri consuevit hæc artium varietas, et rerum ad voluptatem pertinentium inventio. Apud Romanos diu mos viguit, isque tunc jucundissimus, ut apertis foribus, manè vigiles domi consisterent, ibique de jure clientibus responderent; ut collocarent pecuniam apud locupletes debitores, certis cautionibus adhibitis; à senioribus discerent quod ex usu esset; ac vicissim traderent junioribus juniores modum augendæ rei familiaris, et vitiosas cupiditates comprimendi. Alios nunc mores, alia studia populus inconstans sequitur; et una scribendi cupiditate flagrat: nunc et pueros videas, et viros ætate provectos, in conviviis hedera coronatos accumbere, versusque dictare. Ego ipse, qui me à scribendis carminibus jam abstineri prædico ac profiteor, mentiri splendidiùs et fallere, quàm Parthi, deprehendor, et antequam

115. *Nominibus certis.* Bonum, seu certum nomen vocatur debitor fidus, qui est solvendo.

Expendere. Collocare, ponere: sive de mutuo, sive de emptione agatur: *placer son argent après avoir pris toutes ses sûretés.*

110, *Fronde.* Hedera, vel lauro: utraque enim est poëtis consecrata.

Dictant. Servis scribendi peritis, Librariis.

Mendacior. Parthi fugam mentiebantur ac simulabant: sed in ipsa pugnabant fuga, et tela jaculabantur conversis ac retortis in tergum arcubus. Iidem insigni erant perfidiâ,

Sole, vigil calamum, et chartas, et scrinia posco.
Navem agere ignarus navis timet; abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare; quod medicorum est,
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri;
Scribimus indocti, doctique poëmata passim.
Hic error tamen, et levis hæc insania quantas
Virtutes habeat, sic collige. Vatis avarus
Non temere est animus; versus amat, hoc studet unum;
Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet,
Non fraudem socio, puerove incogitat ullam
Pupillo; vivit siliquis, et pane secundo.
Militiæ quanquam piger et malus, utilis urbi;

sol oriatur evigilans, calamum cum papyro tabellisque peto. Qui navem gubernare nescit, clavum tractandum non suscipit: ægrotis porrigere medicamento non audet, nisi qui ea conficiendi artem antea didicerit; medici pollicentur se illa duntaxat effecturos, quæ ad medicam spectant artem; fabri, quæ ad fabrilem; at carmina periti simul et imperiti promiscuè componimus. In quo etsi peccamus, ac paululum desipimus, tamen quanta inde oriantur commoda facilè intelligi potest. Poëta quippe non facilè avaritiâ laborat, totus est in versibus, huic uni studio deditus est. Jacturam rei familiaris, incendia, servorum fugam, pro nihilo putat; nullum socio, pupillove dolum machinatur. Leguminibus et cibario pane vescitur. Licet parum sit bello idoneus, imo, si vis, etiam ignavus, magnas tamen civitati utilitates affert; si modo id fateris quod veris-

quam cùm alii sæpe duces, tum Crassus et Antonius experti fuere.

114. *Abrotonum.* Herba est quædam medica: *de l'auronne*, flore croceo, odore gravi, insigni amatore. Plin. Lib. XXI. c. 21.

122. *Incogitat.* Expressit Græcum επιβούλευσι, sic dixit Od. 18. Lib. III. ver. 30. uno vocabulo *postgenitis*, ἐπιγόνοις. Hoc vati nostro familiare est: neque scribendum, ut quibusdam placet, *non cogitat.*

Siliquis. Siliquæ, folliculi sunt quibus fabæ, pisa, etc. includuntur, *la gousse des légumes.* Pro ipsis leguminibus ea vox hîc sumitur.

Pane secundo. Secundario, sive cibario, cui admixtum aliquid furfuris. Panis primus et exquisitior fiebat è siligine, qui flos farinæ purissimus est.

Si das hoc, parvis quoque rebus magna juvari.
Os tenerum pueri, balbumque poëta figurat;
Torquet ab obscœnis jam nunc sermonibus aurem;
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Asperitatis, et invidiæ corrector, et iræ.
Rectè facta refert; orientia tempora notis
Instruit exemplis; inopem solatur, et ægrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem nî Musa dedisset?
Poscit opem chorus, et præsentia numina sentit;
Cœlestes implorat aquas doctâ prece blandus;
Avertit morbos, metuenda pericula pellit;
Impetrat et pacem, et locupletem frugibus annum

simum est, rebus etiam magnis parvas adjumento et adminiculo esse. Vocem puerorum adhuc balbutientium format poëta, et ad omnem rectæ pronunciationis modum flectit, fingitque; tradit illis effata et sententias plenas probitatis et prudentiæ, quibus imbuti ab impuris sermonibus avocantur: mox eorumdem animis instillat præcepta graviora moribus informandis idonea: quamadmodum sævitiam indolis et acerbitatem, invidiam, iram emendare possint, docet; res à summis viris præclarè gestas narrat. Idem proponit posteris exempla spectata et litteris celebrata, quibus erudiantur: egenos atque ægrotos consolatur et recreat. Undenam pueri integri et puellæ innuptæ preces atque hymnos haberent, quos mandarent memoriæ in Deorum honorem recitandos, nisi fuissent instituti à Musis poëtæ, qui ejus modi carmina componerent? Hymnis autem illis chorus puerorum ac virginum implorat Superûm opem, ac pro ea impetrata lætus gratias agit: imbrem frugibus fidi-

126. *Os pueri*, etc. Nihil æquè pueros ad eloquentiam informat, ac poëtarum lectio. Huc adde quòd pueri ut assuescerent rectè pronunciare, cogebantur carmina, interdum hiulca et aspera, distinctè recitare.

133. *Disceret*, etc. Chori duo: unus puerorum, puellarum alter, carmina Superis concinenda discebant, recitabantque in templis: præsertim cùm ludi sæculares celebrabantur.

134. *Chorus*. In tragœdiis etiam locum habet chorus, estque instar actoris.

135. *Doctâ prece*. Eruditè ac diligenter, è ritibus sacrorum, et scitis pontificum, composita; à docto vate scripta.

Carmine Dì superi placantur, carmine Manes.
Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus, et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, et pueris, et conjuge fidâ,
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus, et vino Genium memorem brevis ævi.
Fescennina per hunc invecta licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit,
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec jam sævus apertam
In rabiem cœpit verti jocus, et per honestas

tulosis poscit, iram Deorum molli precatione mitigat, depellit morbos, imminentia pericula propulsat; pacem, frugum et annonæ ubertatem obtinet. Denique carmina iram Deorum superorum pariter et inferorum leniunt. Antiqui agricolæ viri longè optimi, et in re angusta fortunati, cùm post messem, tritico in horreis composito, corpus et animum gravibus laboribus exercitum, defatigatum, et sperato laboris fine se consolantem diebus festis recrearent, unà cum sodalibus rusticis, liberis et uxoribus; tunc tellurem immolatâ sue, Sylvanum fuso lacte placare ac propitiare laborant. Genium verò humanæ vitæ, heu perbrevis! præsidem, sparsis floribus et mero conciliabant. Ex ea rusticorum consuetudine orta est libertas jactandi per ludum, alterno carmine, convicia rusticana; qui mos primùm viguit apud Fescenniam, ac statis diebus quotannis repetitus, tamdiu placuit, quamdiu res acta est, sine offensione cujusquam, comiter et facetè; sed postquam cœperunt homines ab istis jocis et facetiis ad dira et immania convicia prorumpere, atque atroci versu honestissimis quibusque

143. *Porco.* Constat solitam immolari Terræ porcam.

144. *Genium.* Nefas erat illi victimas immolare: iniquum scilicet videbatur neci dedere quidpiam in ejus Dei honorem, qui præses vitæ et alumnus credebatur. Floribus, libis, mero duntaxat placabatur.

Memorem, etc. Qui nos de vitæ brevitate commonefacit; qui ejus probè conscius est.

145. *Fescennina.* Fescennia, erat urbs Tusciæ. Hujus in agro rustici primùm invenere illos versus inter vina fusos ex tempore, et ferè obscœnos; quid enim aliud rustici bene poti et saturi crepent? Hinc Fescennina carmina sumuntur vulgò, pro spurcis et petulantibus.

Ire domos impunè minax. Doluere cruento
Dente lacessiti; fuit intactis quoque cura
Conditione super communi; quin etiam lex,
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Describi. Vertêre modum, formidine fustis,
Ad bene dicendum, delectandumque reducti.
Græcia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio, sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, et grave virus
Munditiæ pepulere; sed in longum tamen ævum
Manserunt, hodieque manent vestigia ruris.
Serus enim Græcis admovit acumina chartis;

familiis labem et ignominiam inurere : tunc, qui maledicis ejusmodi carminibus fuere lacerati, rem iniquissimo animo tulerunt; quibus verò pepercerat hæc rabies et maledicendi licentia, illi nihilominus communi omnium periculo commoti, publicæ consulendum causæ famæque putaverunt. Igitur cautum lege fuit, constitutâ gravi pœnâ, ne quis carmen famosum et maledicum in quemquam scriberet. Poëtæ, metu pœnæ coacti mutavere scribendi rationem ad meliores jucundioresque versus faciendos operam otiumque contulerunt. Postmodum elegantia et concinnitas carminis artiumque ceterarum in Italiam illata fuit à Græcis, qui à Romanis victi, victores suos quodammodo vicerunt, ac eorum barbariem et inscitiam expugnarunt. Ita paulatim obsolevit poësis illa inculta : amandati fuere versus ac numeri agrestes et hispidi, qui regnante olim Saturno floruerant, et inquinatam loquendi rationem nitor et elegantia expulerunt. Diu tamen illius rustici et invenusti sermonis remansere vestigia : imò in hunc usque diem impressa hærent. Romani enim tardè admodum adjecerunt oculos ad

154. *Vertêre modum.* Stylum mutavere : *ils changerent de style, de ton.*

Fustis. Sontes aliquando fustibus, sive bacillis ligneis, quas virgas vocabant, cædebantur usque ad necem. Ea pœna fustuarium dicebatur.

158. *Saturnius.* Saturnus antiquus Italiæ rex fuit : aut, si credimus fabulis, pater Jovis, à quo pulsus cœlo, venit in Italiam, ubi eum Janus rex Latii excepit.

160. *Manent vestigia ruris.* Intelligit inimicos jocos, qui subjiciebantur seriis fabulis, et exodia vulgò appellabantur, *des farces.*

161. *Acumina.* Aciem oculorum.

Et post Punica bella quietus, quærere cœpit
Quid Sophocles, et Thespis, et Æschylus utile ferrent.
Tentavit quoque rem dignè si vertere posset;
Et placuit sibi, natura sublimis, et acer.
Nam spirat tragicum satis, et feliciter audet;
Sed turpem putat inscitè, metuitque lituram.
Creditur, è medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum, sed habet comœdia tanto
Plus oneris, quanto veniæ minus. Adspice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi;

evolvenda Græcorum auctorum volumina. Nempe cùm à Punicis bellis jam respirarent, cœperunt exquirere et investigare quæcumque essent in Sophoclis, Thespidis, et Æschyli tragœdiis utiliter commodèque dicta. Periclitati etiam sunt, an ea in Latinum sermonem convertere cum dignitate possent: neque displicuit conatus, sibique visi sunt satis è sententia rem gerere, quippe sublimi et acri ingenio prædiii, audaces in scribendo et felices, ac tragico illo spiritu non carentes: sed piget illos pudetque lucubrationes suas emendare, aut quidpiam eorum quæ semel scripserint, inducere ac delere. Existimatur comœdia perparum habere difficultatis ac laboris, quia versatur in tractandis argumentis et actionibus è medio et è communi vita sumptis: tamen eò est difficilior quò minor venia poëtæ, in illa scribenda peccanti, conceditur. Intuere quonam pacto Plautus personam exhibeat, amatoris adolescentis,

163. *Sophocles.* Poëta fuit Græcus tragicus, patriâ Atheniensis, natus olympiade 73. hoc est, anno U. C. 266. Suppar illi fuit Æschylus, qui ab eodem victus, et deteriorem scripsisse tragœdiam judicatus, ex mœrore amissæ palmæ in Siciliam secessit, ubi cùm deambularet, nudo vertice, aquila supervolans, et unguibus comprehensam gestans testudinem, illam in ejus caput glabrum, silicem rata impegit, eumque interemit. Ipse Sophocles annos natus octoginta, cùm quater et vicies æmulos poëtas publico judicio superasset, ultimâ victoriâ sic est elatus, ut præ gaudio repentè obierit, sexto post Euripidis mortem anno.

Thespis. Poëta Atheniensis, qui primus dicitur tragœdiam invenisse, et actores plaustris impositos vicatim circumvexisse. Florebat olympiade LXI. hoc est, U. C. 218.

171. *Quo pacto*, etc. Sanè Plautum apertè vituperat in Arte Poëtica; nec diffiteri quisquam potest, multa illum

Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi;
Quantus si Dossennus edacibus in parasitis;
Quam non adstricto percurrat pulpita socco.
Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus, cadat, an recto stet fabula talo.
Quem tulit ad scenam ventoso gloria curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat:
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum

quàm graphicè mores patris avari, dolosi lenonis, effingat. Contrà verò, quàm languidâ et molestâ oratione parasitorum avidam famem describat ille Dossennus; quàm laxum et inconcinnum per theatra soccum trahat. Nec mirum: id enim unum studet, curatque, ut pecuniâ crumenam referciat, nihil quidquam pensi habens, num comœdiæ suæ probentur, an explodantur. Jam, poëtæ qui captandæ gloriæ causâ scribunt, sicut spectantium alacritate mirificè recreantur, ita si eosdem tædio affici ac dormitare videant, graviter discruciantur. Adeo levibus et exiguis de causis homines cupiditate laudis incensi,

oscitanter, et illepidè composuisse; ac præsertim carere illo lepore, quo Terentius abundat, in describendis, v. g. *amantis ephebi* moribus, et ceteris, ut vocant, characteribus effingendis. Hîc tamen videtur laudare Plautum Horatius, Dorsennum verò, sive Dossennum, vituperare? ac dissimili utriusque exemplo probare quantum habeat comœdia difficultatis? Vide quàm accuratè et laboriosè scribat Plautus, quàm negligenter Dossennus ac remissè, etc.

173. *Quantus sit.* Quàm multus, quàm frequens sit. Quàm sæpè in scenam illos inducat. Sunt enim faciles personæ ad agendum, et gratæ in vulgus. Porrò cùm eædem personæ, licèt in diversis fabulis sæpius recurrunt, arguit hoc penuriam et sterilitatem poëtæ. Possis etiam sic exponere: Quàm ineptè ac tragicè illos vociferantes et agentes inducat, qui jocoso et procaci carmine pingi debuerant.

174. *Non adstricto.* Laxo et dissoluto: *lâche, mal attaché, délié.* Vestis distincta, temerè fluens, indicium est hominis tardi ac negligentis.

Pulpita. Loca quædam in theatro editiora.

Socco. Soccus, calceamenti humilioris est genus, quo actores comœdiarum utebantur: *Un soulier de Comédien.*

176. *Cadat*, etc. Accedit ad Latinam vernacula nostra locutio. Dicimus enim, *une piece qui se soutient, ou qui tombe.*

Subruit, aut reficit! Valeat res ludicra, si me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Sæpe etiam audacem fugat hoc, terretque poëtam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,
Indocti, stolidique, et depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum, aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
Verùm equitis quoque jam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos, et gaudia vana.
Quatuor aut plures aulæa premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmæ, peditumque catervæ:

dejiciuntur, aut criguntur! pereant verò comœdiæ omnes et carmina, neque unquam versus faciam, si me maceret ac torqueat adempta mihi laus ejusmodi et gloria; si valere ac lætari non possim, nisi ea mihi tribuatur. Illud etiam multos poëtas strenuos ceteroquin, et ad scribendum alacres deterret, quòd ex iis qui conveniunt ad spectandum, pars maxima, imperitum scilicet vulgus et insanum, sed manu promptum, ac, si fortè equites et honestissimi viri ab ipso dissentiant, paratum venire ad arma; in media interdum comœdia postulat spectaculum aliquod, verbi gratiâ, belluæ cujuspiam, aut certamen athletarum: his enim plebecula capitur. Quid, quod ipsi etiam equites, audiendis Poëtarum in comœdia versibus delectari antehac soliti, jam ea consectantur avide, quæ curiosos oculos inani voluptate pascant. Siparium per quatuor aut plures horas humi depressum et convolutum jacet: prætervehuntur interim in theatro equestres et pedestres copiæ: exhibe-

188. *Incertos oculos.* Huc illuc temerè vagantes, et quò potissimùm ferantur, dubios; tanta est rerum copia, tantum singula spectandi studium.

189. *Aulæa.* Vela sunt, et, ut vocantur propriè, siparia, quæ scenæ obtenduntur. Ea deprimebantur cùm aperiebatur scena, et tandiu jacebant pressa humi et strata, donec peracta esset fabula, aut donec scena et ornatus theatri mutaretur: tunc enim erigebantur ab humo, et attollebantur ut scenam tegerent. Apud nos siparium, *la toile*, attollitur, cùm aperitur scena, et actores theatrum ineunt; deprimitur cùm scena clauditur, aut actus aliquis finem accipit.

190. *Dum fugiunt*, etc. Dum raptim prætervehuntur cohortes, quæ aliæ alias, ut in pugna, ut in fuga, et clade fit, insequuntur.

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves;
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
Si foret in terris, rideret Democritus, seu
Diversum confusa genus panthera camelo,
Sive elephas albus vulgi converteret ora;
Spectaret populum ludis attentiùs ipsis,
Ut sibi præbentem mimo spectacula plura.
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo. Nam quæ pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?

tur triumphus, in quo reges, olim fortunati, vinctis post terga manibus deducuntur; procedunt ingentes currus varii generis; navigia, signa ex ebore, aliaque bello capta, necnon simulacra urbium expugnatarum circumferuntur: risum utique Democritus, si viveret, non teneret, intuens quemadmodum plebs ore converso et hiante spectaret sive feram illam, quæ diversa quidem à pantera et camelo est, ex utroque tamen videtur esse composita; sive elephantem candidum. Multò gratiùs huic philosopho spectaculum præberet ipse populus ejusque stolida curiositas, quàm omnis comœdiæ pompa et apparatus. Poëtas quidem certè et comœdiarum auctores surdo asello canere judicaret. Quæ voces enim satis validæ sunt, ut superare possint murmura quibus theatra nostra personant? credas omnes montis Gargani sylvas ventis agitatas fremere, aut Tyrrhe-

192. *Esseda.* Currus majores, quibus Galli præsertim utebantur: *des chariots.*

Pilenta. Currus minores et leviores, matronis usitati, *des caleches, des chaises.*

Petorrita. Vehicula Belgarum ad convectandam supellectilem et impedimenta: *des fourgons.*

193. *Corinthus.* Hanc L. Mummius cepit et incendit.

195. *Panthera*, etc. Animal, mole cani majori par, celeritate insigni, varia pelle, et maculosâ: *une panthere.* Camelus, *un chameau*, jumenti genus, ingenti collo, capite hispido, gibboso tergo. Pantheræ et Camelo simile est animal quod vocant camelopardalim. Cameli caput hispidum imitatur; pantheræ variam pellem albis maculis rutilisque distinctam: collo equum; cruribus, bovem refert. Galli vocant *une giraffe.*

199. *Narrare*, etc. Proverbii genus est; significatque, stupidum, non intelligentem, non audientem, alloqui: *faire un conte à un âne sourd.*

Garganum

Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum,
Tanto cum strepitu ludi spectantur, et artes,
Divitiæque peregrinæ, quibus oblitus actor
Quum stetit in scena, concurrit dextera lævæ.
Dixit adhuc aliquid? Nil sane. Quid placet ergo?
Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne fortè putes me, quæ facere ipse recusem,
Quum rectè tractent alii, laudare malignè:
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus; et modò me Thebis, modò ponit Athenis.
Verùm age, et his, qui se lectori credere malunt

num æquor stridere: tantùm editur murmuris à populo spectante ludos, et contemplante veterum artificum opera, quæ tunc ad pompam ostentantur et gazas exoticas, quibus actor aliquis fœdatus magis quàm ornatus prodit in theatrum. Tunc enimverò acclamatur statim ab omnibus, et utrâque manu plauditur. Num vocem ille misit? nullam adhuc: cur ergo plauditur? quid est quod spectatoribus voluptatem tantam affert? vestis nimirum purpurea, Tarentino fuco imbuta. Ne porro existimes me tragicam poësim laudibus malignis elevare, eò quod aliis egregiè illam excolentibus invideam, atque ipse ab eadem tractanda prorsus abstineam: poëta tragicus videtur mihi rem haud minus arduam facere, quàm qui per restem in aëre suspensam incedat; quippe qui hanc profiteatur artem ut animum meum moveat ac perturbet in argumentis fictis, et nihil ad me spectantibus; ut me ab ira traducat ad lenitatem, inani metu percellat, instar magi alicujus et præstigiatoris: ac modò me Thebis collocet, modò Athenis sistat. Neque illi tamen à te negligendi sunt poëtæ, Cæsar, qui scribere carmina legenda malunt, quàm fabulas à fastidioso

205. *Concurrit*, etc. Plaudentium gestus est: cùm ambæ manus complodunter.

212. *Falsis terroribus.* Qui incutiuntur ex alienis fictisque periculis, à quibus mihi nihil impendat mali.

213. *Ut magus.* Magi suis præstigiis illudunt, et ignes, monstra, rupes in æquo ac plano solo; tempestates, fulgura, etc. cœlo puro ac sereno solent ostendere.

Quàm spectatoris fastidia ferre superbi,
Curam impende brevem; si munus Apolline dignum
Vis complere libris, et vatibus addere calcar,
Ut studio majore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala sæpe poëtæ
(Ut vineta egomet cædam mea) quum tibi librum
Solicito damus, aut fesso; quum ledimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprehendere versum;
Quum loca jam recitata revolvimus irrevocati;
Quum lamentamur, non apparere labores
Nostros, et tenui deducta poëmata filo;
Quum speramus eo rem venturam, ut simul atque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas, et egere vetes, et scribere cogas.

populo spectandas componere. Iis igitur curam, quam merentur, impende saltem obiter, et quantum graviores tuæ occupationes sinent: si animus est implere libris bibliothecam, dignam Apolline, quam illi consecrasti, et alacritatem poëtarum ad scribendum acuere, ut majori contentione ad Parnassi culmen evadere laborent. Nobis ipsi vehementer nocemus (in quo me peccare quoque, non minùs quàm ceteros poëtas, confiteor) cùm tibi negotiis gravissimis districto, aut defatigato, libros nostros et carmina offerimus, cùm offendimur: si unus quispiam è nostris versibus est ab amico reprehensus; cùm repetimus partem aliquam carminis jam tibi recitatam, etsi eam relegere jussi à te non simus; cùm lugemus non satis intelligi quantum in condendo poëmate sudaverimus, quanto artificio, quàm subtiliter contextum sit; cùm eâ spe ducimur fore, ut statim atque nos poëtas esse cognoveris, evoces tua sponte, ab egestate vindices, ac jubeas porro in litteras, et præclarum scribendi laborem incumbere. Profuerit nihilominus, Ca-

216. *Curam impende brevem.* Da illis nonnihil tuæ curæ et providentiæ.

220. *Ut vineta*, etc. Suas vites cædere, proverbium est, usurpaturque in eos, qui se ipsi lædunt, se accusant, reprehendunt, sibi ipsis non parcunt, dum aliis nocent.

225. *Deducta*, etc. Metaphora sumitur à tela, subtili filo et opere contexta. Ad verbum, *des poëmes filés bien fin.* Hinc *deductum carmen*, pro carmine tenui ac limato ponitur. Virgil. Ecloga VI. ver. 5.

227. *Commodus.* Benignus, liberalis.

Sed tamen est operæ pretium cognoscere, quales
Æditûos habeat belli spectata, domique
Virtus, indigno non committenda poëtæ.
Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Chærilus, incultis qui versibus, et malè natis
Retulit acceptos, regale numisma, Philippos.
Sed veluti tractata notam, labemque remittunt
Atramenta, ferè scriptores carmine fœdo
Splendida facta linunt. Idem rex ille, poëma
Qui tam ridiculum tam carè prodigus emit,
Edicto vetuit ne quis se, præter Apellem,

sar, internoscere poëtas præ ceteris idoneos, quibus res à te præclarè domi et militiæ gestæ scribendæ committantur: quique virtutum tuarum sacrarium quoddam augustissimum tueri et ornare possint, cujus cura indigno vati mandanda non est. Equidem scio placuisse Alexandro Magno Chærilum nescio quem, et ob inculta carmina, invitis iratisque Musis nata, nummis aureis liberaliter donatum: sed tamen sicut atramentum maculam manibus tractantium allinit, ita cùm poëta malus egregia facinora scribendo tractat, nescio quid labis et maculæ iisdem facinoribus ex impuro illo stylo adhæerescit. Idem Alexander qui Cherili pessima Carmina tam carè emerat, ac muneratus inconsultâ liberalitate fuerat, edixit ne quis effigiem suam pictis coloribus, præter Apellem exprimeret,

230. *Ædituos.* Æditui sunt ædium sacrarum custodes, qui sacra vasa, servant, tergunt, etc. Solent iidem monstrare et enarrare hospitibus ac peregrinis res in sacrario abditas.

233. *Chærilus.* Rectè notat Torrentius plures fuisse Chærilos. Inter illos celebratur unus patriâ Samius, poëta bonus, et Alexandro longè antiquior; quippe qui floruerit Olympiad. 73. hoc est, Romæ 266. Alexander autem natus dicitur Olympiad. 106. id est, U. C. 393. Iste verò Chærilus, de quo hîc sermo est, Alexandri æqualis poëta fuit pessimus; ac de illo meminit Aristoteles in Topicis.

234. *Retulit acceptos*, etc. Aliquid alicui acceptum referre, est aliquod beneficium illi debere: fateri se illud ab eo accepisse.

Philippos. Nummos aureos in quibus impressus erat Philippi vultus. Istæ porrò voces *regale numisma*; inferuntur per appositionem, accepit Philippos, qui erant regia numismata.

239. *Apellem.* Pictorem eximium, patriâ Coüm: vixit Alexandri temporibus.

Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra,
Fortis Alexandri vultum simulantia. Quòd si
Judicium subtile videndis artibus illud
Ad libros, et ad hæc Musarum dona vocares
Bœotûm in crasso jurares aëre natum.
At neque dedecorant tua de se judicia, atque
Munera quæ multâ dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Virgilius, Variusque poëtæ.
Nec magis expressi vultus per ahenea signa,
Quàm per vatis opus, mores, animique virorum
Clarorum apparent: nec sermones ego mallem
Repentes per humum, quàm res componere gestas;
Terrarumque situs, et flumina dicere, et arces

aut eamdem in ære, præter Lysippum, poneret. In quo mireris profectò Alexandrum, qui tam solerter de optimis artificibus judicaret, de poëtis et carminibus tam injustè ac perperàm existimasse; atque illum inter pingues ac stupidos Bœotos natum esse crederes. Quàm sis Alexandro ea in re dissimilis, quàm rectè ac verè de prestantibus poëtis sententiam feras, documento sunt Virgilius et Varius qui, dum sunt à te muneribus ac beneficiis ornati, æquitatem tuam et munificentiam commendarunt. Sanè, non spirant elucentque in statuis æreis ora summorum virorum clariùs, quàm mores et animi eorumdem extant atque vivunt in præstantium poëtarum scriptis, nec profectò mallem Satyras et Epistolas humili sermone ac stylo componere, quàm egregia tua, Cæsar, facinora describere grandiori versu, loca dissita, regna barbara, et flumina tuis lustrata victoriis, extructas in montium jugis arces, bella,

240. *Alius Lysippo.* Insigni tunc statuario; patriâ Sicyonio, cujus opera, Quintiliano teste, ad veritatem optimè accedebant.

244. *Bœotûm.* Pro, Bœotorum. Bœotia erat Græciæ regio, Eubœæ insulæ objecta. Eam Cythæron mons, ab Attica separabat. Bœoti stupidi et hebetes vulgò erant, ob cœli gravitatem. Videtur hîc Horatius dissimulare Alexandri eruditionem, qui tam erat acutus in poëtis optimis dignoscendis, quàm in aliis fortasse artibus rudis et imperitus, ut exemplis ostendi potest. Sanè cùm sui quamdam imaginem ab Apelle insigniter pictam non magni facere videretur: equus autem ejus ad equum in eadem tabula pictum, tanquam ad equum verum, adhinniisset; Apelles dixisse fertur: O Alexander, equus tuus est in arte pingendi te multò intelligentior.

Montibus impositas, et Barbara regna, tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem,
Claustraque custodem pacis cohibentia Janum,
Et formidatam Parthis te principe Romam;
Si quantum cuperem, possem quoque. Sed neque parvum
Carmen Majestas recipit tua, nec meus audet
Rem tentare pudor, vires quàm ferre recusent.
Sedulitas autem, stultè quem diligit, urget;
Præcipuè quum se numeris commendat, et arte.
Discit enim citiùs, meminitque libentiùs illud
Quod quis deridet, quàm quod probat, et veneratur.
Nil moror officium quod me gravat; ac neque ficto
In pejus vultu proponi cereus usquam,
Nec pravè factis decorari versibus opto;
Ne rubeam pingui donatus munere, et unâ
Cum scriptore meo, capsâ porrectus apertâ,

te auspice, toto terrarum orbe composita, templum Jani, qui pacis arbiter custosque est, clausum; ac Parthos Romani nominis armorumque nostrorum terrore, te imperante, perculsos, si votis facultas responderet. Sed neque angustum et exile carmen dignitati tuæ convenit; neque audeo, tenuitatis meæ mihi conscius, onus subire, cui humeros meos pares non esse intelligo. Tum qui stultâ sedulitate studioque inepto et intempestivo, suam alicui operam et officium obtrudit, invisus illi ac molestus est, præsertim si ejus benevolentiam captare studet, condendis in ejus honorem versibus: quippe prava et ridicula scripta hærent altiùs in hominum animis, et memoriæ faciliùs mandantur, quàm proba et egregia: Valeant illi sanè ac facessant, qui dum bene mereri de me student, pudori mihi et oneri sunt. Quemadmodum dolerem, si proponeretur publicè imago mea à cera, deformis et pravè ficta; sic malis versibus ornari planè nolim, ne pudorem incutiat mihi crassum et ineruditum munus, ac pariter cum eo poëta qui me laudave-

268. *Officium.* Sedulitatem officiosam.

268. *Capsâ.* Cistâ, arcâ, *une caisse.*

In vicum, etc. Thurarius ille vocabatur, sivè Jugarius: à porta Carmentali ducebat in forum, et vico Tusco jungebatur in Velabro. Aromata, et aliæ generis ejusdem merces chartis inutilibus involvuntur.

Deferar in vicum vendentem thus et odores,
Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis.

rit, in patente cista jacens, deporter in vicum, ubi aromata et unguenta venduntur, ubi piper, et ceteræ id genus merces, foliis librorum pessimorum involvuntur.

EPISTOLA II.

AD JULIUM FLORUM.

Excusat se Julio Floro, quòd illi promissa carmina non miserit; melius esse declarat vitam quàm versus componere.

FLORE, bono, claroque fidelis amice Neroni,
Si quis fortè velit puerum tibi vendere, natum
Tibure vel Gabiis; et tecum sic agat: Hic et
Candidus, et talos à vertice pulcher ad imos,
Fiet, eritque tuus nummorum millibus octo.
Verna ministeriis ad nutus aptus heriles,

Flore, Tiberio Neroni, tot rebus bene ac fortiter gestis inclyto, carissime simul et fidelissime, si quis fortasse mancipium vendere tibi velit, Tibure vel Gabiis oriundum, teque sic alloquatur: Hunc puerum insigni elegantiâ, et à capite ad calcem formosum vendam tibi octo millibus sestertiorum. Servulus est domi meæ natus, idoneus ad omnem ministrandi usum; dicto audiens, quicquid herus innuerit, litterarum Græcarum non imperitus, ad omnem artem discendam compara-

1. *Flore*, etc. Ad eumdem extat Ep. Lib. I. tertia.

Gabiis. Gabii, urbs Latii.

5. *Millibus octo.* Nempe minorum sestertiorum, quorum singulis millibus unum sestertium majus æquiparatur. Octo sestertia respondent libris Turonensibus, sive Francicis octingentis.

6. *Verna.* Propriè servus est, domi ex ancilla natus, verno tempore.

Litterulis Græcis imbutus, idoneus arti
Cuilibet; argillâ quidvis imitaberis uda
Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti.
Multa fidem promissa levant, ubi pleniùs æquo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.
Res urget me nulla, meo sum pauper in ære.
Nemo hoc mangonum faceret tibi. Non temerè à me
Quivis ferret idem. Semel hic cessavit, et, ut fit,
In scalis latuit metuens pendentis habenæ.
Des nummos, excepta nihil te si fuga lædat:

tus, demum ejusmodi, ut, non secus atque argilla recens et adhuc madida, fingi flectique in omnem partem possit. Quid quòd canet etiam, indoctè, fateor, et parum concinnè, sed eâ tamen voce, quæ tibi epulanti non insuavis esse videatur. Scio equidem non facilè fidem tribui mercatoribus, qui suas venditant merces; putantur enim eas prædicare plus justo, ut illas emtoribus obtrudant, et faciliùs divendant. Ego non is sum nihil me cogit hoc mancipium vendere: habeo rem familiarem exiguam, sed meam tamen, et ære alieno nullo premor. Nemo alius mango tam levi pretio tecum pacisci vellet, nec facilè ipse cum alio emtore ita transigerem. Hic puer semel duntaxat negligentior in obeundo officio fuit, fugitque, ut servorum est mos, ac sese abdidit, metu ne loris, quæ sunt è gradibus suspensa, vapularet. Age, pecuniam numera,

7. *Litterulis Græcis*, etc. Romani Græcas litteras perdiscebant à teneris, ut nos Galli Germanicam linguam, Latinam, et Italicam. Itaque cariora erant mancipia, quæ Græcè scirent: *Il sait passablement le grec.*

10. *Levant.* Minuunt, abrogant.

13. *Mangonum.* Mango, venditor mancipiorum: *un vendeur d'esclaves.*

14. *Ferret.* Obtineret, consequeretur.

15. *Habenæ.* Ut haberent servi pœnam ob oculos semper positam, si quid delinquerent, in ædium scalis erant appensa lora, et scuticæ, quas etiam anguillas appellabant, quibus statim cæderentur, aut quibus vincti ac pendentes, flagris verberarentur. Metu habenæ, etc. *de peur des étrivieres.*

16. *Excepta*, etc. Debebat venditor monere emptorem, si quod esset in merce vitium; ac ni faceret, certa erat pœna constituta. Id ea vox, *excipere*, significat; nempe vitium servi quasi è numero ejus virtutum eximere.

Ille ferat pretium, pœnæ securus, opinor.
Prudens emisti vitiorum, dicta tibi est lex.
Insequeris tamen hunc, et lite moraris iniquâ.
Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum, ne mea sævus
Jurgares ad te quòd epistola nulla veniret.
Quid tum profeci, mecum facientia jura
Si tamen attentas? quereris super hoc etiam, quòd
Exspectata tibi non mittam carmina mendax.
Luculli miles collecta viatica multis
Ærumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem

si te non offendit ea quam excepi, et de qua te admoneo, fuga. Credo ejusmodi mercatorem à te nummos accepturum sine metu subeundæ, quæ mercatoribus, cùm fallunt, irrogari solet, mulctæ. Sic enim tecum ageret : vitiosum servum et fugitivum emisti sciens et volens : monitus es de conditione pactionis : cur venditorem insectaris, et injustam ipsi litem intendis? Ego de mea in scribendis epistolis inertia tibi Româ discedenti sum confessus, declaravi me ad hæc officia urbanitatis minimè idoneum esse; ne mihi succenseres, et mecum atrociùs expostulares, quòd nihil tibi mitterem litterarum. Quid mihi profuit ista pigritiæ meæ confessio, si jura quæ mihi favent, si leges usu receptas nihili facis, et labefactare conaris? Illud etiam conquereris, quòd fallam expectationem tuam, et promissos versus nondum miserim. Luculli miles, ut

17. *Securus pœnæ.* Nihil habens quod à pœna metuat : tutus à mulcta.

23. *Jura.* Quæ securum venditorem esse jubent, cùm vitium mercis vendendæ excepit.

26. *Miles.* De uno quodam milite sermonem esse vult Torrentius : quia, inquit, fieri non potest ut multis militibus stertentibus eripiantur zonæ et marsupia : sed, qui fieri potest, ut unus miles præsidium regale ab arce munitissima dejiciat? Ego de paucis militibus accipiendum hunc locum censeo, neque fidem superat, si dormientes viatico spoliati dicantur esse à pluribus, v. g. prædonibus supervenientibus, quibuscum, si lubet, experrecti decertaverint, sed frustrà.

Viatica. Pecuniam dari solitam militibus ad iter conficiendum, et emendas res necessarias. Cibaria etiam et annonam quamlibet significat : *provision d'argent et d'autres choses.*

27. *Ad assem.* Usque ad assem : ita ut vix unus ipsis as restaret. As Romanus novem admodum denariolis Gallicis respondet.

Perdiderat; post hoc vehemens lupus, et sibi et hosti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Præsidium regale loco dejecit, ut aiunt,
Summè munito, et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum, donis ornatus honestis,
Accipit et bis dena super sestertia nummûm.
Fortè sub hoc tempus castellum evertere Prætor
Nescio quod cupiens, hortari cœpit eundem
Verbis, quæ timido quoque possent addere mentem.
I, bone, quo virtus tua te vocat; i pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia. Quid stas?
Post hæc ille catus, quantumvis rusticus: Ibit,
Ibit eò quò vis, zonam qui perdidit, inquit.

narrant, dum somno post longum laborem se reficeret, comparatam sudore multo pecuniam ad ultimum usque teruncium amiserat. Post hoc infortunium, irâ in se atque hostem incitatus: et instar lupi, cujus dentes longa fames exacuit, ferox, impositum à rege arci cuidam permunitæ, et multis opibus refertæ præsidium, invadit, deturbaque. Insignem, re tam præclarè gestâ, gloriam consecutus, muneribus præterea maximis afficitur; ad extremum viginti sestertiis majoribus donatur. Haud ita multò pòst cùm fortasse, Lucullus castellum aliquod expugnare meditaretur, eumdem militem ad rem strenuè gerendam eâ ratione cœpit accendere, quæ vel tardissimos excitare potuisset: i, miles egregie, quò te innata fortitudo vocat, ito bonis ominibus, ingens te facinoris præclari merces manet. Quid cessas? Ad hæc ille miles non ineptus, quamlibet agrestis, sic respondit. Eat sane, ac morem tibi gerat, qui crumenam amisit. Romæ sum educatus[1], ibi litteris operam dedi, Homerum, et clades ob Achillis iram Græcis

30. *Præsidium regale.* Copias ad arcem tuendam relictas à rege Mithridate, vel Tigrane; cum iis enim bellum in Asia Lucullus gessit.

32. *Donis honestis.* Dona militaria intellige, coronas, torques, phaleras.

33. *Bis dena sestertia.* Efficiunt, si rem ad Gallicas rationes referas, duo millia librarum: *deux mille francs.*

34. *Prætor.* Qui præibat toti exercitui: *le Général.*

39. *Catus.* Antiqua vox, pro, cautus, vafer, subdolus.

40. *Zonam.* In zona gestabant crumenam.

Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri,
Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles.
Adjecêre bonæ paulò plus artis Athenæ,
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,
Atque inter sylvas Academi quærere verum.
Dura sed emovêre loco me tempora grato,
Civilisque rudem belli tulit æstus in arma,
Cæsaris Augusti non responsura lacertis.
Unde simul primùm me dimisêre Philippi,
Decisis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris, et fundi, paupertas impulit audax
Ut versus facerem. Sed, quod non desit, habentem,
Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ,
Ni melius dormire putem, quàm scribere versus?
Singula de nobis anni prædantur euntes:

latas didici. Auxerunt istam eruditionem Athenæ, et hanc mihi facultatem philosophia dedit, ut rectum à curvo distinguerem, et quid esset verum, in Academia disquirerem. Consecuta sunt perturbatissima Reipublicæ tempora, quæ me ab jucundissimo illo secessu avellerunt, ac belli civilis tempestas tironem adhuc ad eas partes detulit, quæ Augusti viribus pares futuræ non erant. Quo bello et periculo perfunctus post prælium Philippense, nudus, resectis pennis, domo paternâ et agro spoliatus, ad facienda carmina, urgente paupertate, quæ nihil non audet, me contuli. At, cùm mihi modò suppetant abundè omnia quæ sunt opus ad vitam commodè et honestè

45. *Academi.* Fuit Academus, civis Atheniensis dives et eruditus. Erat illi suburbana, villa pulcherrimè consita, quàm Philosophis et eorum alumnis, ut eò, docendi discendique causâ, convenirent, donavit.

49. *Philippi.* Urbs Thessaliæ, in campis Pharsalicis, ubi victus est Cassii et Bruti exercitus. Nomen habuit à Philippo, qui eam instauravit.

52. *Quod non desit.* Quod utinam non desit: quod si abesset, dolerem. Quod sufficit ad honestè vivendum.

53. *Cicutæ.* Est herba perfrigida, atque adeo idonea curandæ phrenesi, quæ oritur ex atra bile et calore nimio.

54. *Ni melius*, etc. Hæc est prima ratio, cur facere versus desierit.

55. *Singula*, etc. Secunda ratio, quare versus non scribat, ætas in senium vergens.

Euntes. Prætereuntes, effluentes.

Eripuêre jocos, Venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poëmata. Quîd faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur, amantque:
Carmine tu gaudes, hic delectatur ïambis;
Ille, Bioneis sermonibus, et sale nigro.
Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multùm diversa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis quod tu, jubet alter:
Quod petis, id sanè est invisum, acidumque duobus.
Præter cetera, me Romæne poëmata censes
Scribere posse, inter tot curas, totque labores?
Hic sponsum vocat, hic auditum scripta, relictis
Omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,

traducendam, quænam cicutæ vis et copia insaniam curare meam posset, nisi satius ducerem somno et genio indulgere, quàm versus labore multo condere? Ætas ingravescens nos singillatim depeculatur et spoliat; ludos, comessationes, voluptates, jocos, mihi eripuit: ipsa carmina conatur auferre. Quid facere me jubes? Huc accedit quod aliis aliud carminum genus placet: tu heroïco poëmate delectaris, hic tragico, ille salibus amaris ac maledicis, quibus Bion plurimum utebatur. Videor mihi tres habere domi meæ convivas, qui dissideant inter se de ferculorum delectu, et diversa planè petant. Hæreo dubius et anxius quid apponam illis, quid non apponam: tu respuis quod alter postulat; quòd verò ipse postulas, id insuave aliis duobus et amarum est. Hoc amplius: num putas me Romæ carmina posse componere, tot curis laboribusque districtum? Hic rogat ut pro se spondere velim, ille, ut aures ipsi versus recitanti, omissis omnibus

58. *Denique.* Tertia ratio: fastidium hominum.

60. *Bioneis.* Bion antiquus poëta, vel philosophus; obtrectator insignis: à quo Bionei sermones, pro maledicis et amaris, proverbio celebrantur.

65. *Præter cætera*, etc. Quarta, cur à versibus condendis abstineat, causa.

67. *Sponsum.* Spondêre pro aliquo, *cautionner quelqu'un, répondre pour lui.*

68. *Colle Quirini.* Mons Quirinalis, vocatur nunc *Monte Cavallo*, quia visuntur etiamnum in eo equi duo marmorei, Praxitelis, ut ferunt, et Phidiæ opus. Inter hunc et Aventinum media Roma, longo à

Hic extremo in Aventino; visendus uterque.
Intervalla vides humanè commoda. Verùm
Puræ sunt plateæ, nihil ut meditantibus obstet.
Festinat calidus mulis, gerulisque redemtor;
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum;
Tristia robustis luctantur funera plaustris;
Hâc rabiosa fugit canis, hâc lutulenta ruit sus.
I nunc, et versus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urbes,
Ritè cliens Bacchi somno gaudentis et umbrâ;
Tu me inter strepitus nocturnos, atque diurnos
Vis canere, et contracta sequi vestigia vatum?
Ingenium, sibi qui vacuas desumsit Athenas,

aliis officii ac urbanitatis partibus, prebeam : ægrotat ille in colle Quirinali, iste in extrema parte Aventini montis, uterque conveniendus : duas istas urbis regiones bellè inter se distare cernis. Atenim patentes fortè ac liberi sunt vici et plateæ, ubi meditari versus poëta possit atque procudere? en tibi strenuus architectus, qui extruendas conduxit ædes, urget jumenta et bajulos : modò saxa, modò trabes gementibus trochleis, et aliis id genus machinis attolluntur : hærent funera plaustris prætereuntibus atque onustis implicata, et viam ægrè rimantur : hâc rabidus canis fugit, illac sus immunda præcipitat. En ubi versus numeris modulisque suis constantes effingas! Poëtis omnibus gratæ sunt sylvæ, invisæ urbes, quippe qui sint in Bacchi patrocinio et clientela, qui somno et umbrâ unicè delectatur. Tu me tot inter insana, quibus urbs diu noctuque perstrepit, murmura, jubes versus moliri, et vatum terere vestigia, quæ tenuibus et angustis Parnassi semitis impressa sunt? Non raro accidit, ut homo ingeniosus, qui litterarum causâ recepit se Athenas, in urbem minimè populosam ac frequentem, postquam in studio consumpsit annos

septentrione ad meridiem tractu, interjacet.

70. *Humanè.* Bellè, molliter, benignè : *vous voyez une distance assez commode ; voilà une assez belle distance.* Ironia.

73. *Calidus.* Ardens, vehemens, laboriosus.

80. *Contracta.* Quæ difficile est persequi, ac terere, propter angustias itinerum.

Ut studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris, et curis, statuâ taciturnior exit
Plerumque, et risu populum quatit: hîc ego rerum
Fluctibus in mediis, et tempestatibus Urbis,
Verba lyræ motura sonum connectere digner?
Frater erat Romæ consulti rhetor, ut alter
Alterius sermone meros audiret honores;
Gracchus ut hic illi foret, huic ut Mucius ille.
Qui minus argutos vexat furor iste poëtas?
Carmina compono, hic elegos, mirabile visu!
Cælatumque novem Musis opus. Aspice primum,
Quanto cum fastu, quanto molímine circum-
spectemus vacuam Romanis vatibus ædem.

septem librisque impalluit, inde tamen redeat statua infantior, populoque risum præbeat ejus inscitiam cavillanti: ego in his fluctibus negotiorum, in hoc urbano strepitu, canendas ad lyram voces illigare versibus contendam? Duo fratres Romæ versabantur, alter orator, alter jurisconsultus; qui sibi invicem sic adulabantur, ut nihil audiret alter ab altero aliud, quàm nomina honoris dignitatisque plena; adeo ut jurisconsultus fratrem vocitaret Gracchum, rhetor vicissim fratrem Mucium Scævolam appellaret. An minùs insaniunt poëtæ? Odas ego scriptito, alius elegias: persuasum habemus ambo mirifica esse nostra carmina, nec indigna, quæ ab ipsis elaborata Musis credantur. Quod ut intelligas, intuere primùm, quantâ superbiâ, quàm ambitioso contemtu, lustremus oculis bibliothecam prope Apollinis Palatini templum extructam, et

86. *Digner.* Dignum putem? operæ pretium esse credam?

89. *Gracchus.* Gracchi duo, fuerunt Oratores eximii, Tiberius, et Caius, filii Corneliæ Scipionis filiæ. Hic tamen illo grandior in dicendo, et vehementior.

Mucius. Publius Mucius, Jurisconsultus celeberrimus.

90. *Argutos.* Canoros, subtiles.

93. *Molimine.* Ut solent qui ægrè corpus movent: *avec une gravité affectée, avec mépris, indignation, dédain.*

94. *Vacuam*, etc. Dolemus scilicet Apollinis Palatini bibliothecam Græcis ferè scriptoribus plenam esse, quibus tamen Romanos auctores ac poëtas, nosque ipsos longè anteponimus. Ita carpit poëtarum arrogantiam, ac se illis admiscet, tanquam

Mox etiam, si fortè vacas, sequere, et procul audi.
Quid ferat, et quare sibi nectat uterque coronam.
Cædimur, et totidem plagis consumimus hostem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Discedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?
Quis, nisi Callimachus? si plus adposcere visus,
Fit Mimnermus, et optivo cognomine crescit.

aliorum quàm Latinorum poëtarum scriptis plenam esse indignemur: deinde si otii satis habes, duos quosdam poëtas vestigiis quasi persequere, ac paulùm remotus ausculta, quid uterque dicat, quodnam afferat carmen, ob quod se dignum coronâ et Apollineâ lauro putet. Samnites illos gladiatores imitamur, qui lento certamine sub noctis initium digladiantur, plagas infligimus, totidemque ab adversario accipimus: ille me suo suffragio alterum Alcæum esse pronunciat; at ego quem illum esse dictito? quem? nisi Callimachum? aut si ne ipsi quidem hæc appellatio satisfacit, Mimnermum nuncupo, et hominem hoc splendido, quod optavit, nomine augeo. Quando

idem ipse, atque illi, sentiret, quo lenior fit ac modestior insectatio.

95. *Procul.* Hoc adverbium rem sæpè significat ita distantem, ut aspici commodè possit, ac præ oculis versetur: à *pro* seu *præ*, et *oculus.*

97. *Cædimur*, etc. Honores illos, et laudes quibus inter se demulcebant poëtæ, vulnera vocat, quia erant falsæ laudes.

98. *Samnites.* Vulgò significatur hac voce, populus Italiæ, inter Picenum, Campaniam et Apuliam. Hoc in loco intelligitur quoddam genus gladiatorum, qui se compositis ac simulatis petebant vulneribus, ad pompam et spectaculum dimicantes, armis insignibus, ac fermè rudibus, *des fleurets*: unde lenta, et incruenta pugna. Ab superbia et odio Samnitium, inquit Livius Lib. IX. gladiatores quosdam eorum ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt.

Ad lumina prima. Sub noctem, cùm faces ad cœnam accenduntur. Hoc enim spectaculum, hæc Samnitium pugna jocularis, teste Livio inter epulas agitabatur.

99. *Puncto illius.* Calculo, suffragio. Cùm Romani suum suffragium alicui deferebant in Comitiis, ejus nomen puncto notare consueverant. Hinc ducta locutio.

100. *Callimachus.* Poëta Græcus imprimis tersus et elegans. Epigrammata præcipuè scripsit. Floruit Ptolemæo Philadelpho regnante, circa annum Romæ 500.

101. *Crescit.* Quin in alienam adoptabantur familiam,

Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,
Quum scribo, et supplex populi suffragia capto:
Idem, finitis studiis, et mente receptà,
Obturem patulas impunè legentibus aures.
Ridentur mala qui componunt carmina: verùm
Gaudent scribentes, et se venerantur, et ultro,
Si taceas, laudant quidquid scripsère, beati.
At qui legitimum cupiet fecisse poëma,
Cum tabulis animum censoris sumet honesti:
Audebit quæcunque parum splendoris habebunt,
Et sine pondere erunt, et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis invita recedant,
Et versentur adhuc intra penetralia Vestæ.
Obscurata diu populo bonus eruet, atque

carminis quidpiam edendum in vulgus compono, et populi aucupor benevolentiam, cui meos versus cupio non displicere, multa perfero, ut poëtas placatos et propitios habeam, qui sunt ad fastidium et iracundiam proclives. At cùm desivi scribere, et ab illa condendorum versuum insania sum liberatus, certè poëtas negligam, nec patiar ut meis auribus abutantur sua mihi carmina recitantes, nihil jam videlicet ab eorum censura et iracundia metuens. Deridemus illos qui malè tornata fingunt carmina, sed ipsi sibi placent, se admirantur; si sileas, sua non rogati scripta collaudant, seque pulchros et beatos, quodcumque demum scripserint, arbitrantur. Verùm, qui poëma condere voluerit ad omnes boni carminis leges exactum, quando in manus librum capiet, simul induet mentem æqui censoris; voces obsoletas, repentes, nihil habentes ponderis et dignitatis, abjicere non dubitabit, licèt velut invitæ locum suum relinquant, et in ipsis adhuc Vestæ adytis mo-

augebant ferè nomina: et nomen ejus, à quo adoptabantur, addebant suo.

110. *Tabulis.* Scribebant olim in tabulis ligneis cerâ obductis.

114. *Penetralia Vestæ.* Vesta, Dea ignis præses ac foci, erat: sæpè sumitur pro ipsa domo intima. Itaque sensus loci hujus esse potest. Quamvis ea verba, ea carmina, sint adhuc in museo abdita, licèt nondum exierint in lucem, tamen domi sunt corrigenda et limanda. Non expectandum est donec edita sint, multò antè providendum est, ut emendentur.

Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
Quæ priscis memorata Catonibus, atque Cethegis,
Nunc situs informis premit et deserta vetustas.
Adsciscet nova, quæ genitor produxerit usus.
Vehemens, et liquidus, puroque simillimus amni,
Fundet opes, Latiumque beabit divite linguâ.
Luxuriantia compescet, nimis aspera sano
Levabit cultu, virtute carentia tollet;
Ludentis speciem dabit, et torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.
Prætulerim scriptor delirus, inersque videri,
Dum mea delectent mala me, vel denique fallant,

rentur: verba usurpari dudum desita benignè revocabit: alia, quæ plurimùm habebunt splendoris, è tenebris educet, quæ frequentata olim fuere Catonum et Cethegorum ævo, nunc annis obsita, et vetustate oblitterata jacent: adhibebit nova, quæ Usus, linguarum quidam quasi parens, ediderit nuperrimè, ac probaverit: instar fluvii agros locupletantis, vernaculum ditabit sermonem, et Latinam linguam puris uberibusque scriptis ornabit. Idem, si quid redundabit in carmine, recidet; si quid erit durius et rigidius, perpoliet, ac scabritiem ita deterget, ut ille cultus nihil de operis robore nervisque detrahat; si quid erit humile abjectumque, rejiciet: videbitur totum carmen adeo molli ac nativo ductu fusum, ut a ludente compositum credas; sudabit ipse tamen auctor, et opera nequaquam parcet; iis non absimilis, qui saltando Satyros vel Cyclopas imitantur. At, si tanti constat bonum poëma, inquiet aliquis, malo ineptus et negligens haberi poëta, modò mea mihi errata placeant, vel certè me lateant, quàm egregiè sapienterque scribere, ac diro labore cruciari. Aiunt extitisse Argum Argis civem, non obscuro loco natum,

117. *Cethegis.* Marcus Cornelius Cethegus consulatum gessit anno U. C. 549. vir eloquentissimus, qui Ennio teste, *Suadæ medulla* dicebatur.

118. *Situs.* Pædor, squalor.

122. *Luxuriantia.* Luxuries orationis est copia intempestiva, et nimia: sylvescens temerè ubertas.

123. *Levabit.* Reddet lævia et polita: *adoucira, polira.*

Cultu sano. Ornatu, qui careat fuco et cerussâ: nativo decore: *des ornemens sages et bien entendus; sans affectation, sans enflure.*

Quàm sapere, et ringi. Fuit haud ignobilis Argus,
Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus sessor, plausorque theatro,
Cetera qui vitæ servaret munia recto
More; bonus sanè vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem; posset qui ignoscere servis,
Et signo læso non insanire lagenæ;
Posset qui rupem, et puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus, curisque refectus,
Expulit helleboro morbum, bilemque meraco,
Et redit ad sese: Pol, me occidistis, amici,
Non servastis, aït, cui sic extorta voluptas,
Et demtus per vim mentis gratissimus error.
Nimirum sapere est abjectis utile nugis,

qui, licèt vacuum esset actoribus theatrum, videbatur sibi tamen illos audire mirificè declamantes, et sedens ipsis applaudebat: omnibus ceteroqui vitæ civilis officiis obeundis sanus ac diligens, cum vicinis honestè, benignè cum hospitibus, cum uxore comiter, cum mancipiis leniter agere solitus, et iræ satis potens, ut non fureret cùm obsignatam à se amphoram comperisset à servis resignatam fuisse; satis prudens, ut cautum, ut apertum puteum declinaret. Is postquam curatus studio et opera propinquorum, bilem, morbi causam, helleboro puro putoque expulit, et ad bonam mentem est reversus; Vobis vero, inquit, amici, malè sit; eripuistis mihi vitam, non reddidistis, dum suavissimâ me voluptate ac jucundissimo errore invitum privavistis. Ego vero mihi hanc versus faciendi insaniam eripi libenter patiar et sapere illum existimo, qui ejusmodi nugas deponat, easque pueris, quorum ætati con-

128. *Ringi.* Dicitur propriè de canibus, cùm hiriunt, et rictum diducunt latraturi, aut morsuri: transfertur ad eos, qui taciti stomachantur, et intimis sensibus anguntur.

Argus. Ille vocabatur Lycas, ex veteri commentario. Plerique editi habent *Argis*, id est ex urbe Argis.

134. *Signo, etc.* Obsignabant lagenas, ne à servis minuerentur. Signo lagenæ læso: *une bouteille décachetée, entamée, décoëffée.*

137. *Helleboro.* Hàc herbâ curantur dementes.

Meraco. Puro, solo; est vox adjectiva.

138. *Pol.* Per Pollucem.

Et tempestivum pueris concedere ludum ;
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis ,
Sed veræ numerosque , modosque ediscere vitæ.
Quocirca mecum loquor hæc , tacitusque recordor :
Si tibi nulla sitim finiret copia lymphæ ,
Narrares medicis ; quod quantò plura parasti ,
Tantò plura cupis , nulline faterier audes ?
Si vulnus tibi , monstratâ radice vel herbâ ,
Non fieret levius , fugeres radice vel herba
Proficiente nihil curarier. Audieras , cui
Rem Di donarint , illi decedere pravam
Stultitiam ; et quum sis nihilo sapientior , ex quo
Plenior es , tamen utêris monitoribus iisdem ?
At si divitiæ prudentem reddere possent ,
Si cupidum , timidumque minus , tu nempe ruberes ,
Viveret in terris te si quis avarior uno.

gruunt , relinquat : qui non laboret quemadmodum verba citharæ fidibus aptanda compingat : sed quomodo vitam prudenter et utiliter instituat , ejusque omnium officiorum numeros veluti modosque perdiscat. Quare sic mecum tacitus loquor , meque sic ipse admoneo : Si nulla vis aquæ tuam sitim restingueret , medicos adires : cur neminem ejus igitur consulis , cur nemini aperis morbum illum , quo fit ut quantò plures opes congessisti , tanto majores appetas ? si herba quædam , aut radix tibi indicata , nullum afferret vulneri tuo remedium , nec dolorem levaret , inutilem herbam aut radicem abjiceres : audivisti multos qui dicerent eum stultitiâ liberari , cui opes à Superis donarentur ; cùm vero nihilo sapias magis ex quo factus es locupletior , num perges iisdem hominibus auscultare ? At , si opibus prudentia pararetur , si cupiditas et metus minuerentur , puderet te ab quoquam avaritiâ superari. Si jus rei ac dominium rectè obtinet qui eam ritè mercatus est ; si rerum contra nonnullarum do-

144. *Numeros vitæ* , etc. Omnia officia , leges honestatis ac virtutis , ad quas vita est exigenda , et unde vitæ concentus quidam existit : *les devoirs , les actions qui rendent une vie reglée , et qui en accordent toutes les parties.* In cantu numerus constat è syllabis brevibus et longis ; modus , ex voce alta , demissa , concissa , etc.

Si proprium est quod quis librâ mercatus et
 ære est,
Quædam, si credis consultis, mancipat usus:
Qui te pascit ager, tuus est: et villicus Orbi,
Quum segetes occat, tibi mox frumenta daturas,
Te dominum sentit: das nummos, accipis uvam,
Pullos, ova, cadum temeti. Nempe modo isto
Paulatim mercaris agrum, fortasse trecentis,
Aut etiam supra, nummorum millibus emtum.
Quid refert, vivas numerato nuper, an olim?

minos, ut jurisconsulti docent, nos facit ipse usus et continuata possessio: ex eo colligitur, illum agrum unde sumis fruges, tuum esse, ac villicum ab Orbo præpositum illi agro, dum glebas frangit, ex quibus triticum postpaulo capias, tibi, tanquam domino, operam navare. Nam persoluto pretio, uvam indidem accipis, pullos, ova, dolium vini: sic paulatim agrum emis, aliàs trecentis millibus nummûm, aut pluris eo fortasse, emtum. Quid interest utrùm vescaris fructibus prædii, cujus pretium minutatim modo solvas, an cujus fuerit pretium

158. *Libra et ære.* Apud antiquos Romanos pecunia non numerabatur, sed pendebatur trutinâ.

159. *Mancipat.* Facit nostras et proprias: *nous en acquiert la propriété, nous en rend propriétaires.*

Usus. Diuturna possessio. Hæc certis et à lege definitis annis continuata dominium et jus in rem acquirit, quod Jurisconsulti usucapionem nuncupant. Hinc probat Horatius non posse dominos dici alicujus fundi, quo uti et frui soleamus: ita ut ejus fruges emendo, ipsum prædium à nobis paulatim ematur, quod olim ab ejus domino totum est emtum.

160. *Orbi.* Romani civis.

161. *Occat.* Occare, *herser*, est glebas committere, et invertere, postquam humus aratro est scissa.

163. *Temeti.* Temetum, vox vetus, vinum significans, quia mentem tentat ac labefactat.

164. *Trecentis*, etc. Trecentis sestertiis majoribus, quæ valent libras nostratis monetæ triginta millia.

166. *Quid refert*, etc. Si olim totum fundum numeratâ semel pecuniâ emisses, jus haberes utendi ejus frugibus, esses ejus dominus: nunc verò cùm emas quotidie ejus fructus, et sic jus habeas illis utendi ac fruendi, nonne tuus dici fundus potest?

Emtor Aricini quondam Veientis et arvi,
Emtum cœnat olus, quamvis aliter putat; emtis
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum.
Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
Limitibus vicina refigit jurgia: tanquam
Sit proprium cuiquam, puncto quod mobilis horæ,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc morte supremâ,
Permutet dominos, et cedat in altera jura.
Sed, quia perpetuus nulli datur usus, et heres
Heredem alterius, velut unda supervenit undam,
Quid vici prosunt, aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani? si metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro?

totum olim persolutum? Qui fundum Aricinum aut Veientem ante annos complures, pecuniâ datâ, comparavit: is vescitur leguminibus emtis, licèt aliter sentiat, licèt ea putet sua esse et propria; emtis lignis ollam suam vespere calefacit. Agrum tamen illum dicere suum non cessat, usque ad eam arvi partem, in qua arbor populus, limiti apposita, impedit lites, quæ oriri possent cum vicinis, de agri finibus. Perinde quasi res ulla cujusquam esse propria possit, quæ temporis momento dominos alios atque alios sortitur, et in alienam potestatem transit, modo per donationem, modo per emtionem, nunc per vim, nunc per domini prioris necem. Cùm igitur proprium ac perpetuum rei nullius usum habeamus, et heres heredem, ut fluctus fluctum, trudat; quid prodest ingentes pagos ac villas possidere? frumenta in horreis congerere? continuare Calabra cum Lucanis pascua? siquidem Pluto Morsque dura, quam opum nulla vis flectit, summos pariter et imos, divites æquè ac pauperes, è medio tollit. Plurimos vi-

172. *Sit proprium, etc.* Suum et perpetuum: *comme si l'on pouvoit posséder en propre, et appeller sien, etc.*

173. *Prece.* Donatione, damus enim rogati.

177. *Vici.* Amplissimæ possessiones: plures villæ sub unius dominio comprehensæ.

178. *Saltibus.* Saltus hoc loco, inquit Lambinus, est campi spatium muro septum.

Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes Gætulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant, est qui non curet habere.
Cur alter fratrum cessare, et ludere, et ungi,
Præferat Herodis palmetis pinguibus; alter
Dives, et importunus, ad umbram lucis ab ortu,
Sylvestrem flammis, et ferro, mitiget agrum:
Sit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum-
quodque caput, vultu mutabilis, albus, et ater.

dere est, qui gemmis, qui marmoreis et eburneis ædium ornamentis; exiguis et elegantibus, quæ fiunt in Tuscia, statuis, tabulis pictis, argento, vestibus purpureis, careant: nec paucos videmus, qui hæc omnia contemnant, et habere non studeant. E duobus illis fratribus decantatis in scena, quare alter feriari malit, ac ludo genioque indulgere, quàm opima Herodis palmeta possidere; alter, licèt locuples, tamen improbo labore campum incultum, à prima luce ad vesperam, exerceat, ac ferro et igne fertilem reddat, novit Genius, qui vitæ nostræ custos et comes, regit ac moderatur vim influxusque illius sideris, quod nostris natalibus præfuit, humanæ naturæ Deus, qui cum unoquoque homine moritur,

181. *Gætulo.* Gætulia, pars Africæ.

183. *Alter fratrum.* Comœdia quædam Terentii, ἀδελφοὶ, *Adelphi*, hoc est fratres, inscribitur. In ea inducuntur duo fratres moribus dissimillimi, Demea et Micio. Hic vitam urbanam et otium secutus, sumptum in se ac suos liberos liberaliter et honestè faciebat: ille ruri vitam agens, parcè et duriter se ac suos habebat.

Ungi. Accumbebant ad mensam unguentis delibuti: *se parfumer.* Item oleo corpora ungebant in balneis.

184. *Herodis.* Judæorum regis qui non contemnendas opes è suis palmetis colligebat.

Palmetis. Palmetum, arvum est palmis consitum.

186. *Flammis.* Sæpè steriles agros incendere profuit, teste Virgil. I. Georg. versu 84.

Mitiget. E barbaro agresti, excultum ac frugibus ferendis idoneum reddat, fruticibus et arboribus infelicibus partim succisis, partim incensis: *defricher une terre.*

189. *Albus et ater.* Benignus, et malignus.

Utar, et è modico, quantum res poscet, acervo
Tollam; nec metuam quid de me judicet heres,
Quod non plura datis invenerit; et tamen idem
Scire volam quantum simplex, hilarisque nepoti
Discrepet, et quantum discordet parcus avaro.
Distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumtum
Invitus facias, neque plura parare labores;
Ac potius, puer ut festis Quinquatribus, olim
Exiguo, gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies immunda procul procul absit: ego, utrum
Nave ferar magnâ an parvâ, ferar unus, et idem.
Non tumidis agimur velis Aquilone secundo;

qui varios vultus pro sortis ac fortunæ nostræ varietate induit, et modo albus, modo niger est. Ego quidem certè huic alteri fratrum longè dissimilis ero, comparatis bonis utar, et ex illo tenui acervo meo, quid erit opus sumam; neque pertimescam judicia et querelas heredis mei dolentis, quod plura ipsi non dederim ac testamento reliquerim. Ego idem nihilominus conabor intelligere quid sit discriminis inter hominem suis opibus candidè ac jucundè fruentem, et dissolutum, eas temerè profundentem: inter parcum, et avarum. Plurimum enim interest, utrùm fortunas, instar prodigi, dissipes; an sumtum necessarium haud ægrè facias, neque sis augendæ rei plus æquo cupidus, sed tempus dulce ac breve quasi furtim, ut assolent pueri in Minervæ festis, transigendâ suaviter vitâ consumas. Modo sordidâ paupertate non premar, perinde mihi erit ampla navis an exigua me ferat; eumdem in re lauta et angusta servabo animum. Non implent mea vela venti

192. *Datis.* Id est, ipsi heredi relictis à me: dolebit heres meus quòd rem non auxerim meâ parcimoniâ: nihil laboro.

193. *Nepoti. Un débauché.* Parcus, *un bon ménager.*

197. *Quinquatribus.* Quinquatria, sive Quinquatrus, erant Minervæ Festa, per dies quinque celebrari solita, nempe à decimo quarto Kal. Apriles, ad nonum. Tunc scholæ vacabant, pueri feriabantur.

Non tamen adversis ætatem ducimus austris.
Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re,
Extremi primorum, extremis usque priores.
Non es avarus, abi. Quid? cetera jam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine, et irâ?
Somnia, terrores magicos, miracula, Sagas,
Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides?
Natales gratè numeras? ignoscis amicis?
Lenior, et melior fis accedente senectâ?
Quid te exemta juvat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti;

ferentes et affluentes; at neque impotentes ac procellosi jactant. Ultimi primorum sumus, et ultimis tamen priores, quod spectat valetudinem, ingenium, formam, probitatem, gradum, opes. At, inquiet mihi aliquis, avarus non es; sit ita sane: quid? an cetera vitia cum isto exuisti? expers ambitionis es? mortem non pertimescis? iracundiâ non æstuas? contemnis somnia, terricula magorum, sagas, nocturnas larvas, et prodigia, quæ à præstigiatoribus eduntur? tuos natales dies æquo et libenti animo cernis augeri? veniam amicis delinquentibus facilè concedis? evadis eo humanior et commodior, quo magis ætate proveheris? Quid prodest unam evellisse spinam; si plures, quæ te vulnerant, remanent? Si vitam ut par est nescis degere, da locum aliis peritioribus: satis ludo, epulis, et comessationibus datum; tempus est discedendi, ne

202. *Austris.* Auster, ventus à meridie flans, alter et procellosus.

203. *Specie, loco, re.* Verteres. *En grace, en naissance, en bien.*

205. *Non es, etc.* Hæc dum sibi ipsi dicit Horatius, aut ab aliquo monitore audit facit; Florum, in quem hæc omnia conveniebant, modestè admonet, eruditque.

203. *Sagas.* Veneficas, *des sorcieres.*

209. *Lemures.* Emersas ex inferis umbras. *Des esprits folets, des esprits qui reviennent la nuit.*

210. *Gratè.* Æquo animo re senem fieri, et mortem propiùs adesse videns.

223. *Vivere, si rectè, etc.* Id est, ingenio indulgere.

Tempus abire tibi est, potum ne largius æquo
Rideat, et pulset lasciva decentius ætas.

te subebrium irrideant adolescentes, et exagitent, quos isthæc ludicra magis decent.

216. *Lasciva ætas.* Lascivus : *folâtre, badin.*

F I N I S.

INDEX

Rerum quæ in Notis hujus partis explicantur, secundùm litterarum seriem digestus.

A

P

EXPLICIT INDEX.

CATALOGUE

Des Livres qui se trouvent chez le même Libraire.

SELECTÆ è veteri, petit in-12.
—Le même, latin et françois, par Wailly, in-12.
Selectæ è novo, petit in-12.
—Le même, latin et françois, petit in-12.
Selectæ è profanis, petit in-12.
Le même, françois, in-12, par Barrett.
Appendix latin, in-24.
—Le même, latin et françois, petit in-12.
Cornelius Nepos, in-24.
—Le même, latin et françois, par Paul, in-12.
Sallustius, in-24.
—Le même, latin et françois, par Beauzée, in-12.
Q. Curtius, in-24.
—Le même, latin et françois, par Beauzée, deux vol. in-12.
Cæsaris Commentaria, in-24.
—Le même, latin et françois, par Wailly, 2 vol. in-12.
Justinus, in-24.
—Le même, latin et françois, par Paul, 2 vol. in-12.
Eutropius, in-24.
—Le même, latin et françois, petit in-12.
Florus, in-24.
—Le même, latin et françois, par Paul, in-12.
Velleius Paterculus, latin, in-24.
—Le même, latin et françois, par Paul, in-12.
C. Plinii Epistolæ et panegyricus, Trajano dictus, in-12. Jolie édition.
—Le même, traduit en françois, par M. de Sacy, 2 vol. in-12.
Phædri Fabularum libri quinque, cum notis gallicis, P. Syri Sententiis, parallelisque Fabulis J. de la Fontaine. Juxta editionem Gab. Brotier, in-12.

—Les fables de Phèdre, traduites en françois, augmentées de huit Fables qui ne sont pas dans les Editions précédentes, expliquées d'une manière très-facile, avec des Remarques, nouvelle édition in-12.

—Fables de Phèdre en latin, avec des notes, des éclaircissemens, et un petit Dictionnaire à la fin, à l'usage des Commençans, par Bourgeois, ancien Professeur au Collége de Louis-le-Grand, nouvelle édition, in-12.

Horatius, cum interpretat. ac notis Juvencii, nova editio nitidissima et accuratissima, 2 vol. in-12.

—*Idem*, cum notis, in-12.

—*Idem*, traduit par Batteux, 2 vol. petit in-12.

Virgilius, cum interpretatione ac not. Ruæi, 3 vol. in-12.

—*Idem*, cum notis tantùm, in-12.

—*Idem*, ad usum Delphini, in-4.

—*Idem*, in-24.

—Le même traduit en françois, avec le latin à côté, et des notes, nouvelle édition, revue et corrigée, par Barrett, 2 vol. in-12.

—Le même, trad. par des Fontaines, avec des notes, 2 vol. in-12.

Metamorphoseon (Ovidii) Libri XV. cum notis gall. et Appendice, ad usum Schol. in-12.

—P. Ovidii Nasonis Opera quæ supersunt, sans fig. et vignettes gravées, 3 vol. in-12.

Métamorphoses d'Ovide, latin et françois, 2 vol. in-12, nouvelle édition, par Barrett.

Tacitus (Corn.) juxta accuratissimam D. Lallemand editionem, in-12.

Terentius, cum notis Juvencii, in-12.

Juvenalis et Persii Satyræ, cum notis Juvencii, 1 vol. in-12.

Titus-Livius, cum notis Crevier, 6 vol. in-12.

On sépare les volumes.

Ciceronis Eclogæ, quas in usum puerorum selegit, et Gallicas ex Lat. fecit J. Olivetus, in-12.

—Les mêmes, ou Pensées de Cicéron, traduit pour servir à l'éducation de la Jeunesse, par d'Olivet, nouvelle édition, revue et augmentée, in-12.

—Orationes quæ in Universitate Parisiensi vulgò explicantur, cum notis ex optimis quibusque Commentatoribus selectis, juxta accuratissimam Lallemand editionem, 3 vol. in-12.

—Les mêmes, traduites par Wailly et d'Olivet, 4 vol.

—Orationes, in Catilinam, cum not. in-8.

—Entretiens de Cicéron sur la nature des Dieux, par d'Olivet, nouv. édit. 2 vol in-12.

—Entretiens de Ciceron sur les vrais biens et les vrais maux, traduits en françois, par Regnier Desmarais, avec le texte latin, nouvelle édition, revue et corrigée, in-12.

—Lettres de Cicéron à Atticus, traduit par l'Abbé Mongault, 4 vol. in-12.